5. 2. '01.

Library of the Theological Seminary,

PRINCETON, N. J.

BJ 991 .G37 1900
Gatterer, Hilarius, 1839-
1899.
Compendium theologiae
moralis juxta probatissimos

Shelf........

Compendium
Theologiae Moralis

Juxta probatissimos Auctores

ad usum

Theologorum III. anni et Cleri in Cura animarum laborantis

a

P. Hilario Gatterer

a Sexten,

Ordinis Capucinorum Provinciae Tirol. Septentrionalis Exprovinciale, Lectore Theol. Moral. approbato, Examinatore pro approbatione Confessariorum in Dioecesi Tridentina etc.

concinnatum et post mortem auctoris

cum appendice additionum et correctionum

divulgatum.

Pars II.

Theologia Moralis specialis.

Cum approbatione Reverendissimi Ordinariatus Brixinensis et Rottenburgensis atque Ministri Generalis Ordinis.

Stuttgart.

Katholische Vereinsbuchhandlung.

1900.

Facultas Reverendissimi P. Generalis.

Nos Fr. Bernardus ab Andermatt,

totius Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Capucinorum Minister Generalis (l. i.).

Cum opus, cui titulus: „Compendium Theologiae Moralis, II. Pars“, auctore Adm. Rev. P. Hilario a Sexten, Provinciae Tirolis septentrionalis Definitore, Guardiano, et Theologiae Moralis Lectore, a duobus Ordinis nostri Theologis a Nobis deputatis revisum et approbatum fuerit, concedimus facultatem, ut servatis de jure servandis illud typis demandari possit.

Brunopoli, die 20. Augusti 1889.

L. S.

Fr. Bernardus ab Andermatt,
Min. Gener. Cap.

Censura theologica.

Censura parti generali praemissa etiam ad partem specialem operis a Rev. P. Hilario Gatterer exarati applicari potest. Etenim Rev. P. Hilarius in parte quoque speciali doctrinam Auctorum sat probatorum presso pede secutus est, eorumque sententias ad usum practicum apte explicuit. Infrascriptus igitur animo lubenti acceptat sententiam, quam Rev. P. Agatho de Compendio Theologiae Moralis a Rev. P. Hilario Gatterer composito ferre judicavit. „Nihil in eo inveni fidei aut bonis moribus contrarium. Singulas materias solide, practice et optimo ordine Auctor pertractat. Quare dignum censeo, ut typis mandetur.“

Brixinae, 21. Julii 1889.

Dr. Jos. Staller,
Prof. Theol. Moral.

Censurae Cl. Dr. Jos. Staller latae omnino consentio, opusque praelaudatum praelo dignissimum censeo.

Brixinae, 22. Julii 1889.

P. Norbertus a Tux,
Lect. Theol. approb.

Hanc quoque partem specialem Theol. Moral. auctore Rev. P. Hilario aeque ac generalem non modo orthodoxia, concinnitate et objectivitate in tradendis, deducendis et illustrandis morum principiis, sed etiam pulchra ac naturali dispositione materiae ejusque continua ac discreta applicatione pro s. ministerio valde commendari proindeque luce publica dignam esse, hisce lubenti animo attestor.

Brixinae, die 22. Julii 1889.

P. Franciscus Ser. a Taufers,
Lect. s. Theol. approb.

---

*

Ordo dicendorum.

II.

Theologia Moralis specialis.

Sectio I.

Ethica communis (Gemeinpflichten).

Caput I.

Officia erga Deum.

Articulus I.

Officia erga Deum interna.

Articulus II.

Officia erga Deum externa.

A. Actus religionis ordinarii.

Caput II.

Officia erga nosmetipsos.

Articulus I.

Officia generalia erga nosmetipsos.

Articulus II.

Officia specialia erga nosmetipsos.

A. Officia specialia erga animum.

B. Officia specialia erga vitam et corpus proprium.

C. Officia specialia erga semetipsum quoad statum externum.

Caput III.

Officia erga proximum.

Articulus I.

Officia generalia erga proximum.

Articulus II.

Officia specialia erga proximum.

A. Officia specialia erga animum proximi.

Sectio II.

Ethica particularis (Socialpflichten).

Caput I.

Officia societatum privatarum.

Articulus I.

Officia status conjugalis et parentalis.

Articulus II.

Officia status herilis et forensis.

Caput II.

Officia societatum publicarum.

Articulus I.

Officia societatis ecclesiasticae.

Articulus II.

Officia societatis civilis.

Corrigenda.

Pag.	19	Linea	12	pro infantia *lege* infantes.
„	25	„	10	„ haeriticus *lege* haereticus.
„	37	„	23	„ statutos *lege* statutis.
„	55	„	3	„ adstringet *lege* adstringat.
„	66	„	31	„ Deus *lege* Deum.
„	70	„	34	„ conditionale *lege* conditionate.
„	118	„	41	„ servandi *lege* servare.
„	133	„	14	„ tactis *lege* tactibus.
„	151	„	13	„ servandi *lege* servare.
„	155	„	3	„ daemonis *lege* daemonem.
„	173	„	1	„ elidantur *lege* eliduntur.
„	189	„	25	„ tempore *lege* tempora.
„	221	„	26	post semen verum *adde:* emittere.
„	285	„	28	pro anthrophobia *lege* anthropophobia.
„	358	„	14	pro detrimenti *lege* detrimento.

NB. Leviora errata, quae statim in oculos cadunt, benevolus lector ipse corriget.

II.

Theologia Moralis specialis.

Prolegomena.

Theologiae Moralis generalis erat principia communia ratione per fidem illuminata declarare, ex quibus actionum humanarum moralitas profluat atque dijudicetur; specialis Theologiae Moralis est, in diversis relationibus, quas homo in toto vitae christianae ambitu habet vel habere potest, moralitatem seu normam rectitudinis investigare, conformitatem cum divina voluntate et cum humana natura intimius perspicere, difformitatem ejusque gradum et mensuram definire, paucis, mores christianos singulos exponere, i. e. singula hominis christiani officia explicare, necnon singula eis opposita peccata inspicere.

„Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, et in tota mente tua. Hoc est primum et maximum mandatum; secundum autem simile est huic: diliges proximum tuum sicut te ipsum. In his duobus mandatis universa lex pendet;"[1]) hinc etiam in his duobus mandatis tota vita christiana absolvitur. Ista sunt quodammodo duo cardines totius vitae moralis, et proinde etiam fundamenta Theologiae Moralis specialis constituunt, quippe quae omnia officia, quae homini incumbunt, continet et indigitat, tum illa erga Deum, tum illa erga nosmetipsos et proximum.

Praedicta officia fusius adhuc specificantur per praecepta decalogi necnon praecepta Ecclesiae. Unde Theologiae Moralis specialis est, demonstrare, quaenam per singula praecepta praescribantur, quaeque prohibeantur; seu quaenam officia homini christiano vi diversorum praeceptorum incumbant, quaeque peccata iisdem opponantur.

Antiquiores Theologi et Moralistae hunc in finem singula praecepta juxta ordinem decalogi pertractant. Recentioribus tamen melius visum est, singula praecepta in quoddam systema redigere, et sic etiam partem specialem Theologiae Moralis systematice pertractare. In efformando systemate vero maxime divergunt, ita ut quilibet fere suum proprium systema habeat.

---

[1]) Matth. XXII. 37.—39.

Nostrum systema sit sequens:

Dantur duplicis generis officia; alia pertinent ad omnes homines indiscriminatim, sunt ergo omnibus hominibus christianis communia. Alia vero ad quosdam tantum homines, seu potius hominum status pertinent; ergo non omnes homines, sed nonnullos tantum obligant, illos nempe, qui certo cuidam statui addicti sunt.

Hinc, ut mihi videtur, Theologia Moralis specialis commode in duas sectiones dispesci potest, scilicet in Ethicam communem, et Ethicam particularem. Prior complectitur officia omnibus hominibus communia erga Deum, semetipsum et proximum. Posterior vero pertractat officia particularia ex diversa status ordinisque conditione oriunda.

SECTIO I.

Ethica communis (Gemeinpflichten).

Praenotanda.

Officia omnibus communia multa admodum et varia sunt; quare ut continuo ordine tractentur, divisionis puncta quaedam delineare oportet. Etsi plura forsan momenta sint, quibus ceu fundamentis officiorum communium divisio superstrui possit, illud tamen ex objecto desumptum, facile princeps est. Hinc triplex officiorum communium classis distinguitur, *erga Deum* scilicet, *erga nosmetipsos* et *erga proximum,* seu alios homines quoscunque.

Proinde Ethicam communem tribus capitibus absolvemus.

Caput I.

Officia erga Deum.

Praenotanda.

Praenotanda.

Officia immediata erga Deum in virtute Religionis continentur. Religio autem in sensu latiori sumpta, in vera cognitione, agnitione et veneratione divinae Majestatis, seu in pia hominis devotione erga Deum, ejusque cultu consistit.

Distinguimus *Religionem internam* et *externam. Religio interna* respicit interna hominis officia Deo debita, et per actus fidei, spei et caritatis exercetur. „Deus fide, spe et caritate colitur," ait s. Augustinus. *Religio externa* respicit actus externos cultus divini, quibus Religio interna manifestatur.

Hinc caput I. reapse in duos articulos dispescitur. Aget proinde articulus I. de officiis erga Deum internis, et articulus II. de officiis erga Deum externis.

Articulus I.

Officia erga Deum interna.

Officia erga Deum interna, uti jam dictum est, per fidem, spem et caritatem exercentur. Hinc nobis in hoc articulo de virtutibus theologicis, necnon de peccatis his virtutibus oppositis agendum est.

§. 1. De fide theologica.

I. Natura fidei.
1. Notio fidei.

I. Natura fidei. 1. Notio fidei. Generatim fidei nomen varie sumitur; scilicet quandoque pro fidelitate in promissis servandis;[1]) deinde pro conscientia seu dictamine ejus;[2]) porro pro fiducia consequendi rem desideratam aut promissam;[3]) insuper pro veracitate seu inclinatione dicendi verum;[4]) dein pro ipsa doctrina et objecto fidei, juxta illud Symboli s. Athanasii: „Haec est fides catholica," i. e. articuli fidei catholicae; et demum pro assensu, qui alterius dictis ob ejus auctoritatem praestatur.

Hic assensus, si datur ob auctoritatem hominis, est *fides humana;* si ob auctoritatem Dei, est *fides divina seu theologica.* Fides, qua illae veritates ut divinitus revelatae suscipiuntur, quae ab Ecclesia catholica qua tales proponuntur, *fides catholica* dicitur. Fides, qua aliquae veritates, ad Religionem pertinentes, ideo tantum suscipiuntur, quia per rationem cognoscuntur, *fides philosophica* appellatur. Fides igitur philosophica ratione objecti aliquid commune habere potest cum fide theologica, e. g. fides de existentia Dei, aut de immortalitate animae; ratione autem motivi longe et essentialiter differt a fide theologica, utpote quae non rationi humanae, sed auctoritati divinae innititur.

Fides divina seu theologica, de qua hic sermo est, inter virtutes theologicas primo loco ponitur, non quod ea sit dignior ceteris, sed quia, ut inquit Concilium Tridentinum,[5]) „fides est humanae salutis initium, fundamentum et radix omnis justificationis." Unde fidem recte totius vitae christianae basin dicimus, „accedentem enim ad Deum oportet credere, quia est."[6]) Hinc divinus Spiritus aperte testatur: „Justus autem meus ex fide vivit."[7])

Fides actualis et habitualis.

Fides divina vel ut *habitus seu virtus,* vel ut *actus* considerari potest; sub priori respectu *fides habitualis,* sub posteriori respectu *fides actualis* dicitur.

Fides divina, quatenus ut *virtus seu habitus* consideratur, plene sic definiri potest: *„Est habitus supernaturalis infusus, inclinans intellectum ad firmiter assentiendum veritatibus a Deo revelatis et ab Ecclesia propositis, ob Dei revelantis auctoritatem."*

---

[1]) Rom. III. 3. [2]) Rom. XIV. 23. [3]) Jac. I. 6. [4]) Jerem. VII. 8.
[5]) Sess. VI. cap. 8. [6]) Hebr. XI. 6. [7]) Hebr. X. 38.

Fides divina ceu *actus* dicitur „assensus firmus, qui veritatibus revelatis et ab Ecclesia propositis praestatur propter Dei revelantis auctoritatem“.

Concilium Vaticanum fidem contra nonnullos nostrae aetatis errores sic definivit: „Fides divina seu theologica est virtus supernaturalis, qua Dei aspirante et adjuvante gratia ab eo revelata vera esse credimus, non propter intrinsecam rerum veritatem naturali rationis lumine perspectam, sed propter auctoritatem ipsius Dei revelantis, qui nec falli, nec fallere potest.“[1])

Hac definitione exprimuntur tum *objectum materiale* et *formale fidei*, tum *subjectum fidei*.

2. *Objectum materiale fidei* (seu id, quod credere tenemur) primarium est ipse Deus, summa veritas; secundarium sunt aliae veritates a Deo nobis revelatae. S. Augustinus dicit: „Fidei primum et maximum officium est, ut in verum credatur Deum.“[2]) Hinc etiam in Symbolo Apostolorum mox a principio dicitur: „Credo in Deum“ etc. et postmodum pro clariori ejus cognitione ceteri articuli subjunguntur. 2. Objectum materiale fidei.

Medium, per quod objectum materiale fidei nobis applicatur, est Ecclesia catholica; ipsa enim nos de veritatibus revelatis infallibiliter certos reddit; per ipsam enim loquitur Christus. Quare s. Augustinus illud celebre dictum protulit: „Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiae catholicae commoveret auctoritas.“[3])

3. *Objectum formale fidei*, seu motivum, propter quod revelatas veritates credere tenemur, est auctoritas summa Dei loquentis, quae auctoritas in summa Dei sapientia et veracitate fundatur. Ergo ratio humana fundamentum, cui per se innitatur fides christiana, dici nequit, uti asseruerunt Manichaei, Abelardus, imo haeretici omnes, praeprimis Novatores saeculi XVI. et qui ab eis progeniti sunt Rationalistae. Unde etiam a P. M. Gregorio XVI. per Breve 26. Septembris 1835 damnata et prohibita sunt opera Georgii Hermes, qui inter alios errores hunc quoque protulit: „rationem principem normam ac unicum medium esse, quo homo assequi possit supernaturalium veritatum cognitionem“. 3. Objectum formale fidei.

Notandum est, quod motivum fidei, quod est divina auctoritas, bene discerni debet a sic dictis *motivis credibilitatis*, quae sunt argumenta evidenter probantia, Ecclesiae catholicae doctrinam ceu revelatam proponenti tuto credi posse atque debere; in specie ergo: religionem christianam esse divinam, et eandem religionem ab Ecclesia catholica, sola vera Christi Ecclesia, infallibili auctoritate proponi.

4. *Certitudo fidei.* Ex dictis patet, quod *certitudo*, qua fides divina gaudet, plane infallibilis est dicenda; tanta etenim est fidei divinae certitudo, quanta ipsa Dei revelantis auctoritas. Unde Concilium Tridentinum de certitudine fidei loquens ait: quod „ei non potest subesse falsum“.[4]) 4. Certitudo fidei.

---

[1]) Sess. III. cap. 3. [2]) Lib. IV. de civ. Dei, cap. 20. [3]) Lib. contr. epist. Fundam., cap. 5. [4]) Sess. VI. cap. 9. Vide etiam cap. 12. et can. 13.—16.

Hinc fides non est *„aestimatio“* seu opinio, ut Abelardus finxit. Non enim potest non certissimum esse omnemque errandi formidinem penitus excludere, quidquid Deus revelavit et dixit. Imo cognitio fidei certior est quavis cognitione naturali; fides enim nititur veritate divina, cognitio autem naturalis ratione humana. Atqui multo magis, Angelicus dicit, homo certior est de eo, quod audit a Deo, qui falli non potest, quam de eo, quod videt propria ratione, quae falli potest. Idem s.s. Patres unanimiter tradunt, et P. M. Pius IX. in Encyclica die 9. Novembris 1846 pronuntiavit, dicens: „Nihil fide nostra certius, nihil securius, nihil sanctius extare, nihil quod firmioribus innitatur principiis.“

5. Evidentia fidei.

5. *Evidentia fidei.* Attamen fidei nostrae *non convenit evidentia intrinseca*, i. e. evidentia rerum, quae creduntur; veritates fidei enim nobis obscurae sunt ac perspici nequeunt. Hinc etiam Gregorius XI. profligavit sequentem propositionem: „Omnes articuli fidei — possunt probari et probantur per rationes necessarias, demonstrativas, evidentes“, ut contrariam s. Scripturae et unanimi s.s. Patrum et Theologorum consensui.

Convenit vero fidei nostrae *evidentia extrinseca* seu evidentia credibilitatis; motivis scilicet credibilitatis evidenter probatur et intellectus convincitur, veritates fidei esse omnino credibiles seu dignas, ut ab omnibus ceu divinitus revelatas credantur. P. M. Pius IX. in Encyclica die 9. Novembris 1846 dicit: „Quam multa, quam mira, quam splendida praesto sunt argumenta, quibus humana ratio *luculentissime evinci* omnino debet, divinam esse Christi religionem et omne dogmatum nostrorum principium radicem desuper ex coelorum Domino accepisse!“

Hinc etiam fides nostra ab Apostolo „obsequium rationabile“[1]) dicitur, et revera est, nimirum propter evidentiam credibilitatis, qua mysteria fidei, quae credimus, gaudent.

6. Subjectum fidei.

6. *Subjectum fidei* est intellectus, qui movetur a voluntate, ut credendis assentiat. Actus fidei divinae scilicet est actus intellectus per gratiam divinam illustrati, procedens ex imperio voluntatis a gratia divina excitatae et adjutae. Est doctrina catholica contra adversarios multos et diversos; nimirum alii, maxime quidam Germaniae scriptores, partim rationi theoreticae, partim rationi practicae, partim voluntati, partim sensioni, partim cunctis animae facultatibus tamquam subjecto fidem attribuere sibi complacuerunt; alii, imprimis Semipelagiani, gratiae divinae necessitatem ad initium fidei et perseverantiam in fide negarunt. — Sed de his omnibus fusior explanatio ad Theologiam Dogmaticam spectat.[2])

II. Divisio fidei: 1. habitualis et actualis. Fides actualis est:

II. ***Divisio fidei.*** Distinguitur:

1. *Fides habitualis et actualis.* *Habitualis* est habitus per se infusus permanenter habilitans ad actus fidei eliciendos. *Actualis* est ipse assensus firmus rebus revelatis praestitus ab Ecclesia ad credendum propositis. Haec potest esse:

---

[1]) Rom. XIII. 1. [2]) Cfr. Müller II. §. 2.—5. Marc I. n. 420.—424. Reiffenstuel I. tr. 4. dist. 2. quaest. 1.

a) *exterior*, si exterius verbis aut factis seu signis se manifestat; a) exterior;
b) *interior*, si intus in animo latet; b) interior;
c) *explicita,* qua aliquod mysterium in se ipso et propriis terminis expressum creditur; e. g. si dicas: credo in sanctissimam Trinitatem; c) explicita;
d) *implicita,* qua veritas revelata creditur non in se ipso et propriis terminis proposita, sed in alia veritate, in qua continetur; e. g. qui credit, quidquid Deus revelavit, is implicite credit mysterium Trinitatis, quia inter veritates a Deo revelatas continetur; d) implicita;
e) *exercita seu virtualis*, quae est actus non se manifestans experimentaliter, sed tendens quidem in objectum revelatum propter auctoritatem Dei revelantis, super haec tamen *signate* non reflectens, sed tantum virtualiter in mente perseverans; e) excercita seu virtualis;
f) *signata seu formalis* (reflexa), qua credimus revelatum a Deo *signanter* atque *reflexe*, i. e. actu actualiter elicito. f) signata seu formalis;

2. *Fides formata et informis: fides formata* seu *viva* est, quae gratiam habitualem seu caritatem sibi conjunctam habet. Fides informis seu mortua est, quae caret justitia et caritate. 2. formata et informis.

Fidem sine caritate esse, ac proinde fidem informem admitti posse, patet ex Concilio Tridentino,[1]) quod definivit: „Si quis dixerit, amissa per peccatum gratia simul et fidem amitti; aut fidem, quae remanet, non esse veram fidem, licet non sit viva; aut eum, qui fidem sine caritate habet, non esse christianum, anathema sit!“ Hinc etiam damnata est ab Alexandro VIII. sequens propositio: „Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam fides, et etiamsi videantur credere, non est fides divina.“

III. ***Proprietates seu dotes fidei.*** Fides debet esse: III. Dotes fidei:

1. *Supernaturalis,* quod est, si gratia Dei auxiliante ex motivo reverentiae erga Dei revelantis auctoritatem elicitur. Innocentius XI. damnavit sequentem propositionem 23.: „Fides late dicta ex testimonio creaturarum, similive motivo ad justificationem sufficit.“ — Hinc fides non est supernaturalis: 1. supernaturalis;

a) si aliquid tantum creditur propter scientiam ejusdem, seu quia perspicitur intellectu;
b) si assensus veritati revelatae ob argumenta credibilitatis tantum praestatur;
c) si veritas non creditur *qua proposita* ab Ecclesia, sed mere *quia* ab ea proposita est.

2. *Universalis:* i. e. ad omnes veritates divinitus revelatas, et ab Ecclesia ceu tales propositas se extendere debet; ratio, quia omnes fidei articuli ab una eademque auctoritate suprema promanant, et quia ille, qui unum fidei articulum negat, neque quoad ceteros articulos fidem theologicam habere potest.[2]) 2. universalis;

3. *Super omnia firma,* imo fides firmius omni, etiam angelica auctoritate;[3]) firmius ipso sensuum nostrorum testimonio; firmius 3. super omnia firma;

---

[1]) Sess. VI. can. 28. [2]) Cfr. s. Thom. 2. 2. q. 5. a. 3. [3]) Cfr. Galat. I. 8.

ipsius facti revelationis cognitione et scientia, veritatibus revelatis assentiri debet; ratio est, quia auctoritas Dei pro revelata veritate interposita meretur assensum super omnia firmum. Hinc excluditur omne dubium, mera opinio, certitudo moralis, imo etiam certitudo metaphysica, nam cum infallibili, cum certitudine divina credere oportet. Merito igitur Innocentius XI. profligavit hanc propositionem n. 19.: „Voluntas non potest efficere, ut assensus fidei in se ipso sit magis firmus, quam mereatur pondus rationum ad assensum impellentium." — Ad fidem requiritur tamen notitia Dei revelantis certa; unde Innocentius XI. damnavit hanc propositionem n. 21.: „Assensus fidei supernaturalis et utilis ad salutem stat cum notitia solum probabili revelationis, imo cum formidine, qua quis formidet, ne non sit locutus Deus." Attamen illa certitudine supposita, in ipso actu fidei ipsa notitia Dei divinaeque revelationis majore firmitate, quam antea, apprehenditur.

4. rationabilis seu prudens;

4. *Rationabilis seu prudens* juxta verba Apostoli; quod involvit, ut quis sibi persuasum habeat de veritate Religionis aut Ecclesiae, necnon ut sciat, qua ratione aliquid credat, nempe quia Deus revelavit.

5. efficax;

5. *Efficax*, i. e. bonis operibus sese exercere debet. „Quid proderit, fratres mei", ait Jacobus, „si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? Numquid fides poterit salvare eum? sicut enim corpus sine spiritu mortuum est, ita et fides sine operibus mortua est."[1])

6. formata;

6. *Formata* seu conjuncta cum caritate seu justitia. „Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, caritatem autem non habuero, nihil sum," uti Apostolus dicit.[2])

7. constans.

7. *Constans*, ita, ut nulla ex causa a vera fide deficiamus. Monet Apostolus: „ne simus parvuli fluctuantes et circumferamur omni vento doctrinae in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris."[3])

IV. Necessitas fidei.

IV. ***Necessitas fidei.*** Praenotandum: duplex distinguitur *actus fidei*, unus *internus*, quo assentimur certo et firmiter veritatibus a Deo revelatis propter ejus auctoritatem, et dicitur *credere;* alter *externus*, quo exhibemus signum aliquod hujus interioris assensus, et dicitur *confessio*, juxta illud Apostoli: „Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem."[4])

Porro notandum est: *actum fidei* bene distinguendum esse a *habitu fidei;* et tandem etiam duplex hac in re distingui debet necessitas, altera *medii*, altera *praecepti*. *Necessarium necessitate medii* illud est, sine quo, etiam inculpabiliter omisso, finis obtineri non potest. *Necessarium necessitate praecepti* est illud, quo inculpabiliter omisso finis adhuc obtineri potest.

1. Necessitas fidei quoad habitum et actum internum.

1. *Necessitas fidei quoad habitum et actum internum.* Quoad hanc necessitatem sequentia valent:

---

[1]) Jacob. II. 14. [2]) I. Corinth. XIII. 2. [3]) Eph. IV. 14. Vide etiam Marc. XVI. 16. Luc. IX. 26. Matth. X. 33. Cfr. Müller II. §. 5. Staller I. Pars sp. tr. 1. §. 2. [4]) Rom. X. 10.

a) *Fides habitualis a Deo infusa omnibus (et infantibus et adultis) omni tempore necessaria fuit et est necessitate medii ad salutem.* Est doctrina catholica, quae ab omnibus traditur, et ex Concilio Tridentino[1]) confirmatur: „Sine fide impossibile est, placere Deo.“[2])

b) *Actus fidei internus omnibus adultis ratione utentibus pariter omni tempore necessarius fuit necessitate medii ad salutem*, praesertim peccatoribus ad justificationem assequendam. Haec assertio, quae absque errore in fide negari nequit, patet tum ex s. Scriptura, et unanimi s.s. Patrum et Theologorum suffragio, tum ex Concilio Tridentino[3]) et Vaticano[4]). — Et quidem in specie:

α) *Quilibet necessitate medii credere debet veritates fidei sufficienter sibi propositas.* „Qui non credit, jam judicatus est;“[5]) et „qui non crediderit, condemnabitur.“[6])

β) *Omnes necessitate medii* **implicite** *saltem omnia fidei dogmata credere debent;* unde in Symbolo Athanasiano dicitur: „Quicunque vult salvus esse, ante omnia opus est, ut teneat catholicam fidem. Quam nisi quisque *integram* inviolatamque servaverit, absque dubio in aeternum peribit.“

γ) *Quilibet etiam quasdam fidei veritates explicite necessitate medii credere debet, et quidem sequentes: Deum existentem* atque *Deum remuneratorem,* praemia justis et supplicia improbis decernentem. *Deum hominum salvatorem;* et juxta sententiam communiorem et probabiliorem, quam tenent s. Thomas,[7]) s. Alphonsus[8]), et alii permulti, etiam *mysterium Incarnationis* et *mysterium s.s. Trinitatis.*

Pro praxi tamen quoad haec mysteria juxta s. Alphonsum advertendum est, „quod si quis adeo sit rudis, ut ea mysteria percipere nequeat, tunc excusatur ratione impotentiae, et comparatur infantibus ac fatuis.“[9])

Sententia: „Non nisi fides unius Dei necessaria est necessitate medii, non autem explicita remuneratoris,“ damnata est ab Innocentio XI. Hinc qui ignorat ea, quae certo sunt de necessitate medii explicite credenda, absolvi nequit, quod certum est etiam quoad eum, qui ignorat mysteria Incarnationis et s.s. Trinitatis, nam Innocentius XI. profligavit etiam hanc propositionem n. 64.: „Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia mysteriorum fidei; et etiamsi per negligentiam etiam culpabilem, nesciat mysterium s.s. Trinitatis et Incarnationis Domini Nostri Jesu Christi.“

c) *Internus fidei actus necessarius quoque est necessitate praecepti.* Constat ex s. Scriptura et s.s. Patribus. Hinc damnata est ab Innocentio XI. propositio n. 16.: „Fides non censetur

---

[1]) Sess. VI. cap. 7. [2]) Hebr. XI. 6. [3]) Sess. VI. cap. 7. can. 3. [4]) Sess. III. cap. 3. [5]) Joann. III. 18. [6]) Marc. XVI. 16. [7]) 2. 2. q. 2. a. 7. et 8. [8]) Lib. III. n. 2. [9]) Lib. III. n. 2.

cadere sub praeceptum speciale, et secundum se." Et quidem in specie:

α) *Omnis fidelis, cum ad usum rationis pervenerit, praeter ea, quae scire debet necessitate medii, tenetur explicite de necessitate praecepti scire et credere, saltem in substantia, uti docet s. Carolus Borromaeus*[1]) et quidem sub gravi: *Symbolum Apostolicum, Orationem Dominicam, Decalogum, sacramenta maxime necessaria*, nempe *baptismum, poenitentiam* et *eucharistiam*, reliqua autem tunc, quando ea suscipere vult; porro *Ecclesiae praecepta;* et tandem *salutationem angelicam sub levi.* Quae omnia intellige, nisi impotentia aut invincibilis ignorantia excuset. Ita omnes.[2])

Nota pro praxi.

Nota: Ignorans ea, quae necessitate praecepti credenda sunt, absolvi potest, si ignorantia est inculpabilis, dummodo de obligatione monitus verum propositum scitu necessaria addiscendi manifestet, secus, si tale propositum desideretur. Si vero ignorantia est culpabilis, tunc tantum absolvi potest, si de negligentia doleat, deque culpa sua se accuset, necnon serio promittat, operam se daturum ad illa probe addiscenda; secus absolvi nequiret, cum voluntarie perseveraret in ignorantia culpabili, adeoque non esset dispositus ad absolutionem suscipiendam.

Hinc pro praxi advertendum, quod confessarius, cum habet rationale motivum dubitandi, an non poenitens sit ignarus eorum, quae scitu necessaria sunt aut necessitate medii aut necessitate praecepti, sub gravi teneatur, poenitentem interrogare de scientia fidei. — Poenitens in articulo mortis constitutus, ignorans necessaria necessitate medii, a confessario doceri debet, quae respiciunt vitam futuram, remunerationem aeternam, praeterea mysteria s.s. Trinitatis, Incarnationis et Passionis Domini, ut sic eliceat actus fidei; insuper confessarius curare debet, ut Dei gratia opitulante, in eo excitetur dolor peccatorum, cum proposito posthac non amplius peccandi, cum aliter non sit capax absolutionis.

Si vero ignorantia respicit ea, quae scitu necessaria sunt necessitate praecepti, confessarius non debet impendere tempus ad eum de his instruendum, si nimis defatigaretur; sed potius ad dolorem excitet et adjuvet in eliciendis actibus fidei, spei et caritatis. Nam adhuc valet absolutio, si ipsum praeteritae negligentiae poeniteat simul promittentem, se velle necessaria discere, si forte convaluerit.[3])

β) *Quilibet fidelis adultus internos fidei actus etiam frequenter elicere tenetur.* Ita Theologi communiter; et patet ex s. Scriptura, ubi dicitur: „Justus autem ex fide vivit."[4]) „Vigilate

---

[1]) Instr. ad confess. [2]) Cfr. s. Alph. Lib. III. n. 2. H. A. tract. 4. n. 3. [3]) Cfr. Scavini tom. 2. pag. 623. S. Alph. Lib. II. 3. et prax. confess. n. 22. Müller II. §. 6. Marc II. n. 427. [4]) Rom. I. 17.

et state in fide;"[1]) „cui (diabolo) resistite fortes in fide;"[2]) sed hujusmodi vigilantia, resistentia et statio in fide postulat actuale exercitium fidei, simulque persistentiam in ea cum frequentatione actuum. Hinc merito Alexander VII. sequentem propositionem n. 1. damnavit: „Homo nullo unquam vitae suae tempore tenetur elicere actum fidei, spei et caritatis, ex vi praeceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium;" et Innocentius XI. propositionem n. 17.: „Satis est actum fidei semel in vita elicere;" et propositionem n. 65.: „Sufficit illa mysteria (s.s. Trinitatis et Incarnationis) semel credidisse."

Quoad obligat. praecept. fidei eliciendae.

Obligat vero praeceptum fidei eliciendae tum *per se*, tum *per accidens*.

Obligat per se, i. e. independenter ab omni alia circumstantia: *in initio vitae spiritualis, i. e. post usum rationis completum;* seu quando puer, usum rationis completum adeptus, mysteria fidei edocetur; vel quando adulto infideli veritas fidei nostrae sufficienter proposita est; porro *saepius in vita*, semel saltem in anno juxta sententiam probabilem, juxta alios singulis mensibus; et tandem in *mortis articulo vel periculo*, quia tunc maxime tenemur tendere in Deum, ut finem nostrum ultimum.[3])

Obligat per accidens: urgente gravi tentatione, quae aliter vinci nequit. Dein *quando adimplendum est praeceptum, quod fidem requirit*, e. g. poenitentiae, professionis fidei etc., et tandem *post lapsum in haeresim*, *aut fidem negatam*, quia reparanda est injuria primae veritati illata. Ita omnes.[4])

Nota pro praxi.

Pro praxi tamen advertendum, quod quamvis fideles saepius in vita teneantur elicere actum internum fidei, ut dictum est, nihilominus ob hoc ipsi non debeant reddi anxii et perplexi, quasi non semper satisfecissent. Nam imprimis excusantur plerumque ratione ignorantiae vel inadvertentiae hujus obligationis; eoque magis, quod nec Doctores conveniant in determinatione temporis, quo urget dicta obligatio, contra quam proinde rarius peccatur.

Deinde practice loquendo ejusmodi obligationi censetur satisfieri per actus fidei, qui concurrunt in exercitio aliorum actuum bonorum, ut puta: spei, caritatis Dei, poenitentiae, orationis, devotae recitationis Symboli, formatione signi crucis, auditione Missae, ac hujusmodi. Attamen enixe admonendi sunt fideles, ut etiam explicitos fidei actus saepius eliciant, praesertim luctuosa nostra aetate, qua perniciosissimi errores verbis scriptisque impune pervulgantur, et perversionis periculum fere ubique prominet. Hinc etiam Benedictus XIV.[5]) praecepit, ut animarum pastores post Missam die festo et dominica celebratam, clara et intelligibili voce fidei, spei et caritatis actus eliciant. Insuper advertendum pro confessariis, quod praesertim moribundi exhortandi et excitandi sunt ad eliciendos actus fidei, aliarumque virtutum theologicarum, necnon

---

[1]) I. Cor. XVI. 13. [2]) I. Petr. V. 9. [3]) S. Alph. Lib. II. n. 5. H. A. IV. 13. [4]) Cfr. s. Alph. L. II. 5. [5]) Constit. „Etsi minime" a. 1742.

et contritionis, prout passim monent Ritualia Dioecesana aliique libri.[1])

2. Necessitas fidei quoad actum externum. a) Praeceptum positivum.

2. *Necessitas fidei quoad actum externum:* Quoad actum externum fidei duplex adest praeceptum, *positivum* et *negativum*.

a) *Praeceptum positivum seu affirmativum exigit, fidem externe profiteri, quoties Dei honor vel proximi utilitas exposcit.* Id patet ex verbis Christi: „Omnis, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram patre meo, qui in coelis est. Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo et ego eum coram patre meo, qui in coelis est". [2]) Et Apostolus dicit: „Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem." [3]) Ergo est aliquando necessaria confessio ad salutem.

Quotiescunque hoc praeceptum, fidem exterius confitendi obligat, toties obligat sub gravi; obligat vero tunc tantum, cum adest titulus, est etenim praeceptum hypotheticum.

In specie hoc praeceptum urget:

Quando urget praeceptum fidem confitendi.

α) *Si per omissionem hujus confessionis subtraheretur honor debitus Deo.* Haec subtractio tamen privative, et non mere negative sumenda est, ita scilicet, quod censeatur subtrahi honor Deo debitus ex defectu confessionis, quando inde vel Deus magna afficitur injuria, vel magnus aliquis honor, qui ad eum pervenire poterat ex confessione, negligitur; vel si inde consequeretur contemptus Dei, Religionis aut Ecclesiae, uti per se patet.

β) *Si confessionem fidei utilitas proximi postulat;* puta, quando per omissionem confessionis aliquis a fide avertitur vel retardatur, aut aliquo magno commodo spirituali privatur, de quo non potest opportune aliter pro loco et tempore provideri; vel si proximus per omissionem confessionis scandalum aut perversionem patiatur. Unde e. g. videns conculcari s. Eucharistiam, Crucifixum, imagines aut reliquias Sanctorum, Deum aut fidem contemni, haereticis colloquiis adstantium fidem periclitari etc., tenetur contradicere et fidem confiteri, si sic ista possit impedire; sic enim exigunt honor Dei, indemnitas fidei et salus proximi.[4])

γ) *Si quis auctoritate publica, sive privatim, sive publice, de sua fide interrogatur.* Hinc Catholicus tenetur fidem suam candide profiteri, cum apud publicum magistratum constitutus, de sua religione interrogatur, quia tergiversatio vel silentium interrogati videretur esse fidei negatio; alioquin debito honore Deus fraudaretur, et grave scandalum in adstantibus oriretur Confirmatur etiam eo, quod Innocentius XI. damnavit sequentem propositionem n. 18.: „Si a potestate publica quis interrogetur, fidem ingenue confiteri, ut Deo et fidei gloriosum consulo, tacere ut peccaminosum per se non damno."

---

[1]) Cfr. Reiffenstuel I. tr. 4. dist. 2. q. 3. [2]) Matth. X. 32. et 33. [3]) Rom. X. 10. [4]) Cfr. s. Thom. 2. 2. q. 3. a. 1.; s. Alph. L. III. n. 11.

Si vero quis interrogatur ab aliquo privato, per se loquendo et secluso scandalo, non tenetur confiteri, sed potest uti aequivocatione, aut dicere: quid ad te? quis te constituit judicem? etc.

δ) *Si quis jure ecclesiastico ad externam fidei confessionem obligatur*, uti: *baptizandi*, qui vel per se, vel per patrinos fidem exterius profiteri debent; *provisi de Beneficio Curato* intra duos menses a die possessionis coram Episcopo vel ejus Vicario generali aut officiali;[1]) *Provisi de Canonicatu vel Dignitate* in cathedrali; *Patriarchae, Primates, Episcopi, Superiores* Religiosorum Ordinum; *Promovendi in Doctores, Magistros, Professores; Lectores nostri et Concionatores* vi Constitutionum nostrarum, *Regentes, omnes, qui in Synodo Dioecesana convenire debent,* et tandem *haeretici ad* Ecclesiam redeuntes, qui tenentur et haeresim abjurare et professionem explicitam emittere.

Praemissis casibus exceptis, nemo tenetur fidem externe confiteri, sed potest potius fidem tegere seu occultare, quod aliquando non solum permissum, sed conveniens et necessarium est, uti si latens inter haereticos plus boni facis; vel si ex confessione plus mali sequeretur, e. g. turbatio infidelium, neces, exacerbatio tyranni, periculum defectionis, si torquereris.[2]) Occultatio fidei.

Occultatio vero fidei variis modis fieri potest, *vel aliquo signo exteriori fidem dissimulando, vel fugiendo.*

Unde licitum est e. g. redimere pecunia, ne de tua fide fiat inquisitio, hoc saepe magna virtus discretionis est, vitam ad Dei gloriam servare, ac fidem tegere modis licitis.[3]) Licitus etiam modus est, cum Catholicus transit per loca haeretica, et periculum grave ei imminet vitae vel bonorum, ad dissimulandam fidem, vesci carnibus die prohibito, seu Missae non interesse die dominica, quia praeceptum Ecclesiae non obligat sub tali periculo. Si tamen ex circumstantiis hoc fieret signum professivum, ut si quis ad carnes comedendas adigeretur in odium fidei aut Ecclesiae, talis peccaret, etsi metu mortis id faceret, si sine protestatione ederet, secus, si protestaretur.[4])

Porro licitum est etiam, imo quandoque necessarium, tempore persecutionis fugere, vel se abscondere. Hoc negarunt Tertullianus et Montanistae; sed probatur ex verbis Christi: „Cum persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam;“[5]) imo id nedum verbo docuit Christus, sed et facto confirmavit, fugiens Judaeos volentes eum lapidare. Cujus exemplum imitati sunt s. Paulus in sporta demissus;[6]) s. Petrus[7]) eductus e carcere ab Angelo; s. Athanasius et plures alii Sancti. Ratio est, quia is, qui tyrannum fugit, fidem non negat, sed potius

---

[1]) Cfr. Conc. Trid. Sess. XXIV. cap. 22. et Bulla Pii V. Sacrosancta; similiter Trident. Sess. XXV. cap. de reformatione. [2]) Cfr. s. Alph. L. II. n. 14. 6°. [3]) Ibid. 7°. [4]) S. Alph. L. II. 15. 10°. [5]) Matth. X. 23. [6]) II. Cor. XI. 32. [7]) Act. XII.

eo ipso fidem confitetur, cum exilium eligat, ne tyranno consentiat.

Imo fugere praeceptum est, quando bono publico expedit, ut quis vitam suam conservet, vel si quis lapsum timet, quia tale periculum mediis licitis praecaveri debet. Unde temerarium est plerumque, offerre se ultro.[1])

Per accidens tamen non licitum est fugere, si nempe ex hac fuga damnum aliquod redundet in honorem Dei vel proximi salutem; ut si Episcopus, aut Pastor tempore persecutionis fugiat, cum tunc maxime illius ope subditi indigeant; nam, ut recte dicit Nicolaus Papa: „Si gubernator navis in tranquillitate non debet deserere navim, multo minus in tempestate."[2]) — Econtra vero talis non tenetur manere, si vita ipsius necessaria est fidelium saluti, et si per alium gregi sufficienter providere potest.[3])

b) Praeceptum negativum.

b) Praeceptum negativum quoad obligationem fidem externe profitendi. Hoc tria potissimum prohibet:

α) Fidem negare, quod idem esset, ac mentiri, et quidem in gravissimo Religionis officio seu negotio, cum maxima Dei injuria, cui commoda et bona terrena praeferuntur. Apostolus dicit: „Si negaverimus, et ille negabit nos."[4]) Unde Ecclesia semper gravissimis poenis eos mulctavit, qui in persecutionibus fidem negaverant, licet exterius tantum, et ad vitandam mortem. Hoc autem modo peccant plurimi, qui ex solo respectu humano impios sermones a sociis auditos approbant, iisque participant; vel impiis comoediis plausum faciunt, vel cum incredulis tantum amicitiam et necessitudinem habent.[5])

β) Falsam Religionem profiteri. Hoc enim est manifeste verae fidei abrenuntiare. Hinc graviter contra fidem peccat, qui, etiam a privato de sua religione interrogatus respondet, se esse Turcam, vel Judaeum, aut Gentilem, hoc enim perinde est ac se Christianum negare. At ille non est reus negatae fidei, qui negat se esse sacerdotem aut Religiosum, potest enim esse Catholicus et non sacerdos aut Religiosus. Secus si negaret se Catholicum aut Papistam, ubi nomine Papistae intelligitur Catholicus.

γ) Falsam Religionem simulare. Cum minime intersit, utrum quis verbo, an facto mentiatur, idcirco eodem praecepto, quo fidem negare prohibemur, prohibemur etiam falsam Religionem verbis, factis aut signis simulare. Unde illicitum est, usurpare signa, ritus, caeremonias, vestes, actiones, quae sunt primario distinctiva sectae a secta, seu quae sive ex se, sive ex institutione, sive ex circumstantiis sunt primaria significativa professionis falsae fidei, hoc enim esset illam falsam fidem exterius profiteri, et ideo nunquam licitum.

---

[1]) S. Alph. L. II. 14. 6°. [2]) Cap. Sciscitaris 7. q. 1. [3]) Cfr. s. Thom. Lect. III. in Joann. et 2. 2. q. 185. a. 5. c. [4]) II. Timoth. II. 12. [5]) Berardi, Praxis n. 64.

Quae vero distinguunt primario non sectam a secta, sed gentem a gente, seu quae per accidens tantum, indirecte et secundario sunt significativa professionis falsae fidei, quamvis sint vitanda, ne demus aliquibus occasionem credendi nos negasse fidem, subsistente tamen justa causa necessitatis huic deceptioni praeponderante, possunt licite usurpari, quia hoc non est absolute falsam fidem profiteri.[1])

Ex hac regula recte intellecta et applicata sequitur, nunquam esse licitum: flectere genua coram idolo, ei thus adolere, etiamsi intentio dirigatur ad occultum Crucifixum, gestare imaginem Mahumeti in collo appensam, sumere Coenam Calvinistarum, psalmos in eorum templis cantare, pulsare organa, contrahere matrimonium coram Ministro benedicente nuptias secundum ritum suae sectae etc., quia haec sunt primario distinctiva sectae a secta, et primo per se falsae religionis significativa. Similiter: nutus, motus, compressio digitorum et similia signa e. g. Francomuratorum, quae ex conventione determinata sunt ad professionem falsae sectae vel falsi cultus exprimendam, omnino illicita sunt; nam continent unice falsae sectae professionem, neque eorum usus ab hac significatione abstrahere potest.[2])

Econtra licitum est ex justa causa fidem occultare signis et vestimentis, quae ex se sunt indifferentia. Est communis Doctorum sententia, praesertim s. Antonini,[3]) Alexandri Halensis[4]) et aliorum; ratio est, quia haec signa et vestimenta, cum sint ex se indifferentia, nihil in se mali habent; qualia sunt illa, quibus natio una ab altera secernitur, vel status unus ab altero, militis e. g. a mercatore distinguitur; nec laedunt honorem divinum, nec proximi conscientiam feriunt. Sic s. Sebastianus in aula Diocletiani imperatoris ethnici, ut observat s. Thomas,[5]) fidem suam sub militari sago et chlamide occultabat, ut Christianis commodius opitulari posset, eosque in tormentis confortaret. Unde e. g. ex justa causa licitum est, gestare vestem longam Turcicam, aut etiam quam *Turbantem* vocant, ad occultandam fidem, haec vestis enim non est primario ad distinctionem Religionis, sed gentis, nec illam assumit Catholicus, ut credatur profiteri Religionem Turcicam, sed ut auferatur occasio attendendi et inquirendi de Religione. Idem dic de vestibus aliarum nationum idololatrarum, quae non sunt destinatae praecise usibus suae Religionis; idem de earum vexillis in bello, ut sic decipiantur et vincantur.[6])

V. ***Praesidia fidei theologicae:*** Ex hucusque dictis quisque facile intelligit, quam pretiosum fidei donum sit, et quam gratos nos esse oporteat erga illum, „qui nos vocavit non secun- V. Praesidia fidei.

---

[1]) Cfr. Billuart tom. 7. diss. 2. art. 4. [2]) Lehmkuhl I. n. 295. [3]) P. II. tit. 12. cap. 6. [4]) Part. quaest. 183. [5]) 2. 2. q. 10. a. 10. ad 2. [6]) Cfr. Billuart l. c. Marc I. n. 428—432. Müller II. §. 7.

dum opera nostra, sed secundum propositum suum."[1] Nec minus sollicitos esse nos necesse est, ut adminicula inquiramus et adhibeamus idonea, quibus fides nostra conservetur, augeatur, et contra pericula muniatur.

Unde tum *adminicula fidei, tum ejus pericula* breviter recensemus.

1. Adminicula fidei.

1. ***Adminicula fidei:*** sunt potissimum sequentia:

a) *Vera cordis humilitas,* quae efficit, ut homo rationem propriam auctoritati divinae in omnibus prompte submittat. Hinc nobis summopere cavere debemus ab inani illa superbia, qua homo sibi nimium credit, atque eousque devenit, ut nihil pro vero suscipere velit, nisi quod sua ratione perspicit.

b) *Frequens oratio* ad gratiam fidei impetrandam et conservandam; „Domine adauge in nobis fidem!"

c) *Frequens exercitatio actus fidei,* formaliter instituta, et pia sedulitas in obeundis operibus, quae ad pietatem christianam pertinent.

d) *Studium, veritates divinitus revelatas in dies magis cognoscendi;* quodcunque enim bonum eo majore affectione aestimatur, quo penitius ejus praestantia exploratur. Utique hoc studium diversum erit pro mensura ingenii et culturae singulorum. Praesertim autem huc referenda est diligens auditio verbi divini.

e) *Vita ad normam fidei christianae* composita; etenim conformitas vitae cum fide quam maxime fidem confirmat. Divinus Salvator ait: „Si quis voluerit voluntatem ejus (Patris) facere, cognoscet de doctrina, utrum ex Deo sit, an ego a me ipso loquar."[2])

f) *Vigilantia, ne cor vitiositate corrumpatur;* vitiositas enim et fides viva sociari nequeunt. Et ad fidem subvertendam nihil magis conducit, quam vita vitiosa, praesertim ea, quae circa Bacchum et Venerem versatur, uti lugubris experientia testatur. Dominus dicit: „Omnis, qui male agit, odit lucem, et non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus."[3])

2. Pericula fidei.

2. ***Pericula fidei:***[4]) Jam ex lege naturali pericula fidei imminentia sedulo vitare tenemur. Accedit, quod etiam ab Ecclesia nonnulla statuta sunt ad fidem custodiendam, quae proinde diligenter observare debemus.

Maximum periculum, quo fides detrimentum capere potest, praesertim constat in *conversatione cum Heterodoxis.* Distinguitur vero duplex conversatio: *personalis* et *literalis.*

a) Conversatio personal. cum Heterodoxis.

a) ***Conversatio personalis:*** Sub hac intelligitur consortio intimior cum hominibus a fide vera alienis. Christus dicit: „Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces".[5])

In specie quoad hanc conversationem vi legum ecclesiasticarum sequentia valent:

α) *Non licet cum infidelibus communicare in Sacris, i. e. in iis,*

---

[1]) II. Tim. I. 9. [2]) Joann. VII. 17. [3]) Joann. III. 20. [4]) Cfr. Linz. Quartalschrift 1881. pag. 1. sqq. [5]) Matth. VII. 15.

quae ad Religionem praecise pertinent; nempe in eorum dogmatibus, ritibus superstitiosis, quia hoc esset profiteri infidelitatem. In profanis autem et politicis rebus cum iis communicare licet, modo absit periculum perversionis.

In specie quod attinet *communicationem fidelium cum Judaeis*, tum ad tuendam christianae Religionis dignitatem, tum ad vitandum perversionis periculum ab Ecclesia statutum est: ne Christiani cum Judaeis cohabitent; ne eorum conviviis intersint; ne eorum azymis vescantur; ne communi balneo utantur; ne iisdem famulentur, aut eosdem ut medicos adhibeant; ne mulieres christianae lactent Judaeorum infantia, sive in eorum domo, sive in propria; ne Judaeis publica officia apud Christianos committantur. Ita ex variis juris canonici locis.[1])

Attamen secluso quolibet scandali et perversionis periculo probabiliter non est mortale, imo nulla est culpa, si id fiat ex rationabili causa, ut dicit s. Alphonsus.[2]) Hinc etiam ubique fere locorum consuetudo et praxis contraria his legibus invenitur. Item non peccat, qui ex mera curiositate Synagogas visitat sine scandalo et salutis discrimine.[3])

β) *Nefas est Catholico cum haereticis communicare in Sacris, quia hoc esset fidem falsam simulare.* In profanis autem et civilibus rebus cum haereticis communicare licet, dummodo absit perversionis periculum, et haeretici non sint nominatim excommunicati adeoque vitandi. Hinc Catholicis regulariter non licet haereticorum aut schismaticorum concionibus interesse, vel baptismis et matrimoniis; absolute autem non licet nec per se, neque per alios fungi officio patrini in baptismis, qui haereticorum filiis ab haereticis ministrantur.[4]) Illicitum autem non est, ex mera curiositate haereticorum templa adire, absque ulla communicatione in sacris;[5]) item eorum funera humanitatis causa comitari, convivio nuptiali interesse, obsequium domino haeretico in templo praestare; in his enim participatio in sacris non obtinet. Sed absit scandalum et fidei periculum.

Porro non licet obtemperare principi, qui sub poena omnes jubet haereticorum conciones audire, uti patet ex rescripto Pauli V. ad Anglos: „Non licet vobis haec facere sine detrimento divini cultus ac vestrae salutis.“[6])

Porro illicita per se sunt matrimonia mixta, quae Ecclesia nunquam non reprobavit, et ex gravi tantum causa omnique tum conjugis catholici tum sobolis oriundae periculo semoto permittit. Hinc graviter peccat persona catholica, quae absque dispensatione matrimonium attentat cum persona acatholica.

---

[1]) Cap. „Nullus“; cap. „Omnes“; cap. „Judaei.“ [2]) Lib. III. n. 18. Cfr. etiam Scavini L. II. n. 809. [3]) Müller II. §. 9. [4]) Congreg. Offic. 10. Mai. 1770. [5]) Eadem Congreg. die 14. Jan. 1848. [6]) Brev. 22. Sept. 1606.

Tandem non licet haereticis famulari, dum manifestum subest perversionis periculum. Idem pariter dicendum, si famulus ab impletione praeceptorum Ecclesiae impediatur plerumque, secus vero, si raro tantum impediatur.[1]) In praxi in hujusmodi servitio vix aberit periculum indifferentismi pro famulo catholico, ideo enixe ille monendus, ut quam primum commode possit, dominum acatholicum relinquat.[2])

Mittere parvulos juvenes aut puellas in scholas haereticorum vel hominum impiorum est grande peccatum et malum maximum, ordinarie nunquam reparabile.[3]) Item graviter peccant parentes, qui lucri causa filios adhuc tenellos mittunt, vel abire sinunt ad loca haereticorum, sine aliqua necessitate et debitis cautionibus.[4])

Congregatio S. Officii interrogata: „An liceat Monialibus curam infirmorum gerentibus in hospitio *advocare ministrum haereticum*, qui religionis causa peteretur ab infirmo haeretico; item an liceat catholico, in cujus domo aegrotaret haereticus"? respondit die 15. Martii 1848: *„juxta exposita, non licet, passive se habeant."* — Secus tamen, ut patet, si petenti infirmo imminerent ex denegatione mala majora, e. g. desperatio, clamitationes in Ecclesiam, blasphemiae, scandalum aliorum.[5])

γ) *Generatim prohibita est disputatio cum haereticis et infidelibus.* Pro *laicis* sic statuit Alexander IV.:[6]) „Inhibemus ne cuiquam laicae personae liceat publice, vel privatim, de fide catholica disputare. Qui vero contra fecerit, excommunicationis laqueo innodetur" (Excom. ferendae sent.). Excipe: nisi sit urgens necessitas ad avertendum scandalum pusillorum, ad simplices in fide confirmandos, ad petulantiam provocantium reprimendam, et nisi fiat a doctis viris cum Episcopi venia, et adsit spes fructus sive in provocantibus, sive in audientibus, vel in casu inductae consuetudinis, ut in Germania. Ratio, quia secus Religio catholica facile despectui exponeretur, atque haeretici in suis erroribus confirmarentur.

„Clericis nullo jure prohibetur disputatio *privata*, modo idonei sint, atque ex adjunctis sperari queat felix exitus." Unde sacerdos vix unquam tacere poterit, quum audiat alios fidem pervertentes; nam *ipsa taciturnitas eorum, qui resistere debent pervertentibus fidei veritatem, esset erroris confirmatio.*[7])

Publica autem disputatio cum haereticis fieri nequit, absque expressa Summi Pontificis licentia, *quia,* ut S. C. C.

---

[1]) Lacroix Lib. II. n. 104. Voit I. n. 380. [2]) Cfr. Müller II. §. 10. [3]) Cfr. Instr. Em. Card. Vic. ad paroch. Almae Urbis 12. Julii 1878 (Acta Sedis Vol. XI. p. 176). [4]) Scavini II. 820. adn. 5. [5]) Cfr. Konings I. 313. Marc I. n. 450. Gury, Cas. consc. pag. 62. [6]) Cap. 2. §. 1. De haereticis in Sexto. [7]) Cfr. s. Thom. 2. 2. q. 10. a. 7.

die 18. Martii 1658 advertit, „*plerumque vel ob loquacitatem, audaciam, aut circumstantias populi acclamantis, veritas falsitate praevalente opprimitur.*“ In casu tamen necessitatis, si periculum sit in mora, Ordinarius loci hanc licentiam concedere potest.

δ) *Illicitum est, societati Francomuratorum, Massalistarum seu Carbonariorum, Fenianorum, aut aliis ejusdem generis sectis, quae contra Ecclesiam vel legitimas potestates, seu palam seu clandestine machinantur, nomen dare, necnon hujusmodi societates tueri, vel illis consilium aut favorem praestare* — et quidem juxta Constitutionem Apostolicae Sedis Pii IX. 1869 sub excommunicatione latae sententiae Romano Pontifici (simpliciter) reservata. Ratio patet, omnes etenim hujusmodi sectae, diversis nominibus nuncupatae, tendunt ad eundem scopum, i. e. contra Ecclesiam catholicam et civiles legitimas potestates.[1])

b) **Conversatio literalis:** Non minus, quam conversatio personalis, perniciosa fieri potest fidei catholicae conversatio literalis, seu lectio quorundam librorum, scriptorum et ephemeridum. Praesertim hac nostra aetate per evulgationem et lectionem librorum fidei vel bonis moribus adversantium, immensa fit animarum strages. b) Conversatio literalis.

Uti per se patet, jam *vi legis naturalis* semper et ubique viget obligatio vitandi periculum perversionis, quod ex evulgatione, retentione et lectione librorum pravorum existit. Etenim si verbum perniciosum, uti s. Alphonsus ait, quod statim avolat, serpit ut carcer, et ad mortem vulnerat, quid mali non affert liber improbus, qui potest evadere perpetuus fons subversionis? Unde etiam ille, qui ceteroquin facultate gaudet legendi libros prohibitos, non potest tamen eos legere, si sciat aut experiatur, hujusmodi lectionem sibi esse noxiam, vel proxime periculosam. Hinc maxima vigilantia uti debent Episcopi, parochi, patresfamilias, principes, magistratus, praeceptores etc., ut libri perniciosi longe fiant ab oculis et manibus eorum, pro quibus rationem sunt Deo reddituri.

Quod proinde etiam Ecclesiae praesulibus, et praeprimis Romano Pontifici, jus competat, lectionem pravorum librorum fidelibus prohibendi, per se patet, atque ex s. Scriptura, ex perpetua Ecclesiae consuetudine, necnon ex ipsa rei, de qua agitur, natura firmissime evincitur.

Imo omnes Episcopi jure divino, pro suis Dioecesibus potestatem habent, proscribendi et prohibendi, etiam sub censura, sive libros, sive etiam folia quotidiana nocuae lectionis.[2]) Hoc enim essentialiter pertinet ad munus, quod ipsis divinitus commissum est, oves proprias sana doctrina pascendi. Hanc potestatem Leo XII. die 26. Martii 1825 in memoriam Episcopis revocavit monens, ut omnes Episcopi „propria auctoritate pravos libros studeant e mani-

[1]) Quoad assistentiam sepulturae civili vel massonicae cfr. Aertnys Theol. Moral. L. II. tr. 1. n. I. q. 8. [2]) S. Alph. L. VII. 290.

bus fidelium evellere"; eandemque potestatem confirmavit Pius IX. in Epistola per s. Congregationem Indicis die 24. Augusti 1864 emissa, in qua universis Episcopis mandat, ut non solum jure proprio, sed etiam tamquam Sedis Apostolicae delegati, ad librorum, libellorum, et ephemeridum prohibitionem procedere valeant;[1]) ad Apostolicum vero judicium ea deferantur, quae profundius examen exigant, vel in quibus, ad salutarem effectum consequendum, supremae auctoritatis sententia requiratur.[2]) Insuper S. Inquisitio anno 1832 sequens dedit Responsum ad Episcopos Helvetiae: Q. 1. Utrum ephemerides, seu diaria, subjici debeant censurae Ordinarii, et an etiam quoad opiniones politicas? *Affirmative quoad utramque partem.* Q. 2. An eidem censurae subjaceant non solum articuli doctrinales, sed etiam articuli, in quibus facta narrantur? Responsum: *Affirmative.*

Positiva ergo lege libri proscribuntur vel immediate per Summum Pontificem, vel per Concilia, etiam generalia, vel per Indicem librorum prohibitorum, vel per aliam competentem auctoritatem, e. g. per Ordinarios locorum; et quidem aut *nominatim*, i. e. expresso libri titulo, aut *in genere*, indicando scilicet non opera singula, sed quasdam operum classes, quarum usus fidelibus interdicitur. Porro notandum, quod prohibitio ad *lectionem, retentionem, defensionem* et *impressionem* talium operum se protendit.

In praesentia post Constitutionem „Apostolicae Sedis" Pii IX. libri prohibiti in duas veluti classes dividi possunt; permulti scilicet libri *sub culpa tantum* prohibiti sunt, alii autem *sub culpa et poena*, scilicet excommunicatione latae sententiae Romano Pontifici speciali modo reservata, prohibiti sunt.

a) Libri sub culpa tantum prohibiti.

a) Sub culpa tantum prohibiti sunt illi libri, de quibus in Constitutione „Apostolicae Sedis" nulla quidem mentio fit, qui tamen quacunque alia ratione vel a lege naturali vel ecclesiastica prohibentur, quacunque de materia pertractent. Lectores hujusmodi cujusdam libri non incurrunt quidem censuram ecclesiasticam, attamen graviter peccant, quia transgrediuntur gravissimum naturae vel Ecclesiae praeceptum cum maximo spirituali detrimento.

Quinam libri a lege naturali prohibiti sunt, jam supra dictum est. Ab Ecclesia vero per decursum temporis potissimum sequentes prohibitiones librorum emanarunt:

α) Prohibitio librorum in Bulla „Coenae".

α) Prohibitio librorum in Bulla „Coenae" contenta, vi cujus olim inciderunt excommunicationem Papae reservatam: „Haereticorum libros, haeresim continentes, vel de religione tractantes, sine Auctoritate Sedis Apostolicae scienter legentes aut retinentes, imprimentes, seu quomodolibet defendentes ex quavis causa, publice vel occulte, quovis ingenio vel colore". — Dein

---

[1]) Cfr. Acta S. Sedis Vol. VI. pag. 340.—347. [2]) Pennacchi, Comment. in Const. Apostol. Sed. tom. 1. pag. 136.

β) Prohibitio librorum Indicis. Prohibet vero Index libros partim per quasdam classes, ut in decem regulis Indicis, et in „Decretis de libris prohibitis, nec in Indice nominatim expressis"; partim indicando ordine alphabetico vel librorum titulos, vel auctorum nomina, aliquando cum addito „I. Classis Indicis Tridentini". Olim enim haec series alphabetica libros proscriptos exhibebat in tres plerumque classes distinctos; *prima* continebat libros haereticorum, qui haeresim continent, aut de religione ex professo tractant; *secunda* libros catholicorum, qui placita, sive fidei, sive bonis moribus adversa continent; *tertia* libros, qui tacito auctore editi sunt, pravamque doctrinam continent.

β) Prohibitio librorum „Indicis".

γ) Praeterea per Regulas Indicis Tridentini jussu editas, vetantur omnes libri haeresiarcharum, etiam non erronei, neque tractantes de religione; item libri haereticorum, qui sectae capita non sunt, quamvis de rebus profanis, e. g. de historia in istis agatur, donec permittantur ab Episcopis. De hujusmodi tamen libris in foliis periodicis „Archiv für katholisches Kirchenrecht"[1]) asseritur, eosdem in praesentia promiscue legi posse, modo nihil contineant perniciosi. Similiter excipiuntur veteres libri paganorum, et, ut videtur probabile, libri haereticorum priorum saeculorum, e. g. Tertulliani, Origenis, etc. ratio est, quia remoto hodie omni periculo, tamquam documenta mere historica habentur, et ideo finis legis quoad ipsos omnino cessavit.[2])

γ) Prohibitio librorum per Regulas Indicis.

Perrone[3]) amplius progreditur, sic scribens: „Libri haereticorum de religione tractantes, hoc ipso, quod ab haereticis prodierint, interdicti sunt. Attamen quandoque exceptiones habentur ab hac regula, cum videlicet agitur de nonnullis operibus de religione tractantibus editis ab heterodoxis, quae communi consensu innoxia sunt, quandoque etiam rei christianae et catholicae utilia. Exemplo sint: „Tractatus de religione" Hugonis Grotii; „Systema theologicum" Leibnitii; „Historia Innocentii III." ab Hurter adhuc acatholico, exarata; „Vita s. Gregorii VII." a Voigt edita; epistola Cobbet circa ita nuncupatam reformationem Anglicanam, aliaque ejusmodi; haec enim omnium Catholicorum manibus teruntur, quin Ecclesia ea improbet, imo vero quandoque haec ipsa Romae vulgata sunt, ac legitima auctoritate probata fuere."

Porro legere non licet Biblia sacra in lingua vulgari seu vernacula typis edita, „nisi ab Apostolica Sede approbata sint, vel edita cum notis, desumptis ex s.s. Ecclesiae Patribus, aut doctis, catholicisque viris." — In Germania tamen juxta Dr. Thalhofer licite legi possunt Biblia sacra in lingua vulgari etiam sine notis, dummodo ab Episcopo

---

[1]) Anno 1860, tom 5. pag. 66—67. [2]) Reatinus, comment. in cons. Apost. Sedis n. 35. [3]) De virtute fidei n. 618.

approbata sunt, quia haec regula Indicis nunquam vim legis obtinuit.[1])

Denique libri de obscoenis ex professo tractantes absolute prohibentur (jam a lege naturali), licet in Indice non reperiantur. Item omnes libri interdicuntur, qui de astrologia, divinatione, sortilegio tractant, tamquam de haeresi suspecti.

δ) Prohibitio libror. Pii VII. et Pii IX.

δ) *Alia prohibitio librorum est illa Pii VII. per Constitutionem „Ecclesia a Jesu Christo", et Pii IX. edita.* Pius VII. scilicet prohibuit quibuscunque fidelibus legere aut retinere catechismos et libros, quibus a carbonariis describuntur, quae in eorum conventibus geri solent; eorum etiam statuta, codices et libros omnes ad eorum defensionem exaratos, sive typis editos, sive manuscriptos, ac mandavit, ut illos locorum Ordinariis, vel aliis, ad quos eosdem recipiendi jus pertinet, omnino tradant. S. P. Pius IX. (sub poena excommunicationis latae sententiae et reservatae) prohibuit: „omnes libros, statuta, manuscripta et codices Francomuratorum, necnon eosdem vel eadem legere vel retinere; quod valet etiam de omnibus libris, qui nefandissimam societatem Francomuratorum defendunt vel protegunt, vel ad ingressum in eam excitant.

b) Libri sub culpa et poena simul prohibiti. Libri prohibiti per Constit. Apost. Sedis Pii IX.

b) *Sub culpa et poena simul prohibiti sunt illi libri, de quibus in Constitutione „Apostolicae Sedis" P. Pii IX. anni 1869 sermo occurrit.* Subjiciuntur scilicet in praedicta Constitutione excommunicationi latae sententiae, speciali modo Romano Pontifici reservatae (sub. n. II.:) „Omnes et singuli scienter legentes sine auctoritate Sedis Apostolicae libros (eorundem) apostatarum et haereticorum, haeresim propugnantes, necnon libros cujusvis auctoris per Apostolicas literas nominatim prohibitos eosdemque libros retinentes, imprimentes, et quomodolibet defendentes."

Abrogatis vel modificatis ergo edictis antiquioribus, quae contra transgressores prohibitionum librorum aliquando censuras ipso facto statuebant, uti in Bulla „Coenae", in Indice librorum prohibitorum etc., hodiernum jus generale quoad dictas censuras sanctionibus Constitutionis „Apostolicae Sedis" absolvitur. Hinc lectio eorum tantummodo librorum in praesenti sub excommunicatione latae sententiae prohibita est, de quibus in hac Constitutione sermo occurrit.

Ad interpretationem praedictae prohibitionis videri debet: *nuinam sint libri sub hac excommunicatione prohibiti*, et *quaeqam actiones prohibitae sunt?*

Libri, sub excommunicatione prohibiti, sunt duplicis speciei:

Prima species.

Prima species sunt *„libri haereticorum et apostatarum haeresim propugnantes"*. Quare requiritur:

α) *Ratione voluminis,* ut sint *„libri"*. Dicta excommunicatio

---

[1]) Cfr. Lehrb. d. bibl. Hermeneutik von Reithmayer 1874, 3 Th. §. 82, Anmerk. d. Herausgebers.

scilicet non incurritur, nisi agatur de *libris*, i. e. operibus, quae typis eduntur et aliquo volumine constant. Hinc non extenditur ad opera typis vulgata nimis exiguae molis, neque ad ephemerides, quousque maneant folia per se completa, etsi haeresim contineant et propugnent, uti patet ex Resp. S. C. Ind. 21. et 27. April. 1880[1]), quia diaria, quousque folia manent per se completa, non veniunt sub nomine librorum; nec ad *manuscripta* extenditur, licet forte, si non de poena, sed de prohibitione agatur, verbum *„libri“* latius interpretandum sit.

β) *Ratione auctoris*, ut sit, *„haeriticus aut apostata“*, i. e. aut ex secta haeretica (etsi ipse fortasse in bona fide exsistit) aut ex doctrina manifesta. Quodsi auctor hucusque fuit Catholicus, de ejus haeresi tamen plane constare debet. Liber anonymus, qui ex doctrina *manifeste* est haereticus, etiam praesumi debet ab haeretico auctore profectus. Non subjiciuntur ergo excommunicationi libri ab infideli, e. g. Turco vel Judaeo exarati; nec libri eorum, qui credunt apostatis et haereticis, de quibus hic sermo est, vel fautorum et defensorum, si haeresim propugnent.

Excipiuntur etiam, uti jam dictum est, vetustissimorum haereticorum libri, quatenus quoad hosce finis legis omnino cessavit; imo jure quoque libri, errores prorsus obsoletos continentes, qui remoto omni periculo, tamquam documenta mere historica habentur, excipi videntur.

γ) *Ex parte objecti*, quod tractatur, *liber debet „haeresim continere et propugnare“;* i. e. haeretica doctrina in libro contenta, debet serio accitis rationibus stabiliri atque defendi. Quare non sufficit, ut haeresis in libro *contineatur* quidem, aut breviter quasi aliud agendo defendatur. Verum non requiritur, ut totus liber agat de religione, vel de haereticis erroribus; potest enim aliarum disciplinarum tractatio in doctrinam haereticam propugnandam dirigi.

Secunda species sunt „libri, cujusvis auctoris per literas Apostolicas nominatim prohibiti“. Hinc requiritur: Secunda species.

α) Ut liber *sub speciali suo titulo* designatus, non solum ex mandato R. Pontificis, sed *literis ab ipso S. Pontifice* ejusve nomine datis condemnetur. Hujusmodi liber debet ergo prohiberi vel in forma Brevis, vel Bullae, vel per Epistolas encyclicas, vel alia quavis extrinseca forma, quando in ipsis literis legitur „De Apostolicae nostrae auctoritatis plenitudine“, vel „Apostolica auctoritate“; haec enim omnia generico nomine appellantur „Literae Apostolicae“. Hinc non comprehendit haec sanctio libros per Decreta Indicis prohibitos, quae quippe Decreta non sunt „Apostolicae literae“.

β) Probabiliter requiritur, ut prohibitus sit sive prohibeatur sub poena excommunicationis R. Pontifici reservatae. Ita ex mente Constitutionis Apostolicae Sedis inferri debet. Quod si factum

---

[1]) Cfr. Linzer Quartalschrift Jahrgang 1888. Heft IV. pag. 909.

est, excommunicatio illa *speciali modo* reservatur. Pauci sunt libri, qui *sic* prohibiti fuerint, neque necesse est, ut eorum catalogus recenseatur, praesertim cum plerique eorum jam ad primum genus pertineant.

Actiones prohibitae.

Actiones prohibitae quoad praedictos libros sunt: lectio, retentio, impressio et *defensio.*

α) Lectio.

α) *Lectio*[1]) seu „*scienter legentes*". Ab excommunicatione ergo excusatur, qui ignorat prohibitionem et poenam, etsi crassa, vel affectata inscitia est; vel qui parum legit (saltem si nihil occurrit haereticum; quare materia gravis tum ex *re*, quae tractatur, tum ex *amplitudine* desumitur, ita ut, si sit res indifferens, tota pagina pro materia *parva* haberi possit); item qui potius oculis lustrat, quam legit librum ignoti idiomatis; vel qui *audit* legentem. — Nec censuram incurrit, qui ex necessitate legit ad convincendum haereticum, si non pateat recursus ad Superiorem, ut dicit s. Alphonsus.

β) Retentio.

β) *Retentio* — „*retinentes*" — (intellige eodem modo „*scienter*") quod fit, sive aliquis apud se, sive apud alterum retinet, sibi servans liberam dispositionem ut in *deposito;* sive pro se, sive pro altero retinet.

Excipe tamen eum, qui pro altero facultatem legitime habente ex officio retinet, ut famulus pro domino, ut dicit Mazzota cum multis aliis; vel qui pro commodato dat librum ei, qui facultatem legitimam legendi habet, sibi reservans quidem dominium, non tamen liberam potestatem pro libitu repetendi; item excusatur ex parvitate materiae, qui uno alterove die retinet; imo etiam, qui longiore aliquo tempore retinet, exspectans opportunitatem librum tradendi Superiori, vel alteri licentiam legendi habenti; aut dum licentiam legendi petit interim retinens, modo ex rationabili causa licentiam petat, neve interim legat.

Quoad societates literarias, apud quas libri prohibiti asservantur, notandum est, quod incurrunt censuram: qui condominium habent, dein praeses, et bibliothecarius, qua retinens.[2])

γ) Impressio.

γ) *Impressio*, „*imprimentes*" (scil. scienter). Hoc titulo, aut si forte non omnes hoc titulo, tamen tamquam „fautores haeresis" incurrunt excommunicationem: qui conscribit eo fine, ut imprimatur, dein, qui librum imprimendum mandat; porro, qui negotium imprimendi suscipit (Verleger); et tandem qui characteres collocat, prelum versat, chartam supponit, brevi: omnes, qui in impressione proxime cooperantur.

Requiritur autem ad excommunicationem, ut impressio revera facta sit, et — quod pro cooperatoribus notari debet, — *mortalis culpa* in impressione. Quare qui aut infimum aliquod auxilium praestat seu remotum, aut qui ex gravissima ratione etiam propius cooperatur, a culpa gravi, et magis etiam ab excommunicatione excusatur.

---

[1]) Quoad lection. libr. prohib. cfr. Linz. Quartalschrift 1877 pag. 486. sqq. et 1885 pag. 607 sqq. [2]) Cfr. Konings II. tract. de censuris pag. 338.

δ) *Defensio* — „*quomodo libet defendentes*" (iterum intellige scienter) *verbalis* defensio est, si doctrina libri defenditur voce, scripto, — quamvis persuasio aliorum non sequatur; si damnatio libri carpitur: si liber non propter doctrinam quidem, sed simpliciter laudatur, commendatur, ita, ut illa commendatio tendat in conservationem, propagationem illius libri ejusque errorum. Si quis vero id tantum in libro laudat, quod boni revera continet, cum reprehensione errorum, illa laus in hac censura non videtur contineri.[1]) δ) Defensio vel verbalis

Realis defensio est, qua librum in tuto collocari, destructioni vel proscriptioni eripi, in posterum servari, propagari studetur. Ad quam etiam refertur aliis ea mandare, illos ad ea instigare, quibus liber protegatur vel defendatur: sed hisce actionibus censura tum tandem incurritur, si mandatum, instigatio re ipsa efficax evasit.[2]) vel realis.

Pro praxi quoad libros prohibitos adhuc sequentia sunt notanda: Notanda pro praxi.

α) Juxta praeceptum Pii IV. liber prohibitus aut Inquisitoribus aut Episcopo tradi debet; et tunc tantum hujusmodi liber domino reddi potest, si nequit denegari sine gravi incommodo. Contristatio vero, aut timor dissolvendae amicitiae, non est causa sufficiens, librum prohibitum domino reddendi. Nostris temporibus hujusmodi libri possunt etiam comburi, aut alio modo destrui, uti communiter dicunt; quia etiam sic agendo non retinentur; et Benedictus XIV., cum aliquos libros damnasset, eosdem aut consignari (Episcopo) aut concremari jussit.[3])

β) Juxta sententiam communissimam et omnino sequendam, etiam ille, qui moraliter certus est, nullum sibi imminere periculum perversionis ex lectione alicujus libri prohibiti, illum non potest absque licentia legere; cognita enim lege non est subditi, sciscitari rationem legis, sed studere observantiae, aliter nullae leges essent firmae.

γ) Licentia legendi libros prohibitos a solo Pontifice, vel a Congregationibus s. Officii aut Indicis impetranda est. Episcopi vero nequeunt hanc licentiam concedere (nisi quoad libros ab ipsis prohibitos). Episcopi Austriae et Germaniae tamen, hanc licentiam concedere possunt vi facultatum quinquennalium.

δ) Privati homines debent confessarii mandatis obsequi in his, quae lectionem librorum respiciunt. Ita respondit S. C. Inquisit. anno 1832 ad Episcopos Helvetiae interrogantes. — Hinc si dubitant fideles, an salva conscientia legere possint ephemerides vel libros quosdam, qui censuram Ordinarii non subierunt, „recurrant ad confessarium".

---

[1]) Cfr. s. Alph. Lib. VII. n. 307. [2]) Cfr. Lehmkuhl II. n. 923.—925. [3]) S. Alph. L. III. Appendix de prohib. libr. cap. 4. Resolvuntur n. 9. et H. A. tr. 3. n. 6.

ε) Confessarius ipse debet Episcopi directionem sedulo exquirere, et diligenter prae oculis habere gravissimum monitum, quod s. Alphonsus tradit, nempe: „In hac re expedit ordinarie rigidiores opiniones sequi.“[1])

Nota. *Nota:* Per Constitutionem Apostolicae Sedis sub excommunicatione latae sententiae nemini reservata, prohibiti sunt etiam „libri de rebus sacris tractantes“, et incurrunt hanc censuram omnes, qui hujusmodi libros, sine Ordinarii approbatione imprimunt, aut imprimi faciunt. Nomine librorum de rebus sacris tractantium illi intelligendi sunt, quos Tridentina Synodus in Sessione IV. „de editione et usu sacrorum librorum“ intellexit; intellexit autem libros s. Scripturae et eorundem librorum adnotationes; uti patet ex Responso s. Congregat. Inquisit. fer. IV. die 22. Decembris 1880.[2])

§. 2. Peccata contra fidem theologicam.

Contra fidem theologicam peccari potest tum *per excessum,* tum *per defectum.*

I. Per excessum. *I.* ***Per excessum*** fidei opponitur *temeraria credulitas,* qua ex cordis levitate creduntur res tamquam ad fidem et religionem christianam spectantes, quin tales sint; uti e. g. si quis leviter crederet privatas revelationes valde suspectas et dubias. Hinc monet s. Joannes: „Carissimi, nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sint.“[3]) — Secluso autem periculo amittendi veram fidem, praefata credulitas, utpote ex simplicitate procedens, erit peccatum veniale, aut nullum.

II. Per defectum. *II.* ***Per defectum*** perplura peccata fidei opponuntur, quorum plura jam enumerata sunt scilicet *negligentia addiscendi veritates fidei scitu necessarias, omissio actuum fidei sive internorum, sive externorum,* quos praescribit aut divinum aut ecclesiasticum praeceptum; *negatio fidei* sive externa, sive interna, necnon *fidei simulatio,* et *fidem suam lectione, conversatione* etc. *periculo exponere.*

Praeter dicta vero praesertim tria vitia fidei sunt opposita, scilicet: *infidelitas, haeresis* et *apostasia.*[4])

1. Infidelitas. *1.* ***Infidelitas:*** *Infidelitas in communi est carentia fidei in homine non baptizato;* infideles enim sunt illi, qui per baptismum habitum fidei non susceperunt. Sensu tamen latiori est quilibet fidei internae defectus, sicque comprehendit etiam haeresim et apostasiam.

Distinguitur triplex infidelitas:

a) Infidelitas positiva seu formalis. *a) Infidelitas positiva* seu *formalis,* quae et *contraria* dicitur; est carentia fidei in eo, qui sufficienter de fide instructus, non solum detrectat illam amplecti, sed etiam contrarium

---

[1]) Cfr. s. Alph. l. c. Müller L. II. §. 11. Marc II. n. 451.—455. [2]) Cfr. Konings II. pag. 356. Acta S. Sedis. Avanzin etc. [3]) I. Epist. IV. 1. [4]) Cfr. s. Thom. 2. 2. q. 10. a. 1. et 10. a. 5. etc.

asserit, et errorem positivum contra fidem sustinet. Haec infidelitas est gravissimum peccatum, quia contemptum involvit divinae veracitatis et auctoritatis, unde dicitur: „Qui non crediderit, condemnabitur.“[1])

b) *Infidelitas negativa* seu *materialis* est carentia fidei in eo, qui nihil audivit de fide, vel non audivit sufficienter. Haec infidelitas non est peccatum, sed poena peccati, ratio est, quia peccatum reperiri nequit, ubi ignorantia est invincibilis, qualis est in infidelitate negativa. Quapropter jure meritoque a Pio V. et Gregorio XIII. damnata est propositio n. 67. Baji: „Infidelitas pure negativa in his, quibus Christus non est praedicatus, peccatum est.“ b) Infidelitas negativa seu materialis.

c) *Infidelitas privativa* est carentia fidei in eo, qui ex sua culpa, seu ex ignorantia vincibili veritates fidei nescit, absque eo tamen, quod contrarium asserat. Est *per se* peccatum grave, quia procedit ex ignorantia graviter culpabili; fides enim est medium necessarium ad salutem, ergo is, cui sufficienter proponitur, tenetur eam acceptare. c) Infidelitas privativa.

In individuo tamen reatus hujus infidelitatis dimetiendus est a majori aut minori negligentia in inquirendo notitiam fidei.

Nota: Praecipuae infidelitatis contrariae species sunt: *Paganismus, Judaismus, Mahumetanismus*, et aliae sectae infidelium. His adjungi possunt: *Atheismus, Pantheismus, Deismus, Nihilismus, Rationalismus,* ex quo nascitur sive incredulitas, quae omnes Religiones ut figmenta respuit, sive *Indifferentismus,* qui omnes Religiones, aut saltem omnes Christianorum sectas, aequales aestimat. Haec tamen in homine baptizato potius ad apostasiam et haeresim referuntur. — Tandem *haeresis,* de qua infra.

Quoad infideles adhuc sequentia veniunt notanda: Notanda.

α) *Nefas est, Paganos aut Judaeos ad amplectendam fidem, licet sufficienter sibi propositam, vi externa compellere.* Est doctrina catholica. Concilium Tridentinum declarat, quod „Ecclesia in neminem judicium exercet, qui non prius in ipsam per baptismi januam fuerit ingressus.“[2])

Communiter tamen docent, infideles ab Ecclesia compelli posse, ad audiendam praedicationem veritatis christianae. Item communiter tradunt cum s. Thoma,[3]) infideles compellendos esse a fidelibus (si ipsis adsit facultas) ne fidem impediant vel blasphemiis, vel malis persuasionibus, vel etiam apertis persecutionibus. — Sed et principes christiani saeculares nullam jurisdictionem habent in extraneos; in subditos autem licet habeant potestatem ipsos gubernandi politice, non tamen eos cogendi ad fidem.[4])

β) *Ritus infidelium a principibus christianis nunquam approbari*

---

[1]) Marc. XVI. 16. [2]) Sess. XIV. cap. 2. [3]) 2. 2. q. 10. a. 8. et 12. [4]) Cfr. Conc. Trid. Sess. VII. can. 14.

vel foveri, sed tolerari tamen aliquando possunt, si nimirum per eorum prohibitionem vel majora mala inducerentur, vel majora bona impedirentur.[1])

γ) *Falsum est, omnia infidelium opera esse peccata.* Nam infideles etiam in statu infidelitatis opera naturaliter bona facere possunt.[2]) Hinc etiam damnatae sunt sequentes propositiones, scilicet n. 25. Baji a Pio V.: „Omnia opera infidelium sunt peccata", et propositio n. 8. ab Alexandro VIII.: „Necesse est, infidelem in omni opere peccare." Ratio damnationis est, quia non est peccatum, ubi non est violatio legis nec finis vitiosus, porro haec a multis infidelium operibus possunt abesse, ergo!

2. Haeresis. 2. ***Haeresis:*** *est error pertinax contra fidem in eo, qui fidem suscepit.*[3]) — Ut aliquis sit haereticus *coram Deo*, sufficit, ut aliquam veritatem, quam a Deo revelatam esse cognoscit, etiam voluntarie dubitando, rejiciat.

Ad haeresim autem, quae canonicis plectitur poenis, requiritur:

a) *Ex parte personae, professio christianae Religionis, et baptismus valide receptus* (catechumenus enim non potest ab Ecclesia puniri).

b) *Ex parte intellectus: error contra fidem* catholicam, i. e. contra aliquod fidei punctum ab Ecclesia ad credendum propositum.

c) *Ex parte voluntatis: pertinacia,* quae generatim in eo consistit, quod quis non vult judicium suum submittere Ecclesiae; ergo ut error sit *voluntarius.* Non requiritur tamen necessario, ut quis acriter et mordicus errorem suum tueatur. Deficiente pertinacia adest quidem error, sed non haeresis: hinc etiam in proverbium transiit dictum s. Augustini: „Errare potero, haereticus non ero." — Non requiritur vero ad pertinaciam diuturnitas temporis, vel ut quis pluries sit canonicè monitus, sed sufficit dissensus voluntarius fidei, per Ecclesiam sufficienter propositae, quod potest haberi in instanti. Unde colliges:

α) Eum, qui ex ignorantia etiam culpabili, crassa et supina repugnat fidei, paratus tamen assentiri, si esset instructus, non esse haereticum formalem; quamvis enim mortaliter peccet contra praeceptum fidei affirmativum, ignorando voluntarie, quae debet scire, non est tamen pertinax. Imo neque peccaret, si ignorantia ejus esset involuntaria et inculpabilis, ut contingit esse inter catholicos rudes, aut qui a parentibus et pastoribus incuriis negliguntur; et etiam inter enutritos apud haereticos, qui nihil unquam de fide catholica aut nonnisi irrisiones et blasphemias contra illam audierunt, nec ullo dubio hac in re pulsantur, ita, ut si alia necessitate medii credenda teneant, et sint animo parati, cetera credere, si debite proponerentur, non videantur esse extra viam salutis; nec obstat, quod extra Ecclesiam non

---

[1]) Cfr. s. Thom 2. 2. q. 10. a. 11. [2]) Cfr. Rom. II. 14. [3]) S. Alph. L. II. n. 19.

sit salus; ii enim ratione baptismatis, item fidei, quam habent, et internae dispositionis, cetera credendi, dici possunt esse in Ecclesia. — Quodsi ignorantia esset affectata, saltem eo fine, ut liberius erret in fide, aut quia contemnit auctoritatem Ecclesiae, ita ut etiamsi ipsi constaret de ejus mente, nollet tamen acquiescere, is esset pertinax et haereticus formalis.

β) Ad pertinaciam et haeresim formalem non esse necesse, quod quis agnoscat, dogma, quod tenet, esse falsum, et oppositum esse verum et revelatum; alias aut nulli, aut rarissimi essent haeretici, quippe qui communiter aestimant, sua dogmata esse vera et revelata, contraria esse falsa et non revelata; sed sufficit, quod veritatem ab Ecclesia infallibili propositam neget. Nec obstat, quod etiam non agnoscat auctoritatem infallibilem Ecclesiae in proponendis veritatibus revelatis, sufficit, quod possit et debeat eam agnoscere, tot enim ac tanta sunt illius motiva, ut non nisi voluntarie caecutiens et pertinax eam negare possit. Et hinc inferes:

γ) Pertinaciam haeresis non esse immediate et directe contra veritatem revelatam et veracitatem Dei revelantis; sed illam esse immediate et directe contra auctoritatem infallibilem Ecclesiae proponentis veritates revelatas, quam possunt et debent agnoscere, et quam pertinaciter negant. Hinc etiam ille formaliter haereticus est — licet non coram foro ecclesiastico, — qui negat aliquam veritatem, quam putat esse ab Ecclesia propositam et definitam, quae tamen non est, quia affectu est pertinax contra auctoritatem Ecclesiae.

d) *Ex parte actus* requiritur ad haeresim, quae canonicis plectitur poenis, ut sit externatus, sive facto, sive verbo indicante haeresim internam, etiamsi nemo sit praesens vel sciat. Si vero haeresis manifestetur ad modum petendi consilium, vel purae argumentationis causa, non intelligitur externe manifestata.[1])

Distinguitur haeresis: Distinctio haeresis.

a) *Formalis*, quae est haeresis proprie dicta, quam definivimus et hucusque explicuimus. Est gravissimum peccatum, sicut ipsa infidelitas; ratio est, quia virtus fidei, utpote theologica, est una ex praecipuis virtutibus, et proinde peccatum ipsi oppositum est unum ex gravissimis; porro fides est fundamentum justitiae, sine qua impossibile est placere Deo, ergo haeresis expellendo fidem privat hominem omni justitia. a) Haeresis formalis.

b) *Materialis*, est error hominis baptizati contra veritatem fidei ex ignorantia et sine pertinacia. Haeresis *pure materialis* vacat omni culpa; ratio patet ex ejus definitione; supponitur enim, versantem in tali haeresi esse hic et nunc in ignorantia invincibilli veritatis, peccatum autem cum tali ignorantia est impossibile. b) Haeresis materialis.

---

[1]) Cfr. s. Alph. L. VII. 300 sqq.

c) Interna et externa.

c) Interna et externa: haeresis est *interna tantum*, si error voluntarius contra fidem in sola mente sistit, et nullo signo exteriori manifestatur. — *Externa tantum* est, cum quis ore vel facto negat fidem corde retentam, talis quidem graviter peccat, sed poenas haereticorum non incurrit, quia in eo non est assensus pertinax errori. Haeresis est *interna et externa simul*, quae et *haeresis completa* dicitur, si mente concepta, verbo vel signo exterius manifestatur, etiamsi nemo adsit, modo sit tale signum, ut si quis adesset, statim intelligeret, negari articulum fidei.

d) Occulta et notoria

d) Occulta et notoria, occulta haeresis est, quae nulli, vel paucis tantum innotescit; *notoria* seu *manifesta seu publica*, quae compluribus cognita est.

Nota pro praxi.

Pro praxi quoad haeresim adhuc sequentes quaestiones sunt ventilandae:

a) Dubium fidei.

a) An etiam dubium de rebus fidei ad haeresim referri debet? Distinguendum est:

α) Qui deliberate dubitat dubio positivo de aliquo articulo fidei, sufficienter proposito ab Ecclesia, e. g. qui judicat, dubium esse, an Papa sit infallibilis, dum tamen sciat, id tradi et credi a tota Ecclesia, *est formaliter haereticus*, quia licet non neget veritatem, de qua dubitat, judicat tamen positive, eam et infallibilitatem Ecclesiae non esse certas, sicque habet errorem positivum et pertinacem in intellectu, si non explicite contra veritatem fidei, de qua dubitat, saltem contra ejus et infallibilitatis Ecclesiae firmitatem et certitudinem, quae est fidei essentialis. De illo dubitante verificatur, quod in jure dicitur: „Dubius in fide est infidelis"; et proinde talis incurrit etiam censuram Ecclesiae non secus ac alii haeretici.

β) Qui vero de aliquo articulo fidei sufficienter ab Ecclesia proposito dubitat dubio negativo tantum, i. e. suspendit praecise judicium sine ullo positivo actu, quia e. g. vult nunc aliis attendere, vel non vult in re tanta modo defatigare caput, vel vult inquirere motiva commodius et suavius assentiendi, aut propter similia motiva, *non est formaliter haereticus*, quia cum non habeat judicium, illud enim suspendit, non habet errorem positivum in intellectu. Neque videtur per se peccare saltem mortaliter, secluso periculo consensus in dubium positivum, nisi tunc urgeat praeceptum affirmativum fidei.

Qui *involuntarie dubitat*, non consentiendo dubio, sed illud per actum fidei prompte repellendo, meritum sibi acquirit. Si negligenter se habeat ad repellendum, sine periculo consensus, peccat venialiter; et talia sunt ordinarie dubia simplicium. — Qui voluntarie dubitat de articulo fidei ex ignorantia etiam crassa et supina, paratus illi assentiri, si non ignoraret, peccat quidem mortaliter ratione ignorantiae graviter culpabilis, sed non peccato haereseos, quia non est pertinax.

b) Quomodo in praxi haereticus formalis et materialis discerni potest? b) Signa haeresis formalis et materialis.

Haereticus formalis censendus est:

α) Qui dubitat, atque ex pertinacia, aut ex Ecclesiae contemptu, ulterius inquirere detrectat;

β) qui intellectum a veritate sufficienter proposita, de industria avertit, ut suae sectae vel opinioni adhaereat;

γ) qui, agnita veritate, Ecclesiae contradicere perseverat, ut ex odio Papae vel Ecclesiae facere solent Haeresiarchae;

δ) qui inter haereticos natus et educatus subinde incipit dubitare de sectae suae veritate, nec tamen inquirere vult, sed potius malitiose avertit intellectum a motivis auctoritatis, ut suae sectae adhaereat.

Haereticus materialis censendus est:

α) Qui paratus est, se subjicere judicio Ecclesiae, quando errorem agnoverit, etsi interim sententiam suam mordicus tueatur;

β) qui de fide catholica nihil cognovit, et de sua nunquam dubitavit;

γ) qui dubitans studuit agnoscere veritatem, quantum potuit. Qui autem respectu humano, vel incuria, conversionem suam ad fidem procrastinat, non ideo haereticus est, peccat tamen contra praeceptum affirmativum fidei, si eam multo tempore differat.

c) Quid de iis tenendum, qui opinionibus adhaerent ab Ecclesia dogmatica quidem censura, at leviori quam haeresis, notatis? c) Quoad propositiones damnatas.

Per se non sunt haeretici seu haeresis rei, at certe mortaliter peccant. Dico *per se;* nam ejusmodi opinionibus tamquam veris et licitis adhaerentes virtualiter Ecclesiae infallibilitatem negant, cujus negationis si sibi conscii sint, haeresis rei sunt.[1]) — Imo juxta Constitutionem „Apostolicae Sedis" excommunicationi R. Pontifici simpliciter reservatae subjacent: „Docentes vel defendentes, sive publice sive privatim, propositiones ab Apostolica Sede damnatas sub excommunicatione latae sententiae."

Ad sic damnatas propositiones pertinent: 41 propositiones a Leone X. contra Lutherum damnatae; 79 propositiones a s. Pio V. contra Bajum; 1 propositio a Clemente VIII. circa confessionem et absolutionem per literas vel internuntium; 45 ab Alexandro VII.; 65 ab Innocentio XI.; 68 ab eodem Pontifice contra Michaelem de Molinos; 1 ab Alexandro VIII. circa peccatum philosophicum; 31 ab eodem Pontifice per Decretum S. Officii; 5 a Benedicto XIV. circa duellum.[2])

Huc vero non veniunt propositiones damnatae sub poenis *a jure* statutis, quae nimirum intelliguntur de poenis contra haereticos vel suspectos de haeresi pronuntiatis; nec propositiones damnatae a Martino V. contra J. Wicleff et contra

---

[1]) Cfr. s. Alph. L. I. n. 104. [2]) Cfr. Konings I. prop. dam.

J. Huss; nec aliae damnatae a Pio VI. contra Synodum Pistoriensem; nec errores recensiti in Syllabo, nec 40 sententiae Rosmini, 14. Decembris 1887 a Leone XIII. damnatae, quippe quae nullam censuram secum ferunt.[1])

d) Denuntiatio haereticorum.

d) An sit obligatio denuntiandi haereticos et de haeresi suspectos?

Vi edictorum S. Inquisitionis, Ordinariis vel ipsis Inquisitoribus denuntiandi sunt sub poena excommunicationis *ferendae sententiae* (si quis per mensem denuntiare neglexerit):

α) Haeretici formales, eorumque fautores;

β) omnes de haeresi suspecti, quales sunt sortilegi, blasphemi haereticales, abutentes sacramentis (e. g. qui sine sacerdotio celebrant vel absolvunt), contrahentes nuptias vivente conjuge, aut cum voto solemni.[2])

At haec Decreta multis in locis non observantur, quia ob *libertatem cultus* omnibus assertam, haereticorum errores impune grassantur, atque ideo ipsorum denuntiatio lege Ecclesiae imposita haud obligat, ut ipsemet Ferraris[3]) cum Navarro, Bonacina et aliis docet. — *Clerici* tamen videntur in omni casu denuntiandi, ut Episcopus damno tum populi, tum Cleri specialiter sibi commissi occurrat.[4])

Vi legis naturalis, denuntiare oportet sive haereticos, sive de haeresi suspectos, quoties agitur de damno gravi animarum evitando, cui Superior remedium afferre possit. Haec obligatio ex lege naturali urgere poterit etiam in locis, ubi haeretici passim catholicis permixti sunt; e. g. si agatur de periculo insolito, quod catholicae religioni per eos imminet, inscio Superiore, et cui Superior aliquo saltem modo providere potest.[5])

e) Poenae haeresis.

e) Quaenam sint poenae in haereticos statutae?

Poenae spirituales sunt:

α) Excommunicatio latae sententiae S. Pontifici speciali modo reservata, ut dicitur in Constitutione Apostolicae Sedis; quam censuram incurrunt etiam haereticis credentes, et omnes illorum defensores. Requiritur tamen, ut haeresis sit formalis et exterius manifestata, etiamsi nemo sit praesens, vel sciat, ut supra dictum est.

β) Irregularitas, item S. Pontifici reservata, quae extenditur etiam ad filios, si parentes in haeresi notoria decesserint (in Germania tamen, et in aliis regionibus, ubi haeresis pro crimine infami non habetur, filii haereticorum non sunt ex hoc capite irregulares).[6])

γ) Inhabilitas ad quodlibet officium et beneficium ecclesiasticum, ita ut horum collatio haeretico facta sit ipso jure irrita.

δ) Privatio ipso jure (at post sententiam declaratoriam) *omnis dignitatis, beneficii et officii.*

---

[1]) Cfr. Patavin. n. 230.—238. [2]) Cfr. s. Alphons. L. III. 123. [3]) Bibl. Verb. Denuntiatio. [4]) Cfr. Scavini II. 815. 3°. [5]) Cfr. Gury L. I. n. 210. adnot. 1. [6]) Cfr. Ferraris, Verb. Haereticus n. 75.

ε) *Privatio sepulturae ecclesiasticae.*

Poenae temporales, ut carcer perpetuus, confiscatio bonorum, intestabilitas, infamia etc., erant olim, a potestate etiam civili, haeresi notoriae annexae; nunc autem infelici desuetudine non amplius vigent.[1])

f) *Quis possit haereticos absolvere?* f) Absolutio haereticorum

α) *Quivis confessarius* potest absolvere, tum reos haeresis mere internae, tum etiam haereticos, qui ratione ignorantiae, nullam incurrerunt censuram. — Attamen advertendum semper est, an aliqua species haeresis non forsan sit casus Episcopo reservatus, uti in pluribus dioecesibus revera est.

β) *Episcopus, vel Inquisitor,* potest in foro externo, per se aut per alium, absolvere haereticos notorios, praemissa tamen abjuratione coram notario et testibus.[2]) Postquam autem rei sic absoluti fuerint a censura, quilibet confessarius potest eos a peccato haeresis absolvere, ut communiter docetur[3]) — nisi sit casus ab Episcopo reservatus.

γ) *Solus Romanus Pontifex* potest absolvere (per se aut per alium), haereticos sive notorios sive occultos, qui nondum ad forum judiciale deducti fuere, aut sponte sua se praesentarunt.[4])

Hinc Protestantes, vel alii haeretici notorii, qui volunt suam haeresim ejurare, possunt ab Episcopo, vel ab ejus delegato absolvi, quin Romam recurrendum sit. Eorum enim haeresis, in omni casu ad forum externum deducenda est. — Secus dicendum de catholico, qui private in haeresim incidisset, vel in aliqua secta ita occulte vixisset, ut ipsius haeresis paucis solum innotuisset. Is enim foret in casu haeresis occultae, neque ab Episcopo absolvi posset, quamdiu ejus delictum ad forum judiciale non fuisset deductum. Unde si suam haeresim in foro externo manifestare detrectet, ipsi, ad obtinendam absolutionem, Indulto S. Sedis (i. e. Poenitentiarii majoris) opus erit.[5])

Nota: In reconciliandis haereticis *triplex* pro diversitate casuum distinguitur „*Procedendi Modus*". Nota: De reconciliatione haereticorum.

α) Si Baptismus *absolute* conferatur (cum nempe de nullitate prioris baptismi constat), nulla sequitur abjuratio, nec absolutio, eo quod Sacramentum regenerationis omnia abluit.

β) Si Baptismus sit *sub conditione* iterandus, hoc ordine procedendum est: primo fiat abjuratio, seu professio fidei coram duobus testibus, juxta formam a Pio IV. et recentius a Pio IX. cum aliquo additamento praescriptam; dein subsequatur Baptismus conditionatus; postea impertiatur conditionata censurae absolutio; denique peragatur

---

[1]) Plura de his vide apud Canonistas. [2]) Ex Bulla „Cum sicut" Clementis VII. die 15. Jan. 1530. [3]) S. Alphons. L. VII. 83. H. A. XX. 39. [4]) Benedict. XIV. Constit. „Pastor bonus" 1744. [5]) Cfr. Bouix de Episc. tom. 2. p. 222. Cfr. etiam Linz. Quartalschrift 1883 pag 639 sqq. item: Der kathol. Seelsorger I. Heft III. pag. 172 et Heft VI. pag. 221.

sacramentalis confessio cum absolutione peccatorum pariter conditionata.

γ) Si prior Baptismus certo validus judicatus fuerit, „*sola* recipitur *abjuratio*, seu fidei professio, quam absolutio a censuris sequitur et dein absolutio a peccatis.“ — Ita S. C. S. Officii die 20. Julii 1859.

Si acatholicus in *articulo mortis* ad fidem catholicam redire voluerit, debet coram duobus testibus professionem fidei emittere, saltem quoad ea, quae sunt explicite credenda de necessitate medii et praecepti. Atque hic conversionis actus in publico statim instrumento describendus est, ut ita omnes adversariorum cavillationes praecaveantur. — Post haec rite disponendus est moribundus per actus fidei, spei, caritatis, doloris ac propositi; deinde peracta confessione, absolvatur ab excommunicatione et a peccatis, ac postremo s.s. Viatico et Extrema-Unctione reficiatur.[1])

3. Apostasia.

3. ***Apostasia:*** Juxta etymologiam idem est, ac discessio seu desertio. Si generaliter sumatur, omne peccatum potest dici apostasia, quia est discessio a Deo et ejus mandatis. Specialiter autem sumpta, est discessio a bono, quod quis solemniter professus est, et est triplex:

a) Apostasia a fide.

a) *Apostasia a fide* (de qua hic potissimum sermo). Est totalis defectio a fide christiana per baptismum suscepta. — Cum haec apostasia sit vera haeresis, iisdem poenis ecclesiasticis subjicitur, ut patet ex Constitutione „Apostolicae Sedis“.

Pertinent vero ad „apostatas a christiana fide“ omnes illi catholici, qui evaserunt „liberi cogitatores“, nullam Religionem profitentes;[2]) item baptizati Athei, porro omnes, qui prius catholici, modo professionem faciunt Naturalismi, vel Rationalismi absoluti, vel Spiritismi, vel Pantheismi, Deismi, Scepticismi absoluti, Materialismi; item omnes, qui pertinent ad sectam Francomuratoriam; porro qui a fide catholica transierunt ad superstitionem sive Judaeorum, sive Mahometanorum, sive Ethnicorum.

Nostris temporibus, juxta Perrone, etiam rei sunt apostasia virtuali et interpretativa, licet forsan censuris in apostatas decretis irretiti non sint:

α) Qui deliberata malignitate laudibus probant injurias et contemptus, quibus increduli et haeretici Ecclesiam afficiunt.

β) Qui deliberate convicia faciunt Papae, Episcopis, Sacerdotibus et Religiosis, quatenus Dei ministris, eosque derident vel persequuntur.

γ) Qui in theatris sacra et sacros ministros ridiculis scenis repraesentant; item adstantes his plausum facientes.

δ) Qui proponunt vel approbant leges Religioni catholicae contrarias.

---

[1]) Cfr. Marc II. n. 1833. et 1834. Müller L. III. §. 160. Konings n. 1264. IV. [2]) Quoad Catholicos Liberales cfr. Aertnys Theol. Moral. L. II. tr. 1. n. 17. q. 4.

ε) Qui publice reprobant dispositiones et leges Ecclesiae, easque violant ad ostendendum contemptum, quem de ipsis faciunt.[1])

b) *Apostasia a Religione,* quae est criminosa et mortifera recessio ab Instituto Ordinis religiosi, sine animo revertendi. Quoad poenas in hujusmodi apostatas statutas, consulendae sunt leges respectivi Ordinis, quem quispiam deserit. b) Apostasia a Religione.

c) *Apostasia ab Ordine*, cum quis ab Ordine sacro, e. g. Subdiaconatu, vel Diaconatu etc. sine legitima dispensatione recedit ad statum saecularem. c) Apostasia ab Ordine.

Huc spectat etiam *schisma,* quod consistit in subtractione malitiosa ab obedientia capiti Ecclesiae debita. Haeresis per se fidei, schisma caritati repugnat. Hinc quemadmodum qui caret fide, etiam caritate destituitur, ita pariter quicunque haereticus est, etiam schismaticus est, sed non vice versa. Schisma.

Distinguitur duplex schisma:

α) *Schisma purum,* quando quis retinens ea omnia, quae traduntur in Ecclesia, ipsum quoque dogma de Primatu, et tantum malitiose se subtrahit obedientiae Summo Pontifici praestandae. α) Schisma purum.

β) *Schisma mixtum*, si subtractioni obedientiae admisceatur error in fide; talis schismaticus ergo et simul haereticus est, et proinde etiam omnibus poenis in haereticos statutos subjicitur. β) Schisma mixtum.

Vi Constitutionis „Apostolicae Sedis“ Pii IX. „schismatici, et ii, qui a Romani Pontificis pro tempore existentis obedientia pertinaciter se subtrahunt vel recedunt,“ incurrunt excommunicationem latae sententiae speciali modo Romano Pontifici reservatam. Exemplum speciale pertinacis recessionis ab obedientia Romani Pontificis est appellatio a Romano Pontifice ad universale futurum Concilium. Hinc in Constitutione Apostolicae Sedis excommunicationi latae sententiae, speciali modo Romano Pontifici resersatae, subjiciuntur etiam: „Omnes et singuli, cujuscunque status, gradus seu conditionis fuerint, ab ordinationibus, seu mandatis Romanorum Pontificum pro tempore existentium ad universale futurum Concilium appellantes, necnon ii, quorum auxilio, consilio, vel favore appellatum fuerit.“ — Haec censura ad priorem ut species ad genus se habet, et est quodammodo ampliatio ejusdem.[2]) Poenae in schismaticos statutae.

§. 3. De spe theologica.

I. ***Natura spei theologicae.*** *1. Notio: „Spes theologica est virtus supernaturalis seu divinitus infusa, per quam desideramus et cum fiducia exspectamus aeternam beatitudinem, et media ad eam consequendam necessaria.“* I. Natura spei theologicae. 1. Notio spei.

---

[1]) Cfr. Monsignor Dr. Felix Sarda, „Der Liberalismus ist Sünde“, Salzburg 1889. [2]) Cfr. s. Alphons. l. c. Billuart tom. 7. diss. 4. Reiffenstuel I. tr. 4. dist. 2.—4. Müller II. §. 2.—13. Lehmkuhl I. n. 269.—305. Marc I. n. 420—456.

2. Subjectum spei.

2. *Subjectum spei* est voluntas, non intellectus. Actum spei elicere possunt omnes fideles, non solum justi, sed etiam peccatores, ut constat ex Tridentino,[1]) qui non desperant vel praesumunt. Item animae in purgatorio, ex communi sententia. Spes autem non remanet, neque in Sanctis, ob Dei fruitionem; neque in damnatis, ob ineluctabilem desperationem.[2])

3. Objectum materiale spei.

3. *Objectum materiale spei primarium* est aeterna beatitudo nobis promissa, seu Deus ipse fruendus; *secundarium* sunt reliqua omnia promissa tamquam media ad Deum ultimum finem nostrum consequendum. Imprimis bona et media supernaturalia, remissio peccatorum, gratiae auxilia, atque bona opera nostra, divino auxilio exequenda;[3]) dein etiam bona naturalia et temporalia, quatenus ad finem nostrum ultimum consequendum necessaria et utilia sunt.

4. Objectum formale spei.

4. *Objectum formale* (seu motivum, propter quod sperare tenemur), est ex una parte bonitas Dei infinita, et ex altera parte infinita Dei misericordia, omnipotentia et fidelitas. Nimirum bonitas divina nos allicit et movet ad Dei fruitionem desiderandam; omnipotentia, misericordia et fidelitas nos excitat et movet ad Dei fruitionem cum fiducia exspectandam.

Novatores saeculi XVI. malum dixerunt actum, quo quis aeternam retributionem prosequitur. Idem placitum adoptarunt Jansenistae; porro Michael Molinos, Quietismi Systematis auctor, blateravit, eum, qui Deum diligit, nec de praemio, nec de poena, nec de paradiso, nec de inferno debere cogitare. Attamen juxta doctrinam catholicam de fide credendam, amor concupiscentiae, quo Deum prosequimur ut Summum bonum nostrum, honestus est atque salutaris; ideoque virtuosum est, operari intuitu solius beatitudinis. Patet ex Tridentino;[4]) unde etiam Innocentius XI. propositiones Michaelis Molinos, doctrinae huic contrarias n. 10. et 13. proscripsit; item Alexander VIII. duas propositiones Novatorum contrarium tenentes censuris confixit.[5])

5. Actus spei theologicae.

5. *Actus in spe theologica comprehensi* sunt sequentes:

a) *Amor Dei ut Summi boni nostri*, seu *amor concupiscentiae* erga Deum, quo videlicet Deum nobis cupimus, quia est Summum bonum nostrum, seu beatitudo nostra.

b) *Exspectatio certa*, quod Deum ut Summum bonum nostrum consequamur per gratiam et auxilia Dei, seu firma fiducia ad beatitudinem aeternam perveniendi.

c) *Actus concomitans spei est timor*, ne illo summo bono excidamus. Etsi enim spes nostra certissima sit intuitu promissionis divinae, quia tamen promissio non est nobis facta absolute, sed requirit nostram cooperationem et perseverantiam, de quibus nemo absolute certus esse potest, hinc in homine spes firma de gratiis et auxiliis Dei conjuncta esse debet cum timore humili de nostra sufficiente cooperatione; inde ne

---

[1]) Sess. VI. cap. 6. [2]) S. Thom. 2. 2. q. 18. [3]) Cfr. s. Alph. L. II. 21. [4]) Sess. VI. can. 31. [5]) Cfr. Schmid solut. cas. Conferential. ex Direct. Brix. 1884. Cas IX.

desperemus, hinc ne praesumamus, sed, ut hortatur Apostolus, cum metu et tremore salutem nostram operemur.[1])

Hinc timor spem nostram reddit sanctiorem, puriorem, efficaciorem et firmiorem; nam timor expellit desidiam et incuriam, sensus inopiae nostrae diffidentiam virium humanarum et humilitatem nobis ingerit; divinae autem misericordiae eo firmius et promptius confidimus, quo magis imbecillitatem humanam experimur.

Sit tamen timor rationalis et prudens seu moderatus; excludatur ergo tum falsa securitas, tum timor turbidus.

II. ***Necessitas spei theologicae:*** Praeceptum spei et gravissimum et *absolutum* dici oportet; tantis enim nititur officium spei christianae momentis, ut titulum debendi, seu internam hujus officii rationem et fundamentum e Divinitatis notione manare merito affirmemus. II. Necessitas spei.

In specie circa spem eadem necessitas distinguenda est, ac circa fidem, *medii* scilicet et *praecepti*, respiciens tum *habitum*, tum *actum spei*. Et quidem:

1. Spes habitualis a Deo infusa, tam parvulis quam adultis necessaria est ac semper necessaria fuit necessitate medii ad salutem. Est doctrina catholica, quae tenetur ab omnibus doctoribus, et expressis verbis traditur a Concilio Tridentino, quod docet: „Fides, nisi spes ad eam accedat et caritas, neque perfecte unit cum Christo, neque corporis ejus vivum membrum efficit.“[2]) Necessitas medii.

2. *Spes actualis, seu aliquis spei actus, omnibus adultis rationis usu pollentibus, necessarius semper fuit necessitate medii ad justificationem et salutem.* Est pariter doctrina catholica. Patet ex s. Scriptura: „Spe salvi facti sumus,“[3]) dicit Apostolus; item ex doctrina s.s. Patrum et ex Tridentino.[4])

3. Actus spei necessarius quoque est necessitate praecepti; nam eo ipso, quod necessarius est necessitate medii, etiam necessarius dicendus est necessitate praecepti naturalis, quia lex naturalis praecipit, ut adhibeantur media, quae ad finem ultimum obtinendum sunt necessaria. De praecepto autem positivo divino nos dubitare non sinunt divinae literae, quae toties spem inculcant. Apostolus dicit: „Praecipe, — neque sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo.“[5]) Hinc s. Augustinus dicit: „De fide nobis quam multa mandata sunt, quam multa de spe.“[6]) Unde Alexander VII. sequentem propositionem n. 1. damnavit: „Homo nullo unquam vitae suae tempore tenetur elicere actum fidei, *spei* et caritatis, ex vi praeceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium.“ Necessitas praecepti.

Obligat vero praeceptum spei eliciendae tum per se, quum per accidens.

Obligat per se: Obligat per se.

a) Initio usus rationis, quando nempe aeterna beatitudo sufficien-

---

[1]) Cfr. Conc. Trident. VI. cap. 13. [2]) Sess. VI. cap. 7. [3]) Rom. VIII. 24. [4]) Sess. VI. cap. 6. [5]) I. Tim. VI. 17. [6]) Tract. 83. in Evang. Joann.

ter proposita est tamquam finis, ad quem unusquisque tendere debet.

b) *In periculo mortis*, ut homo contra tentationes tunc exurgere solitas roboretur, et in Deum suum ultimum finem consequendum erigatur.

c) *Saepius in vita* (saltem semel in anno, juxta alios semel in mense) quia sine actu spei, nec in justitia divina persistere, nec meritorie operari possumus. Sufficit tamen spes virtualis, quae a fideli passim exercetur, e. g. cum orat, vel Sacramenta recipit.

Obligat per accidens.

Obligat per accidens:

a) Quando ex praecepto eliciendus est actus alicujus virtutis, e. g. orationis aut poenitentiae, qui sine actu spei, saltem implicito, exerceri non potest.

b) Quando quis versatur in periculo desperationis.

c) In omni tentatione, quando adest periculum consentiendi, nisi spes animum erigat.[1])

III. Dotes spei:

III. ***Proprietates seu Dotes spei:*** Non solum sperare, sed rite sperare oportet; non enim qualiscunque fiducia, sed ea sola Deo placere potest, quae doctrinae ab eo revelatae consonat. Quem in finem spes nostra esse debet:

1. universalis;

1. Universalis, i. e. omnia a Deo sperans, quae promisit, tam spiritualia, quam temporalia.

2. sancta seu coelestis;

2. Sancta seu coelestis, i. e. non tantum e principio et motu supernaturali proveniat, sed et praesertim in bona supernaturalia tendat, terrena solum respiciens, in quantum conducunt ad coelestia. „Quae sursum sunt, quaerite, ubi Christus est, in dextera Dei sedens; quae sursum sunt, sapite, non quae super terram.“[2])

3. pura seu ordinata;

3. Pura seu ordinata respectu Dei; quisquis scilicet *principaliter* omnia a Deo sperare debet, et quidem a Deo qua Patre, per Deum, qua filium, et in Deo, qua Spiritu Sancto. „Per ipsum, et cum ipso, et in ipso,“ ut dicitur in Canone Missae. Licet tamen etiam de aliqua creatura sperare, sicut de *causa secundaria et instrumentali*, per quam aliquis adjuvatur ad quaecunque bona consequenda in beatitudinem ordinata. Et hoc modo ad Sanctos convertimur.[3]) Hinc Beatam Virginem Mariam appellamus „*Spem nostram*“, imo cum s. Bernardo „totam rationem spei nostrae“, quia thesauraria est omnium gratiarum.

4. efficax;

4. Efficax, i. e. viva et operosa ex parte sperantis. Nam plura promissa a Deo data sunt cum conditione, qua a nobis praestita bonum certum consequamur. Hinc e. g. frustra sperat remissionem peccatorum suorum, qui fratri in se peccanti veniam dare recusat, dicitur etenim: „Dimittite, et dimittemini.“[4])

. firma et immobilis;

5. Firma et immobilis; „fidelis enim est, qui repromisit; et verbum Domini manet in aeternum.“[5]) Neque obstat, quod saluti nostrae timere jubemur; hoc utique debemus, nam etsi spes

---

[1]) Cfr. s. Alphons. L. II. 20. H. A. IV. 13. [2]) Coloss. III. 1. 2. Cfr. Matth. VI. 33. [3]) Cfr. 2. 2. q. 17. a. 4. [4]) Luc. VI. 37. [5]) I. Petr. I. 25.

divina absolute loquendo sit infallibilis, et omnino certa, juxta illud: „Spes autem non confundit;"[1]) nihilominus ex parte nostra ea potest esse incerta et fallax; ratio est, quia spes consequendi vitam aeternam supponit etiam nostram cooperationem et merita, atque de his non habemus certitudinem, ergo utique cum timore salutem nostram operari oportet.

6. Humilis; conscii enim miseriae humanae, meritis Christi, non nostris, Spiritus Sancti adjutorio, non propriis viribus, aeternam vitam, et quae ad illam sunt necessaria, exspectare debemus. 6. humilis.

Spes, hisce dotibus seu qualitatibus praedita, non solum in se virtus summi momenti, sed insuper reliquarum virtutum et bonorum omnium faecunda mater est.

Proximе autem ex ea sequentia proveniunt *pia sensa:* Pia sensa ex spe emanantia.

a) Sensus coelestis, i. e. ea animi affectio, qua desiderio bonorum coelestium nostra sensa et studia, etiam quoad operas saeculares, ad finem supernum dirigimus; nam ubi thesausus noster, ibi et cor nostrum erit.[2]) a) Sensus coelestis.

b) Tranquillitas animi, i. e. ea animi affectio, qua in prosperis adversisque aequa et imperturbata mente in providentia divina acquiescimus, bene gnari, nihil nobis accidere, nisi Deo sapientissimo et benignissimo ordinante aut permittente, insuper omnia dirigente in utilitatem eorum, qui diligunt ipsum. Haec autem de animi obsequio, non de naturali sensu intelligenda sunt; sensus enim moerore, anxietate similibusve aliquando vehementer commovetur et turbatur, quin animi fiducia et obsequentia deficiat.[3]) b) Tranquillitas animi.

c) Singulare animi robur, i. e. illa christiana magnanimitas, qua pro Dei gloria et fratrum salute extraordinaria quoque tam operamur, quam sustinemus.[4]) c) Singularis animi robur.

Ex praedictis patet, quam maxime intersit, ut virtutem spei sedulo nutriamus et confirmemus, ad quod sequentia adminicula conducunt: Adminicula spei.

α) Frequens exercitatio spei per continuos actus;

β) piae preces, quibus non tantum habitus spei fovetur, sed et gratiae necessariae obtinentur;

γ) fuga peccati et observantia divinorum praeceptorum, nam sic, attestante s. Petro „certam electionem nostram faciemus;[5])

δ) consideratio beneficiorum, quibus Deus nos cumulavit, quaeque firmissima pignora sunt bonorum futurorum;

ε) exempla Sanctorum recogitata, quibus edocemur, quanta Deus in ipsis operatus sit, et quanta iidem pro Deo egerint.[6])

---

[1]) Rom. V. [2]) Cfr. Philipp. III. 20. 21. [3]) Cfr. Matth. XXVI. 37. sqq. [4]) Cfr. Philipp. I. 21. I. Cor. IX. 22. Rom. V. 3. sqq.; VIII. 38., 39. [5]) II. Ep. I. 10. [6]) Cfr. s. Alph. l. c. Reiffenstuel I. tr. 4. dist. 5. Billuart tom. 8. tract. de Spe. Müller II. §. 13.—15. Marc II. n. 456.—461. Lehmkuhl I. n. 305.—310. Stapf-Hofmann I. §. 113.—117.

§. 4. Peccata contra spem.

Multiplici modo contra spem peccari potest, et quidem tum per *omissionem*, tum per *commissionem*.

I. Per omissionem.

I. ***Per omissionem*** peccatur, si quis actum spei, sciens volensque negligit, ubi ad eundem eliciendum obstringitur; aut si illum omittit per tempus nimis longum. In praxi tamen non facile interrogandi sunt poenitentes de peccato per omissionem actus spei commisso, quia aut non satis constabit de obligationis frequentia, neque poenitentes, si qua obligatio erat, ad eam attenderunt. Potius frequenter admonendi sunt fideles, ad actus spei eliciendos, quia studium virtutis ex spe christiana quam maxime accenditur, ipsa autem dimissa penitus collabitur. S. Thomas dicit: „Per spem revocamur a malis, et inducimur ad bona opera prosequenda: ac ideo sublata spe homines irrefrenate ruunt in vitia, et a bonis laboribus retrahuntur.“[1])

II. Per commissionem.

II. ***Per commissionem*** contra singulas spei dotes seu proprietates peccari potest; et quidem in specie:

1. Contra universalitatem spei

1. ***Contra universalitatem spei*** ille peccat, qui minus sperat, qui ergo dubitat, an Deus ipsi omnia praestet. Est peccatum grave vel leve juxta dispositionem sic sperantis.

2. Contra sanctitatem spei.

2. ***Contra sanctitatem spei*** *triplici modo* quis peccare potest:

a) Sensus terrestris.

a) *Per sensum terrestrem,* qui est ea animi dispositio, qua homo ob desiderium rerum terrestrium aut nullum habet desiderium rerum coelestium seu spiritualium, i. e. aeternae beatitudinis, aut non appretiative majorem. Est peccatum mortale juxta omnes, si in terrenis finis ultimus reponitur. Committi potest vel *expresse,* uti e. g. Machiavelli dixit: „Malo cum divitibus in inferno, quam cum plebejis in coelo esse,“ vel si quis praeferendo voluptatem praesentis vitae bonis aeternis ac possessioni Dei, vellet perpetuo hic vivere; vel *implicite,* i. e. factice, e. g. si quis nimis tristatur ob res temporales perditas. Per accidens tamen etiam venialiter tantum per hujus saeculi affectum peccatur.

b) Desiderium absolutum rerum non necessariarum.

b) *Per desiderium absolutum earum rerum, quae non sunt absolute necessariae ad salutem;* e. g. res temporales, gratias gratisdatas, contemplationem, visiones, ecstases etc. — Est per se peccatum grave, subjective tamen vix unquam veniale excedet, excusat scilicet ordinarie simplicitas hominum.

c) Desiderium mali.

c) *Per desiderium alicujus mali pro se aut pro aliis;* e. g. si quis a Deo desiderat res alienas, vel si quis pro inimico desiderat morbum vel mortem etc.; est peccatum grave vel leve, prout materia mala desiderata est gravis vel levis.

3. Contra puritatem spei.

3. ***Contra puritatem spei*** *duplici modo* peccari potest.

a) Non recto ordine.

a) *Si quid a Deo non recto ordine desideratur*, e. g. exclusa

---

[1]) 2. 2. q. 20. a. 3.

secunda vel tertia Trinitatis persona. Hoc tamen vix aliorum, quam infidelium peccatum erit.

b) *Si quis fiduciam inordinatam in creaturas habet*, i. e. ab iis justo plus sperat; quod fieri potest aut Deum excludendo aut non excludendo, et quidem aut implicite aut explicite. Est per se grave peccatum, si Deus excluditur, secus veniale tantum. **b) Fiducia inordinata in creaturas.**

4. ***Contra efficaciam spei*** (per excessum) peccatur *praesumptione*. **4. Contra efficaciam spei.**

Praesumptio seu fiducia temeraria est juxta s. Thomam[1]) „temeraria exspectatio beatitudinis, mediorumve ad illam;“ seu est fiducia inordinata, beatitudinem aliter, quam a Deo statutum est, obtinendi. **Praesumptio.**

Est autem temeraria seu inconsulta et infundata ex duplici capite, scilicet:

a) *Innitendo nimium propriis viribus*, quasi per se sufficientibus ad aeternam salutem consequendam; ut cum quis confidit consequi beatitudinem aliudve bonum supernaturale propriis viribus, sine Dei auxilio et misericordia; et dicitur *nimia confidentia suarum virium.* Hoc modo Pelagiani praesumptionem commiserunt.

b) *Innitendo inordinate Dei misericordiae et potentiae atque Christi meritis, quasi de his solis, et non de propria simul cooperatione penderet salus aeterna.* Et dicitur: *nimia confidentia de Dei bonitate et misericordia. Nimia non ex parte Dei,* quasi quis posset nimium sperare a Deo, *sed ex parte hominis,* quatenus sperat id, quod non est possibile secundum legem a Deo statutam.

Talis praecipue erat praesumptio Novatorum, quippe qui tantum propter merita Christi, absque bonis operibus, salutem obtinendam esse delirarunt. — Talis quoque dicenda est praesumptio eorum, qui sine meritis, vel sine voluntate servandi mandata divina, gloriam consequi sperant. — Vel qui veniam peccatorum a Deo sine poenitentia aliquando facienda sperant.

Attamen juxta s. Thomam non est praesumptio, si quis in peccato perseverare vult usque ad mortem, sperans, quod se poenitebit ante mortem, licet talis graviter peccet ob naturalem temeritatem, se periculo maximo salutis exponendo.

Porro talis est praesumptio eorum, qui ideo peccant, quia facile veniam a Deo se obtenturos esse sperant, seu qui directe *ex spe veniae* peccant vel peccata multiplicant, ita, ut spes remissionis a Deo obtinendae sit motivum inducens ad peccandum, i. e. ratio cur facilius aut peccatum iterent, aut in peccato perseverent, quia Deus tam facile ignoscat decem, quam quinque peccata. Secus vero, si quis e. g. diceret: decem peccata tam facile, quam quinque aut sex accusabo; quod per se non est nisi veniale.[2])

---

[1]) 2. 2. q. 21. a. 1. [2]) S. Alph. L. II. 21.

Si vero quis *non ex spe veniae,* sed *cum spe veniae* peccat, uti si quis peccaret ex passione, sperando concomitanter, peccatum illud postea sibi remitti, non est praesumptio. S. Thomas dicit: „Peccare sub spe veniae quandoque percipiendae, cum proposito abstinendi a peccato et poenitendi de peccato, hoc non est praesumptio, sed hoc peccatum diminuit; quia per hoc videtur habere voluntatem minus firmatam ad peccandum.[1])

Praesumptio ex genere suo est peccatum mortale, quia magnam Deo injuriam irrogat, et magnum homini detrimentum. Est etiam peccatum contra Spiritum Sanctum, quia auxilium divinum, a quo homo revocatur a peccato, contemnit, quasi non esset necessarium ad merendum vel ad poenitentiam agendam. Interdum praesumptio simul est haeresis, imo et infidelitas, e. g. si quis credit, hominem propriis viribus beatitudinem assequi posse.

Causae praesumptionis sunt ordinarie: inanis gloria, superbia et ignorantia.

Peculiaria praesumptioni applicanda remedia sunt: recogitatio rigoris divinae justitiae in iis, qui abutuntur Dei misericordia; longioris vitae incertitudo; exempla in s. Scriptura occurrentia rite recogitata; recordatio novissimorum etc.[2])

5. Contra firmitatem spei — desperatio.

5. ***Contra firmitatem spei*** (per defectum) est *desperatio.* Est animi dejectio, qua quis refugit beatitudinem prosequi ex apprehensione difficultatis aut impossibilitatis illam consequendi.

Est peccatum mortale ex genere suo, si sit perfecta et plene deliberata; secus si sit imperfecta, ut saepe accidit in tristitia et impatientia, vel si oriatur ex nimio timore, vel ex vacuitate cerebri, vel ex complexione melancholica, vel ex daemonis tentatione, ad quod debet advertere prudens confessarius.

Non raro desperatio etiam haeresim adnexam habet. Insuper est etiam peccatum contra Spiritum Sanctum; nam desperatio ipsam Dei oblatam munificentiam et gratiam, quae Spiritui Sancto ceu fonti omnium bonorum tribui peculiariter solet, ex malitia contemptim abjicit.

Fontes desperationis.

Desperatio specialiter oritur ex *luxuria* et *acedia,* specialius tamen ex acedia; quia homo luxuriosus deditus delectionibus carnalibus bona spiritualia fastidit, et ea non reputat magna et ardua; ex acedia autem reputat nimis difficile bene vivere, unde refugit labores bonorum operum.

Remedia contra desperationem.

Remedia contra desperationem sunt: consideratio bonitatis et misericordiae infinitae Dei; frequens recordatio maximorum peccatorum, qui veniam consecuti sunt, e. g. s. Petrus, s. Magdalena, s. Augustinus; meditatio parabolarum s. Evangelii, praesertim ovis perditae et filii prodigi; devotio specialis ad Beatam Virginem Mariam, quae est refugium peccatorum, necnon firma fiducia in Dominum Nostrum Jesum Christum, pro nobis cruci affixum etc.

---

[1]) L. c. [2]) Cfr. Lehmkuhl I. n. 310.—312. Müller II. §. 15. Marc II. n. 463. et alios.

Pro praxi adhuc sequentia notanda sunt: Notanda pro praxi.

a) Dispiciat confessarius, ex qua potissimum radice desperatio in poenitente oriatur, ut congrua remedia pro diversa origine applicare possit. Plerumque ex melancholia et scrupulis tantum oritur. Hinc bene discernat a desperatione *diffidentiam* in Deo, i. e. fiduciam minus firmam in Deum, quae licet objective grave sit, subjective tamen plerumque leve tantum est; item a *fluctuatione seu suspensione spei,* quae subjective etiam veniale vix unquam excedit.

b) Poenitentes desperationi dediti a confessario cum magna circumspectione, prudentia et patientia sunt moderandi juxta diversitatem ingeniorum et desperationis varium genus. Alio enim modo dirigendi sunt, qui ex malitia vel ex peccatorum pondere et flagitiosa vita in desperationem acti sunt, quam qui ex pusillanimitate vel ex diabolica tentatione ad eam impelluntur.

c) Non statim prima fronte judicandi sunt velut desperatione abstracti poenitentes, qui se tales exhibent, praesertim si christiane vivant. Inveniuntur enim animae etiam devotae, quae quasi continuo tentationibus desperationis exagitantur; nec facile credendum est, eas peccasse, praesertim graviter, quamvis putent, se illis consensum praebuisse. Nec timor nimius de periculo salutis cum desperatione proprie dicta confundendus est.[1])

§. 5. De caritate theologica.

Ut, quae ad praestantissimam hanc virtutem spectant, melius intelligantur, praemittenda est brevis terminorum explicatio. Praenotanda.

Bonum aliquod appetitui propositum ut ipsi conveniens et coaptatum, quasi pondus ipsum movet vel attrahit, et inclinat ad se; et ista inclinatio seu propensio appetitus in ipsum, dicitur *Amor* seu complacentia. Si sit cum electione unius boni prae alio, dicitur *Dilectio,* ut ipsum nomen sonat; si sit boni, quod magni pretii aestimatur, dicitur *Caritas,* ut etiam ipsum nomen designat. Si tandem sit cum redamatione, dicitur *Amicitia. Amor* itaque magis late patet, quam dilectio, caritas et amicitia.

Distinguitur *Amor complacentiae,* seu volitio boni in se; *Amor concupiscentiae*, seu volitio boni in commodum amantis; *Amor benevolentiae,* seu volitio boni in commodum amati. Amor mutuus benevolentiae *Amor amicitiae* dicitur.

Porro amor est vel *affectivus* vel simul *effectivus,* prout in corde tantum sistit, vel etiam in opera prodit; videlicet bonum alicui vel tantum *vult,* vel simul *operatur.*[2])

His necessario praemissis modo considerabimus indolem caritatis.

---

[1]) Cfr. Billuart tom. 8. diss. de spe articul. 5. Reiffenstuel I. tract. de virt. theol. dist. 5. q. 2. [2]) Cfr. s. Thom. 1. 2. q. 26. a. 1., 2., 3., 4.

I. Notio et divisio caritatis. 1. Notio.

I. ***Notio et divisio caritatis.*** *1. Notio:* „*Caritas est virtus theologica seu divinitus infusa, qua diligimus Deum propter seipsum, nosque et proximum nostrum propter Deum.*[1])

2. Objectum materiale.

2. Objectum materiale caritatis *primarium* est *Deus*, *Summum bonum*, quem super omnia diligere tenemur, tamquam nostrum ultimum finem. — *Secundarium* sumus *nos ipsi*, *et proximus noster*, quem sicut nosmetipsos diligere debemus, quia hoc Deus praecepit nobis.[2])

3. Objectum formale.

3. Objectum formale, seu motivum, propter quod tenemur diligere Deum et proximum, non est aliquod particulare Dei attributum, ut in fide et spe, sed est *infinita bonitas prout est aggregatio omnium perfectionum*, *sive infinita perfectio.* Hinc ex communi sensu sapientium, verus actus amoris est dicere: Deus meus, quia es bonitas infinita, sive es infinite bonus, amo te super omnia.

Ex his sequitur, *quod una est virtus caritatis*, *qua diligimus Deum, nosmetipsos et proximum;* in his enim omnibus ratio diligendi est una, scilicet bonitas divina, in se, et in quantum est nobis et proximo communicata, vel communicabilis. Item una eademque est caritas *in via* et *in patria;* nam etsi in patria sit perfectior et intensior, idem tamen objectum retinet: majus autem et minus, uti docet s. Thomas, non variant speciem.[3]) Sed hic agimus tantum de caritate erga Deum; de caritate erga nosmetipsos et proximum alio loco sermo occurret.

4. Divisio caritatis.

4. Divisio caritatis: Caritas alia est *habitualis*, quae est habitus divinitus infusus, permanenter habilitans nos ad actus caritatis eliciendos; alia *actualis*, et est ipse actus amoris erga Deum vel proximum, alia *affectiva*, quae in corde tantum sistit, qua amato bonum volumus; alia *effectiva*, quae in opera se exerit, perficiendo illa, queis amatus delectatur. Porro caritas erga Deum dicitur *appretiative summa*, quatenus Deum magis carum seu in majori aestimatione habemus, quam omnia alia bona; *objective summa*, quatenus volumus Deo majus bonum, quam quibuscunque aliis; *intensive summa*, quando majori voluntatis vehementia et cordis conatu Deum prae ceteris amamus.

II. Actus caritatis.

II. ***Actus caritatis erga Deum:*** Caritas, uti s. Thomas dicit, est quaedam singularis amicitia hominis cum Deo; et est simul amor benevolentiae erga Deum, necnon amor concupiscentiae, respiciens scilicet Deum qua Summum bonum nostrum. Hinc caritas erga Deum tribus actibus constat: amore benevolentiae, amore concupiscentiae et amore amicitiae.

1. Amor benevolentiae

1. ***Amor benevolentiae:*** Hic amor *affective* duos principales actus continet:

a) Gaudium de bonis divinis, i. e. de infinitis Dei perfectionibus in se spectatis, et de illis omnibus, quae Deo placent, vel ejus gloriam amplificant. Ex hoc gaudio procedit unio cum Deo, deinde *laus Dei.*

---

[1]) H. A. IV. 9. [2]) H. A. IV. 9. [3]) Cfr. Lessium, De Summo bono, Lib. II. cap. 14.

b) *Desiderium quoad bona divina*, e. g. desiderium honoris et gloriae Dei, tum in nobis, quum in aliis promovendae. Ex quo nascitur perfecta obedientia et plena conformitas voluntatis nostrae cum divina voluntate.

Amor benevolentiae potest etiam actus elicere circa malum divino bono contrarium, qui sunt: *tritistia* de peccatis et de omnibus malis quae divino bono adversantur; et *timor filialis*, ne Deum, Summum bonum, peccato offendamus. Tristitia gaudio de bono divino respondet, timor filialis desiderio boni divini.

Effective amor benevolentiae generatim in eo consistit, quod amans amato bonum non solum velit, sed etiam *operetur*. Fieri quidem nequit, ut bonum aliquod *internum* Deo accrescat, infinite enim perfectus est, et sibi sufficientissimus. At vero accrescere potest Dei *gloria externa*, et ad eandem amplificandam augendamque utique multa, gratia ipsus auxiliante, operari possumus et debemus. Ideo effectivus hic amor potissimum consistit in *zelo divini honoris*, qui ardenter repellit, quae sunt contra Dei honorem ac voluntatem.[1])

Sit vero hic zelus: *fortis seu fervens, purus, bene ordinatus, prudens, amabilis* et *mansuetus*. Hinc a zelo vero bene distinguendus est *zelus spurius*, qui potius destruit, et non aedificat, et sic neque ad gloriam Dei, neque ad proximi salutem est, seu potius „sua quaerit".

2. ***Amor concupiscentiae:*** Est amor, quo Deum non secundum se diligimus, sed ideo, quia bonum nobis inde provenit, ergo *qua Summum bonum pro nobis*. 2. Amor concupiscentiae

Relationem amoris concupiscentiae ad amorem benevolentiae quod attinet, sequentia valent:

a) *Amor benevolentiae est amor perfectus, imperfectus vero amor concupiscentiae.* Ita omnes Doctores cum s. Thoma.[2]) Ratio patet.

b) *Amor benevolentiae bene simul cum amore concupiscentiae relate ad Deum consistere potest.* Est doctrina catholica, quae patet ex doctrina contraria Michaelis Molinos per Innocentium XI. damnata. Ratio, quia Deus est tam Summum bonum in se, quam Summum bonum nostrum. Rectus tamen ordo exposcit, ut amor concupiscentiae, utpote imperfectus, amori benevolentiae, qui est perfectus, subordinetur; quod manifeste docet Tridentinum,[3]) asserens, justum in operibus suis intueri mercedem aeternam, imprimis autem intendere, ut glorificetur Deus.

c) *Imo amor concupiscentiae non adversatur caritati perfectae, quia non datur amor benevolentiae adeo purus, ut omni tempore sibi sufficere valeret sine intuitu mercedis aeternae.* Est iterum doctrina catholica, ut patet ex decisione Innocentii XII.

---

[1]) S. Thom. 2. 2. q. 27. a. 2. [2]) 2. 2. q. 17. a. 8., q. 23. a. 1., q. 26. a. 3. [3]) Sess. VI. cap. 11.

qui condemnavit doctrinam contrariam, scilicet systema, quod Semiquietismus audit, Archiepiscopi Cameracensis, Francisci de Fenelon. Ratio est, quia nullus status, etiam perfectorum et Sanctorum, liber reperitur a tentationibus eoque minus ab aerumnis, quibus sane humana fragilitas succumberet, nisi spe coelestium bonorum suffulciretur, quod confirmatur exemplis Sanctorum. Insuper ex assertione contraria omnino sequitur exclusio spei theologicae, quae tamen virtus ad salutem omnino necessaria est, et ex divino praecepto saepius elicienda, uti antea dictum est.

Attamen elici possunt *actus* purae benevolentiae, quibus nimirum Deus ut summum bonum in se, absque ullius commodi ac praemii intuitu amatur.

Est doctrina communissima Theologorum[1]) contra Bossuetum, qui arguendo Fenelonii errorem, in oppositum incidit errorem, asseverans, non dari „amorem desinteressatum", i. e. amorem, qui omnem excludat respectum ad bonum proprium.

Actum hujusmodi amoris preces s. Francisci Xaverii exprimunt: „O Deus, ego amo te; nec amo te, ut salves me; aut quia non amantes te, aeterno punis igne etc."

Gratitudo erga Deum.

Ex amore concupiscentiae ipso facto resultat *gratitudo erga Deum.* Distinguitur vero *virtus gratitudinis* et *amor gratitudinis. Gratitudo qua virtus* in eo consistit, ut Deo beneficia ab eo accepta pro viribus repensemus. *Objectum materiale* sunt actus gratitudinis, seu ipsa remuneratio; *objectum formale* est justitia in sensu lato, scilicet qua honestas et aequitas. Ex virtute gratitudinis procedit *amor gratitudinis,* qui est ille amor, quo Deum, quia nos amavit, redamemus. *Objectum materiale* est redamatio; *objectum formale* est Deus ipse, qua bonitas relativa, et ex altera parte aequitas et honestas — „quia vere dignum et justum est, aequum et salutare etc."

Actus speciales gratitudinis sunt: gratitudo cordis, i. e. gratitudo rationis, judicii, voluntatis et memoriae, gratitudo linguae, gratitudo operis.

3. Amor amicitiae.

3. ***Amor amicitiae:*** Caritas est vera hominis cum Deo amicitia. Est de fide. Etenim in s. Scriptura homines justi Deumque perfecte diligentes vocantur „amici Dei". Christus Dominus ad discipulos suos ait: „Vos amici mei estis, si feceritis, quae ego praecipio vobis";[2]) atqui sine caritate nequimus plene et perfecte servare et adimplere Dei praecepta, et sine caritate nihil, quod facimus, nobis prodest; ergo per caritatem efficimur amici Dei.[3])

III. Necessitas caritatis.

III. ***Necessitas caritatis:*** Caritatis necessitas in genere tanta est, ut sine caritate salus aeterna obtineri nequeat. In specie haec valent:

1. Caritas a Deo infusa seu caritas habitualis omnibus, et infantibus et adultis, necessaria est, atque semper fuit necessitate

---

[1]) Cfr. s. Thom. 2. 2. q. 17. a. 8. c. Reiffenstuel II. tr. 4. dist. 6. q. 1.
[2]) Joann. XV. 14. [3]) Cfr. Müller II. §. 21.

medii ad salutem. Est de fide, ut patet ex Tridentino.[1]) Sine infusione caritatis, nec peccatum remittitur, nec vita aeterna mereri potest.

2. *Actus caritatis omnibus adultis ratione utentibus necessarius est atque semper fuit necessitate medii ad salutem.* Est pariter de fide: „Qui non diligit, manet in morte.“[2])

3. *Actus caritatis necessarius est etiam necessitate praecepti.* Existit speciale praeceptum diligendi Deum super omnia, ut patet ex verbis Christi: „Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua: hoc est maximum et primum mandatum.“[3])

Praeceptum hoc, quatenus est *negativum,* prohibet, ne unquam Deum odio prosequamur, aut ulli creaturae eum postponamus, aliquid agendo, quod dissolvat amicitiam nostram cum ipso, peccando videlicet mortaliter.

Idem praeceptum, quatenus est *affirmativum*, praescribit, ut actus caritatis internos saepius eliciamus, porro ut mandata Dei observemus ad ejus amicitiam conservandam necessaria, secundum illud divini Salvatoris: „Qui habet mandata mea et servat ea, ille est, qui diligit me.“[4]) Non autem tenemur *semper* ex motivo caritatis agere, sufficit enim, ut operemur ex motivis aliarum virtutum, et actus caritatis *saepius* eliciamus.

Urget vero praeceptum actus caritatis eliciendi tum *per se,* quum *per accidens,* sicut praeceptum fidei et spei; patet ex variis damnatis propositionibus; sic Innocentius XI. damnavit propositionem n. 5. „An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei semel tantum in vita eliceret, condemnare non audemus;“ et propositionem n. 6. „Probabile est, ne singulis quidem rigorose quinquenniis per se obligare praeceptum caritatis erga Deum.“ S. Alphonsus illis accedit, qui actum caritatis semel in mense eliciendum esse arbitrantur.[5]) Et quidem in specie:

Hoc praeceptum *urget per se:*

a) *Initio usus rationis,* nempe quando puero satis proposita est divina Bonitas, super omnia propter se amabilis, ut communiter docent cum s. Thoma.

b) Probabilissime *in articulo mortis*, eo quod tunc securissima via eligenda est, et quod nullus absolute certus est, se esse in statu gratiae.

Urget per accidens:

a) Quando quis tenetur conteri, e. g. moriturus, aut celebraturus, si ipsi nempe confessarius desit; ratio, quia contritio includit actum caritatis.

b) Quando est periculum incidendi in odium Dei, vel in aliud grave peccatum, nisi caritatis actus eliciatur; nam qui tenetur ad finem, tenetur ad media necessaria.[6])

Ex his pro praxi resolvendum: Nota pro praxi.

---

[1]) Sess. VI. cap. 7 [2]) I. Joann. III. 14. [3]) Matth. XXII. 37. [4]) Joann. XIV. 21. [5]) H. A. tr. 4. n. 14. [6]) Cfr. s. Alph. L. II. 23.

α) Praecepto caritatis non satisfaciunt (etsi ignorantia saepe excusentur), qui in statu peccati mortalis per menses remanent. Neque satisfaciunt, si cum sola attritione Sacramentum Poenitentiae suscipiunt, quia attritio non attingit ad rationem verae caritatis.

β) Econtra facile tamen huic obligationi satisfaciunt, qui christiane vivunt; opus enim non est, ut hi actus reflexe et explicite fiant, cum intentione praecepto satisfaciendi, sed satis est, si exercite fiant, licet ex alio fine, nempe ad ejiciendam tentationem, ad eliciendam contritionem etc. Unde huic praecepto satisfaciunt fideles, *gaudendo* de Dei perfectionibus, quia ipsi bonae sunt, deque honore, qui Deo a creaturis exhibetur; *desiderando,* ut nullus eum offendat, ut potius omnes eum cognoscant et diligant ejusque mandata observent; orando devote: „Sanctificetur nomen tuum, fiat voluntas tua“ etc.; porro *vitando peccatum*, quia Deo displicet; *bonum opus faciendo*, quia hoc vult Deus et ipsi placet.

Unde in praxi non anxii sint de hac obligatione, qui student vitae vere christianae, qui diligenter et devote orant, promptamque voluntatem habent, peccata saltem gravia vitandi; sic enim jam implent praeceptum caritatis. *Suadendum tamen est* fidelibus, saepe explicitos caritatis actus elicere in vita, ut magis magisque Deo conjungantur, atque parati existant ad similes actus in morte facile eliciendos.

IV. Dotes caritatis.

IV. ***Dotes caritatis:*** Ut officium caritatis erga Deum rite et recte impleatur, caritas sequentibus dotibus vestita esse debet: Debet scilicet esse:

1. Rationalis seu spiritualis.

1. Rationalis vel spiritualis. Non quaecunque suavis cordis affectio charactere legitimi amoris insignitur, sed hunc in finem requiritur, ut non merus sensus, sed *spiritus* seu animus rationalis Deo sese devoveat, utque hanc devotionem internam, etiam per actus convenientes testemur. Attamen amor sensualis seu pathologicus omnino repudiandus nequaquam est, sed cum vera et rationali caritate facillime componi potest. Unde etiam sententia contraria Michaelis Molinos: „Totum sensibile, quod experimur in vita spirituali, est abominabile, spurcum et immundum,“ expresse damnata est.

2. Filialis.

2. *Filialis;* tunc tantum religionis nostrae genio apprime convenit; „Non enim accepistis,“ ait Apostolus, „spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba! Pater.“[1])

3. Appretiative summa.

3. *Appretiative summa*, i. e. talis animi dispositio, ut malimus quamcunque rerum, imo et ipsius vitae jacturam subire, quam Deum peccato, praesertim gravi offendere. At necesse non est, ut caritas sit etiam *intensive summa*, quo nomine eam caritatem significant, qua omnes animi nostri affectus et totus mentis captus modo perfectissimo penetrantur et explentur. Nam cum sensiones

---

[1]) Rom. VIII. 15.

ex nostro arbitrio haud pendeant, caritas *intensive summa* imperari nequit. Unde peccatum non est, si quis patrem aut matrem aut aliam creaturam intensiore amore diligat quam Deum, modo Deum appretiative super omnia diligat.[1])

4. *Efficax seu practica*, seu benevolentia transire debet in beneficentiam, ita ut „non diligamus verbo neque lingua, sed opere et veritate".[2]) Et generatim quidem hunc in finem requiritur, ut divinae voluntati, praesertim sub gravi obliganti, in omnibus obtemperemus.[3]) — S. Paulus diversos modos, quibus caritas se manifestare debet, his verbis exhibet: „Caritas patiens est, benigna est; caritas non aemulatur, non agit perperam; non inflatur, non est ambitiosa, non quaerit, quae sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati; omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.[4]) 4. Efficax seu practica.

§. 6. Peccata contra caritatem erga Deum.

Inter officia hominis christiani summam caritatem, qua in Deum feratur, primas tenere partes, ex dictis certum definitumque est. Hinc etiam quilibet speciali praecepto affirmativo obligatur, ut Deum ex toto corde etc. diligat, frequenterque actus caritatis eliciat. Unde contra hoc gravissimum officium praeprimis peccatur per *omissionem actus caritatis*, quando ex obligatione elici debet.

Praeter peccata omissionis contra praeceptum affirmativum caritatis divinae, alia sunt, quibus hoc gravissimum officium violatur.

Generatim *quodlibet peccatum mortale* aliquo modo contra caritatem est, et caritatis virtutem destruit atque expellit; ratio est, quia, qui graviter peccat, *Deum ut summum bonum virtualiter et interpretative abjicit*, adeoque formale objectum caritatis laedit; dein quia, cum caritas amicitia sit inter Deum et hominem, quilibet, qui graviter Deum offendit, ex parte sua hanc amicitiam solvit ac proin divinum illud vinculum (demeritorie) destruit.[5])

Sunt tamen quaedam peccata, quae *specialiter et directe* caritati divinae repugnant, et quidem sequentia.

1. ***Odium Dei.*** *Odium* in genere est actus, quo alicui malum volumus; et est duplex: *odium abominationis*, et *odium inimicitiae*. 1. Odium Dei.

a) Odium abominationis seu rei (quod adversatur amori concupiscentiae), consistit in eo, quod nolumus (aversamur) rem tamquam malam in se, vel nobis malam. a) Odium abominationis.

Odium abominationis erga Deum est ergo affectus malignus, quo quis Deum aversatur, quatenus in eo reputat aliquid ut sibi malum seu contrarium; ut e. g. si quis Deo indignatur,

---

[1]) Cfr. s. Thom. 2. 2. q. 27. a. 3. [2]) I. Joann. III. 18. [3]) Cfr. I. Joann. V. 3. [4]) I. Cor. XIII. 4.—7. Cfr. etiam s. Alph. l. c. Reiffenstuel I. tr. 4. dist. 6. Billuart tom. 8. tr. de caritate. Lehmkuhl I. n. 314.—325. Marc I. n. 465.—474. Müller II. §. 17.—23. [5]) S. Thom. 2. 2. q. 24. a. 12.

quia prohibuit peccata, vel gehennam minatur, vel adversitates immittit.

b) Odium inimicitiae.

b) Odium inimicitiae seu personae (quod opponitur amori benevolentiae seu amicitiae) in eo consistit, quod alicui personae volumus malum, quatenus ipsi malum est.

Odium inimicitiae erga Deum in eo situm est, quod quis Deo vult malum. Et hoc odium duplex esse potest

α) affectivum, si quis *contristatur* de eo, quod Deus e. g. est omniscius, omnipotens, justus etc. (qui actus gaudio de bonis Dei intrinsecis repugnat); porro, si quis *optat*, ut Deus non sit, vel ut non sit omniscius, omnipotens etc.; vel ut ordo moralis a Deo stabilitus immutetur, Ecclesia Christi eradicetur etc. (qui actus desiderio boni divini repugnat).

β) Effectivum, quando quis ex Dei aversione attentat, quae ad Dei gloriam sunt, destruere vel impedire, ut e. g. Ecclesiam Christi persequendo, opprimendo, uti est odium Francomuratorum.

Uti ex dictis patet, odium vel *immediate*, vel *mediate* in Deum tendere potest, sic e. g. odium sacerdotii est mediate odium Dei.

Odium Dei, praecipue si non solum abominationem sed etiam inimicitiam formaliter contra Deum homo animo volvit, *est peccatum omnium gravissimum ac vere diabolicum*, ideoque, ut evidens est, *non admittit parvitatem materiae*, sed ex sola actus imperfectione, seu defectu plenae libertatis veniale fieri potest.

Insuper *odium Dei est maxime contra naturam hominis*, quia repugnat dilectioni Dei, diligere autem, et imprimis diligere bonum summum et infinitum, quod Deus est, maxime est naturale homini; atque ideo Dei odium est ultimum vitium, in quod homo peccando solet devenire.[1]) Proh dolor! aetas nostra revera hucusque devenit!

2. Contemptus Dei formalis.

2. ***Contemptus Dei formalis***, quod peccatum directe contra aestimationem Deo debitam est, et hinc ut odium Dei gravissimum peccatum sine parvitate materiae evadit. — Equidem omne peccatum aliquem Dei contemptum involvit. Sed praeter hunc interpretativum seu materialem, practicum contemptum Dei, datur etiam alius, quem *formalem* dicunt, nempe dum quis Deum directe contemnit et respuit. Hic formalis Dei contemptus tantae atrocitatis est, ut in regno impietatis non tam peccatum, quam potius monstrum atque portentum malitiae vocari debeat. Hujus criminis rei sunt: qui directe et proxime Deum ac Unigenitum ipsius Filium abhorrent; quidquid de Deo et Jesu Christo dicitur, cum nausea aspernantur, ipsius consiliis pro viribus se opponunt, imo hunc Divinitatis contemptum sibi honori ducunt, et, dummodo possent, ad regnum divinum funditus evertendum parati forent. Multo adhuc frequentius formalis Dei contemptus *remotius* exercetur;

---

[1]) Cfr. s. Thom. 2. 2. q. 34. a. 5.

dum scilicet homines a Deo aversi, de cultu ipsi adhibito tristantur, eundem impedire satagunt, divina mysteria et sacerdotium omni modo contemnunt, sacra rident etc.

3. ***Acedia,*** quae opponitur gaudio de bono divino; acedia *in genere* idem sonat ac desidia seu pigritia, et est torpor animi in virtutum exercitio, ob laborem ei adjunctum. — Acedia *stricte sumpta,* est tristitia ac taedium de divina amicitia, eo quod per virtutum exercitia laboriosa servari debeat, et sic amicitiam illam non curat.[1]) 3. Acedia.

Acedia in hoc sensu sumpta est contra caritatem, quae quippe de bonis a Deo communicatis gaudet, iisque ad Dei honorem fervide utitur.

Acedia in sensu lato sumpta est *per se peccatum veniale,* sed disponens proxime ad mortale. Sed est *mortale,* quando omittitur praeceptum obligans sub gravi, e. g. auditio Missae die dominica, recitatio Breviarii etc., sed constituit unum peccatum cum ipsa omissione.

Acedia sensu stricto accepta est *peccatum mortale ex genere suo;* ratio est, quia caritati Dei plane repugnat, cum per eam parvipendatur amicitia divina et aeterna beatitudo.[2]) Hinc e. g. graviter peccat, qui plena deliberatione dolet de gratia suae conversionis ad catholicam fidem, vel de gratia vocationis ad Sacerdotium vel ad statum religiosum, quia nimis onorosas reputat obligationes susceptas.

Acedia in sensu stricto accepta, ex nimio rerum temporalium affectu, vel etiam ex ingratitudine, quae quippe bona a Deo accepta vilipendit, originem ducit. Ipsa autem rursus aliis vitiis dat originem, seu est *vitium capitale,* ex quo, teste s. Gregorio[3]), sequentes filiae enascuntur:

α) *Odium rerum spiritualium,* quo quis nempe aversatur bona spiritualia secundum se; vellet ea non esse, cuperet non fuisse natum, non agnovisse Christum etc. est ex genere suo mortale. Filiae acediae.

β) *Pusillanimitas* erga omnia bona spiritualia ut ardua, ea fugiendo, ab eis se subtrahendo; est de se veniale, exclusa transgressione gravis praecepti.

γ) *Desperatio* de superandis difficultatibus, ideoque de consequenda salute, est de se mortale, uti jam dictum est.

δ) *Rancor seu indignatio* adversus eos, qui hortantur ad virtutem et spiritualia, ut confessarii etc. est peccatum de se veniale, nisi conjungatur cum odio.

ε) *Evagatio mentis* in oratione aliisque exercitiis spiritualibus; est mortalis, si mens voluntarie adhaeret graviter illicitis; secus est venialis.

ζ) *Torpor,* cum bona fiunt non cum debita diligentia debitoque fervore; est veniale.

Remedia acediae sunt: continua cogitatio de bonis divinis, Remedia acediae.

---

[1]) Cfr. s. Alphons. L. V. 84. [2]) Cfr. s. Alph. L. V. 84. 2°. [3]) Moral. L. 8. c. 5. et 6.

piae lectiones ac meditationes, frequens confessio, et praesertim Exercitia spiritualia in totali recessu peragenda.

4. Ingratitudo erga Deum.

4. ***Ingratitudo erga Deum,*** quae consistit in eo, ut quis bona a Deo accepta vilipendat. Est vel *materialis*, vel *formalis*. *Ingratitudo materialis* est quaelibet omissio boni et commissio mali; est mortale vel veniale, prout omissio vel commissio est gravis vel levis. — *Ingratitudo formalis* est contemptus Benefactoris qua talis, et est vel *privativa*, i. e. omissio gratitudinis ex contemptu, est peccatum mortale; vel *positiva*, i. e. repensio mali pro bono, sive opere, sive ore, sive corde. Est per se peccatum mortale, per accidens veniale. — Ingratitudo formalis est speciale peccatum et specifice distinctum ab ingratitudine materiali.

5. Peccata contra dotes caritatis.

5. ***Restant plura alia peccata, quae singulis dotibus caritatis opposita sunt,*** et quidem:

a) *Contra „rationalem seu spiritualem“* caritatem est *amor mere pathologicus seu sentimentalis*, uti est amor eorum, qui animae sentientis affectu tantum, non mentis animique destinatione Deo se addicunt; vel qui officio suo satisfecisse se existimant, dummodo piis suspiriis desideriisque, multis precationibus, aliisque actibus cultus externi sese dederint; verba et lingua magis, quam opere et veritate Deo servientes. Porro: *Pietismus* seu *pathologia theoretica; Pseudomysticismus* et *Spiritualismus.*

b) *Contra caritatem „filialem“*, est *servilitas animi*, i. e. ea dispositio animi, qua amor purus excluditur; uti est e. g. sentiendi et agendi ratio eorum, qui sibi solum temperant, quominus quae graviter prohibita sunt, committant, sed parum solliciti, ne Deum levioribus culpis saepissime offendant.

c) *Contra caritatem „appretiative summam“* est *amor angustus*, sic dicta „opferscheue Liebe“.

d) Contra caritatem „efficacem“ est *amor sterilis.*[1])

Articulus II.

Officia erga Deum externa.

Praenotanda.

Fide, spe et caritate, de quibus in priori Articulo disseruimus, interna Religionis Summa absolvitur. Ast decet omnino, ut interna illa animi pii sensa etiam actibus quibusdam externis prodantur et demonstrentur, quibus scilicet illa tum in nobismetipsis alantur et foveantur, tum in aliis quoque excitentur et promoveantur. Atque in his ipsis actibus, seu externis et sat aptis Religionis internae signis, ejusque servandae mediis, *Religio externa* consistit; quae proinde omnia officia hominis erga Deum externa complectitur. Hinc nobis praeprimis de Religione externa in genere, et dein de singulis ejusdem actibus in specie agendum est.

---

[1]) Cfr. citatos Auctores et Stapf-Hofmann I. §. 125.

§. 7. De virtute Religionis.

I. ***Notio Religionis:*** Nomen Religionis a *religando* dictum est, eo quod nos Omnipotenti Deo religet seu adstringet, juxta illud s. Augustini: „Religet nos Religio uni Omnipotenti Deo.“[1]) Alii etiam aliam hujus nominis derivationem assignant, dum volunt cum s. Isidoro, Religionem dici a *relegendo*, quod ea, quae ad cultum divinum pertinent, saepius sint animo relegenda seu revolvenda; vel a *reeligendo,* quod per eam Deum, quem per peccatum rejecimus, rursum eligamus seu reeligamus. I. Notio Religionis.

Sumitur vero Religio tripliciter:

a) Pro *virtute,* qua debitum Deo cultum exhibemus.

b) *pro formula cultus divini* omnibus communi, per quam mancipantur homines obsequio divino, quantum praecise necessarium est ad salutem consequendam; sic dicitur Religio christiana, Religio catholica.

c) *Pro statu eorum,* qui totam vitam suam divino cultui dedicant, sub certa regula ab Ecclesia approbata, quique „Religiosi“ *κατεξοχεν* dici solent; in hoc sensu dicitur e. g. Religio seraphica, Religio s. Dominici etc.

In proposito tamen Religio sumitur qua *Virtus* et definitur: *Virtus moralis, inclinans hominem ad debitum cultum Deo, ut primo omnium Principio et supremo Domino, exhibendum.* Definitio.

Objectum materiale Religionis est ipsemet debitus cultus Deo exhibendus, sub quo intelligitur honor, sub quadam animi reverentia et submissione Deo exhibendus, tamquam omnium rerum Principio ac Domino.[2]) Objectum materiale.

Objectum formale, seu specialis ratio, sub qua haec virtus in objectum suum materiale tendit, est specialis honestas et convenientia, quae in illo cultu deprehenditur, ob summam nempe Dei excellentiam. Objectum formale.

II. ***Momentum Religionis:*** II. Momentum Religionis.

a) *Religio est vera virtus;* nam virtus est, quae bonum facit habentem et ejus opus bonum reddit; atqui exhibere Deo honorem et cultum, qui ei debetur ut supremo creationis et gubernationis principio, et propter excellentiam singularem Majestatis ejus, quod est Religionis proprium, est bonum et optimum.

b) *Religio est virtus unica,* quia objectum ejus formale est unum, nempe exhibere cultum uni Deo.

c) *Religio est virtus specialis ab aliis distincta,* quia ejus objectum formale est distinctum ab objectis aliarum virtutum. Sed licet Religio sit virtus specialis, potest tamen lato sensu dici generalis, tum quia utitur actibus aliarum virtutum, quos imperat, in ordine ad suum objectum, quo sensu dicitur, quod

---

[1]) Lib. de vera Religione circa finem. [2]) Cfr. s. Thom. 2. 2. q. 83. a. 3. c.

visitare pupillos et viduas sit religio munda,[1]) quia tales actus imperantur a Religione et diriguntur ad divinam reverentiam; tum quia ad actum Religionis exiguntur multae aliae virtutes, ut fides, qua cognoscitur divina excellentia, caritas, qua ei bene afficitur.

d) *Religio non est virtus theologica, sed moralis;* quia Deus non est objectum immediatum Religionis, sed finis cui dumtaxat, seu objectum mediatum. *Est tamen Religio virtutibus theologicis valde affinis,* quia licet non immediate, mediate tamen ad Deum tendit, nempe per cultum, quem ipsi offert; insuper Religio est quaedam protestatio fidei, spei et caritatis, uti s. Thomas[2]) dicit, sicque intime cum his virtutibus conjungitur, et post virtutes theologicas primum locum tenet.

e) *Praeeminet vero Religio inter omnes virtutes morales*, et est omnium praestantissima. Ita Doctores communiter cum s. Thoma. Ratio est, quia excellentia virtutum desumitur ex praestantia objecti ac modi, illud attingendi; atqui Religio post virtutes theologicas habet objectum praestantissimum, videlicet debitum cultum Deo exhibendum; simulque magis de propinquo accedit ad Deum, tamquam ultimum finem nostrum.

III. Necessitas Religionis.

III. ***Necessitas virtutis Religionis:*** Virtus Religionis est omnino necessaria; nam nos ad Deum super omnia colendum obligari, jam ex notione Dei nostraque relatione ad ipsum satis perspicitur.

Et quidem Deo *triplicem cultum debemus: internum, externum* et *publicum.* Est de fide

1. Cultus internus.

1. Deo internum cultum debemus; seu talem, qui solis animi sensibus peragitur, cujusmodi ille est, qui actibus fidei, spei et caritatis, gratiarum actionis etc. prout a virtute Religionis imperantur, exhibetur. Christus ipse enim dicit: „Spiritus est Deus, et eos, qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare.“[3]) Accedit ratio: homo a Deo animam, omnesque animae potentias habet, ergo certe tenetur pium animae obsequium Deo referre.

2. Cultus externus.

2. Deo cultum externum debemus; nam in divino cultu necesse est aliquibus corporalibus uti, ut eis quasi signis mens hominis excitetur ad spirituales actus, quibus Deo conjungitur. Homo constat corpore et anima; ergo necesse est, ut utraque parte Deo serviat, sicque canere possit cum Propheta: „*Cor* meum et *caro* mea exultaverunt in Deum vivum.“ Probatur ex praxi omnium saeculorum fundata in s.s. Scripturis, uti ex tot caeremoniis legalibus in veteri Testamento praeceptis; porro ex variis locis novi Testamenti: Paulus „positis genibus orabat“; similiter Stephanus et Petrus; imo ipse Christus „Positis genibus orabat“; et ex Matthaeo liquet, ipsum adhibuisse orationem vocalem, dum dicitur: „Hymno dicto exierunt in montem;“ et alibi. Ratio theologica est, quia Deus est totius hominis auctor, ergo dignum et justum est, ut

[1]) Jacob. I. [2]) 2. 2. q. 101 a. 3. ad 1. [3]) 2. 2. q. 81. a. 6.

homo totus, i. e. mente et corpore, suam Deo reverentiam et submissionem contestetur.[1])

3. *Deo cultum publicum debemus:* Christus Dominus certo vult cultum publicum seu communem, quia tum Sacramenta, tum Sacrificium Missae instituit, addito mandato: „Hoc facite ad meam commemorationem“.[2]) Hinc etiam Ecclesia nunquam non cultum Dei multis institutionibus promovere atque fideles ad eum peragendum sua auctoritate et expressis legibus movere studuit. Unde etiam jam in Ecclesiae primordiis talem cultum viguisse conspicimus; tantusque tunc temporis fidelium fervor erat, ut tempore persecutionis nec calumniis, nec violentiis a frequentatione sacrorum conventuum deterreri potuerint, cumque publice eos celebrare prohiberentur, nocturno tempore in locis subterraneis, in Catacombis, ad cultum Dei pervenirent. 3. Cultus publicus.

Quapropter doctrinae Beguardorum, Beguinarum et Michaelis Molinos, contrarium asserentes, ab Ecclesia jure meritoque condemnatae sunt.[3])

IV. ***Actus Religionis:*** Actus religiosi a virtute Religionis vel *eliciuntur*, vel tantum *imperantur*. IV. Actus Religionis.

1. *Actus eliciti* Religionis juxta s. Thomam[4]) sunt: Devotio, oratio, adoratio, sacrificium, oblationes, primitiae, decimae, votum, juramentum, adjuratio, laus Dei. — Neque immerito hi actus virtuti Religionis, et quidem in sensu stricto, tribuuntur; hujus enim virtutis est, operari ea, quae pertinent ad divinum cultum vel famulatum, protestando scilicet vel Dei excellentiam et honorem, vel hominis subjectionem ad Deum. Id autem perficitur: 1. Actus eliciti.

a) Per actus, quibus *Deo* offeruntur *ea, quae sunt hominis,* videlicet: bonum animae, per devotionem et orationem; bonum corporis, per adorationem, quam exprimunt genuflexiones, prostrationes etc.; bonum quodvis externum, per sacrificia, oblationes, primitias, decimas, aut promissiones Deo factas seu vota.

b) Per actus, quibus homo *ea, quae Dei sunt,* in Dei honorem *assumit,* i. e. per juramentum, adjurationem et laudem Dei; quo spectat etiam sanctificatio Festorum, usus Sacramentorum et Sacramentalium.

2. *Actus imperati Religionis* sunt omnes actus, qui ab alia virtute eliciuntur, et simul ex motivo Religionis perficiuntur, seu ad Dei cultum et honorem diriguntur. Sic e. g. jejunia in honorem Dei vel Sanctorum suscepta, aut ab Ecclesia in praeparationem ad solemnitates ordinata, sunt actus a temperantia eliciti, imperati autem a Religione.[5]) 2. Actus imperati.

Nota: Actus Religionis etiam distingui possunt in *ordinarios* et *extraordinarios. Ordinarios* illos dicimus, qui communiter et ordinarie omnes obligant, et sunt: devotio, adoratio, oratio, Nota

---

[1]) Cfr. Müller II. §. 40. [2]) Luc. XXII. 19. [3]) Cfr. inter sentent. ab Innocentio XI. damnatas n.n. 33., 34., 35., 40., 60. [4]) 2. 2. q. 82. et sqq. q. 87. a. 1. ad 5. [5]) Cfr. Marc I. n. 532.

sacrificium, sanctificatio quorundam dierum, cultus privatus seu domesticus et usus Sacramentorum. *Extraordinarios* illos nominamus, qui ordinarie non obligant, seu qui rarius, et non nisi singulari rerum conditione urgente obtinent, dum actus ordinarii quasi quotidiani et communes omnium sunt. — Et hanc distinctionem nos sequimur in sequentibus, agentes primo de actibus ordinariis, et dein de actibus extraordinariis Religionis.

A. Actus Religionis ordinarii.

§. 8. Devotio.

I. Notio devotionis.

1. ***Notio devotionis:*** Devotio dicitur a devovendo. Unde devoti dicuntur, qui seipsos quodam modo Deo devovent, ut ei se totaliter subdant. Hinc olim apud Gentiles devoti dicebantur, qui seipsos Idolis devovebant in mortem pro salute sui exercitus, sicut de duobus Deciis Titus Livius narrat.

Non itaque sumitur hic devotio pro fervore delectante, qui sentitur interdum in oratione. Sed devotio a s. Thoma sic definitur: Est quaedam „*actualis voluntas, prompte tradendi se ad ea, quae pertinent ad Dei famulatum.*“[1])

Juxta hanc definitionem ergo tria ad veram devotionem constituendam concurrere debent:

a) *Voluntas*, et quidem firma, constans, generosa; non enim qui brevi et cito deficiente aliquo pio affectu interdum movetur, *devotus* appellari potest.

b) Quaedam *alacritas* seu *promptitudo* ad exequenda scilicet ea omnia, quae sunt divini cultus,

c) Quaedam *delectatio*, *suavitas* et *gustus spiritualis*, qui efficit, ut libentissime, qui ea affectus est, se tradat ad omnia illa obsequia divini cultus obsequenda.

Dari ejusmodi delectationem, suavitatem gustumque spiritualem, quam Theologi mystici *consolationem spiritualem* vocant, ex promptitudine provenientem, tum s.s. Literae,[2]) tum s.s. Patres, tum vel ipsa experientia docent.

Sed notandum est, hanc delectationem et suavitatem *ad essentiam devotionis minime pertinere*, atque hominem, in summa etiam spiritus ariditate constitutum, bene posse devotum esse; sed hic gustus spiritualis est quoddam *accidentale devotionis;* hinc est, quod s. Thomas eam recenseat uti effectum devotionis, vocetque spiritualem laetitiam.[3])

Ex dictis patet, quod *devotio est actus fundamentalis totius* Religionis, quasi lapis angularis et anima Religionis. Est per se quidem actus internus, sed dici potest simul externus ex eo, quod vera devotio necessario ad actus externos cultus divini transire

---

[1]) 2. 2. q. 82. a. 1. [2]) Cfr. Ps. LXXXIII. 3. et CXVIII. 30. [3]) 2. 2. q. 82. a. 4.

debet. Est quodammodo pons, per quem religio interna ad religionem externam transit, — utramque conjungens.

II. ***Distinctio devotionis verae a falsa.*** Devotio vera a falsa triplici modo secernitur: II. Devotio vera et falsa.

a) *Principium devotionis est caritas;* nam alacritas animi et promptitudo ad ea suscipienda, quae Deo placent, non potest nisi a caritate proficisci. Unde devotio eo est purior atque ardentior, quo magis aliquis in caritate proficit. a) Principium devotionis.

Principium devotionis falsae econtra est *inordinatus sui amor,* vi cujus falsi devoti magis suavitatem in devotione sectantur, qua delectantur et placent sibi, quam veram virtutem, qua perficiantur et placeant Deo.

b) *Regula verae devotionis est voluntas divina,* quia devotio est voluntas tradendi se prompte ad ea, quae ad cultum et ad omnem Dei famulatum pertinent. Ex quo sequitur, veram devotionem, tametsi in se unam, variam tamen esse pro variis hominum conditionibus et professionibus; ut enim a divina voluntate sunt variae humanae societatis conditiones et officia, ita vera devotio efficit, ut unusquisque propriae conditionis munera propter Deum diligat ac sedulo exequatur. b) Regula devotionis.

Unde falsa devotione laborant, qui pietatem a virtute divellunt, qui scilicet orationum, divini verbi, Sacramentorum, rerumque divinarum omnium frequentia et assiduitate maxime delectantur, eodemque tempore vel avaritiae vel invidiae vel irae, vel detractioni se dedunt, aliisque cupiditatibus habenas liberas permittunt, atque adversa quaelibet pro Christi nomine perferre detrectant.

c) *Scopus verae devotionis est Dei gloria;* qui enim Deum sincere diligit summo amore, Dei excellentiam diligit, ac propterea vehementer cupit non se, sed Deum per omnia glorificari. Ex quo sequitur, tum devotionem esse actum virtutis religionis, tum ipsam in humilitate fundari. c) Scopus devotionis.

Falsa ergo devotione laborant, qui evangelici Pharisaei exemplo apud se dicunt: „non sum, sicut caeteri homines;“ qui scilicet propriae paupertatis et infirmitatis obliti, de se praesumunt; cuncta opera sua faciunt, ut videantur ab hominibus, amant primas cathedras in synagogis et salutationes in foro, seque spirituales existimantes, omnia judicant, nolentes se a quopiam judicari, hinc caeteros passim contemnunt et damnant. Hujusmodi se gloriari quidem possunt de pharisaica devotione, minime vero de christiana.

III. ***Causa devotionis:*** S. Thomas duplicem causam devotionis assignat: III. Causa devotionis.

a) *Causam extrinsecam,* nempe Deum, omnium bonarum voluntatum largitorem, a quo proinde enixis precibus devotionem petere necesse est; a) Causa extrinseca.

b) *causam intrinsecam,* quae est sedula meditatio ac frequens consideratio earum veritatum, quae pertinent tum ad divinam bonitatem, tum ad propriam infirmitatem cognoscendam. Quo b) Causa intrinseca.

magis homo in rerum divinarum, suaeque ipsius infirmitatis meditatione defixus versabitur, eo magis in humilitate et caritate proficiet, quae sunt quasi partes, ex quibus vera devotio coalescit.

IV. Effectus devotionis.

IV. ***Effectus devotionis:*** *Effectus primarius* et per se devotionis est *laetitia; secundarius et per accidens tristitia;* ratio est, quia devotio principaliter procedit ex consideratione divinae bonitatis et beneficiorum ejus; ex ista autem consideratione per se quidem sequitur delectatio; juxta illud Psalmistae: „Memor fui Dei, et delectatus sum.“ [1])

Per accidens, tristitia, quod nimirum adhuc peregrinamur a Domino, et tantis ejus beneficiis simus ingrati. Secundarie vero devotio procedit ex consideratione nostrae infirmitatis, quae apta est per se causare tristitiam recogitando proprios defectus; per accidens vero laetitiam, propter spem divinae subventionis.

Ultimo notandum, quod devotio, licet in se sit una, multiplex tamen dici potest respectu objectorum divini cultus, ad quae refertur, quamvis ultimo devotio omnis ad Deum ipsum redundet; unde e. g. distinguitur devotio erga dulcissimum Cor Jesu, erga sanctissimum Sacramentum, erga B. V. Mariam vel Sanctos etc. Sed si haec devotio significat ipsum cultum, Deo vel Sanctis exhibitum, plane non differt ab *adoratione,* de qua infra sermo occurret. [2])

Nota.

Nota: In sensu latissimo sumpta, devotio etiam *sanctitas* audit. S. Thomas sanctitatem, in quantum est virtus, sic definit: „Est virtus, per quam hominis mens se ipsam et suos actus applicat Deo.“ [3])

§. 9. Adoratio.

I. Notio adorationis.

I. ***Notio adorationis:*** *Adoratio in genere est actus, quo quis alteri se submittit in recognitionem ejus excellentiae.* Quia vero varia sunt excellentiarum genera, hinc pariter diversae distinguuntur adorationis species. Potissimum vero tres distinguuntur species excellentiae, nempe:

a) *Excellentia divina et infinita*, cui respondet cultus, qui a Theologis dicitur „*Latriae*“.

b) *Excellentia humana, seu naturalis creata*, quae posita est in humana dignitate, virtute, scientia etc.; cui respondet *cultus civilis* seu *observantia humana.*

c) *Excellentia creata supernaturalis,* quae est quaedam media inter divinam et humanam, qualis est gratia, virtus et gloria Sanctorum, cui respondet cultus, quem Theologi vocant *Duliam.*

Et quia inter Sanctos singulariter excellit B. V. Maria, ideo Theologi hanc tertiam speciem, quam vocant Duliam, dividunt in *Duliam proprie dictam,* quae Angelis et Sanctis convenit, et in *Hyperduliam,* quae B. V. Mariae tribuitur.

---

[1]) Ps LXXVI. 4. [2]) Cfr. Müller II. §. 41.—44. Perrone Praelect. theol. n. 38.—45. [3]) Cfr. Billuart XII. diss. II. S. Thom. 2. 2. q. 81. a. 8.

II. ***Signa cultus exterioris*** *sunt duplicis generis. Alia sunt propria Latriae*, soli Deo debita, e. g. offerre Sacrificium. II. Signa cultus exterioris.

Alia sunt indifferentia, ut capitis inclinatio, genuflexio, incensum; quae ad certum cultum determinantur intentione agentis. Haec enim, si fiant Deo, pertinent ad cultum Latriae; si B. V. M., ad cultum Hyperduliae, si Sanctis, ad Duliam, si Regi vel alii homini, ad observantiam humanam.

Ceterum adoratio secundum se non importat actum externum seu corporalem, nam anima adorationis est interior animi affectus; Angeli e. g. sola mente adorant. Prout tamen convenit nobis, qui ex duplici natura sumus compositi, intellectuali scilicet et corporali, *duplex est adoratio. una spiritualis,* quae consistit in interiori mentis devotione, qua summam Dei excellentiam veneratur, eique se subjicit; *altera corporalis,* quae consistit in exteriori corporis humiliatione protestativa talis excellentiae, et nostrae ad eam submissionis, e. g. genuflexione, prostratione, capitis inclinatione etc. In hoc sensu potest adoratio dici: „Actus externus Religionis, quo per convenientem aliquem corporis gestum aut ritum profitemur nostram subjectionem erga Deum, uti summum omnium Dominum, atque adeo tribuimus ei divinum honorem.

Denique ratione finis intenti cultus est: *absolutus,* si alicui tribuitur ob ei inhaerentem excellentiam, e. g. Deo, vel Sanctis ob eorum dignitatem; *respectivus* seu *relativus,* si tribuitur vel personae, vel rei inanimatae, ob relationem, quam habet cum aliqua persona honore digna; e. g. famulo, intuitu domini, statuae vel imagini intuitu prototypi.

Insuper cultus externus est vel *publicus* vel *privatus. Publicus* seu *liturgicus* ille est, qui exhibetur nomine et auctoritate Ecclesiae, et in forma ab ea praescripta. *Privatus,* cui una ex his conditionibus deest; sic e. g. laicus, divinum Officium recitans, cultum tantum privatum exhibet, quia non agit nomine et auctoritate Ecclesiae. Econtra est cultus publicus, licet Subdiaconus Officium divinum privatim persolvat, quia agit nomine Ecclesiae, et in forma ab ea praescripta.[1])

Nota: Forma ab Ecclesia praescripta duo comprehendit:

α) Verba, quae sunt vel *a Deo,* ut Psalmi, lectiones s. Scripturae et forma Sacramentorum; vel ab *Ecclesia,* ut Collectae, Hymni etc.

β) Ritum, seu actionem liturgicam, quae iterum est vel a Christo Domino, ut ritus essentialis Sacrificii Missae et materia Sacramentorum; vel ab Ecclesia, ut varii gestus, inclinationes capitis, genuflexiones etc. — Utrumque ex libris liturgicis et ex Decretis S. C. Rituum petendum est, et nunquam lingua vulgaris adhibenda est.[2])

---

[1]) Konings n. 322. [2]) Cfr. Conc. Trid. Sess. XXII. cap. 8. et can. 9. propos. 86. damn. Quesnelli. Bulla „Auctorem fidei" prop. 33.

III. Species cultus.

III. ***Species cultus*** sunt ergo: *Latria*, *Hyperdulia* et *Dulia.*

1. Latria.

1. Cultus Latriae Deo debetur tum *ex jure naturae*, ob summam ipsius excellentiam atque supremum in creaturas dominium; tum *ex jure positivo divino,* ut constat ex innumeris s. Scripturae locis.

Uti ex dogmatica constat, cultu latriae etiam humana Christi natura adoranda est propter unionem hypostaticam humanitatis Christi cum ejus divinitate. Idem consequenter valet de S. S. Corde Jesu.

Ex praescripto Concilii Tridentini[1]) *imagines Christi* (ut et B. V. M. et Sanctorum) in templis praesertim sunt habendae et colendae, ita tamen, ut per imagines, quas colimus, Christum ipsum adoremus. Similiter *Cruci dominicae* ipsi, necnon *ejus imagini* cultus religiosus debetur, scilicet adoratio relativa, ipso Christo exhibita.

Porro notandum, quod *Reliquiae crucis verae* D. N. J. C. non debent promiscue cum Sanctorum reliquiis reponi, sed in thecis separatis collocandae sunt, uti constat ex Respons. Congr. Indulg. 22. Februarii 1847.

Si Reliquia s. Crucis super altare fuerit exposita, transeuntes ante illam *unico genu usque ad terram flexo* venerari debent, ut decretum est anno 1746. — Sola vero capitis inclinatione, si praefata Reliquia recondita sit in custodia, ut patet ex Decreto C. R. 18. Febr. 1843.

3. Hyperdulia.

2. *Cultus Hyperduliae* merito debetur B. V. Mariae ob singularem ac prorsus ineffabilem excellentiam, qua omnes Angelos et Sanctos superat, atque filio suo simillima ac propinquissima existit. Plura de Beatissimae Virginis praerogativis, quae eam cultu Hyperduliae omnino dignam reddunt, docet Dogmatica.

2. Dulia.

3. *Cultus Duliae:* Consistit in Sanctorum veneratione et invocatione. Est enim de fide definitum a Concilio Nicaeno II.[2]) et a Tridentino,[3]) omnes Sanctos esse veneratione aliqua adorandos seu colendos. Ratio autem, Sanctos cultu religioso prosequendi triplex assignari potest:

a) *Sanctos praeprimis propter Deum colimus* ac veneramur, quatenus scilicet amici Dei, et perpetua caritate cum ipso conjuncti sunt.

b) *Sanctos in coelo etiam propter semetipsos colimus* ac honoramus. Etenim insigniti sunt corona gratiae et justitiae, quam sibi ex glorioso certamine meruerunt.

c) *Sanctos tandem etiam propter nosmetipsos colimus.* Etenim Concilium Tridentinum[4]) docet: „Bonum et utile esse, Sanctos suppliciter invocare, et ad beneficia impetranda a Deo per filium ejus Jesum Christum Dominum nostrum, ad eorum orationes, opem auxiliumque refugere.“ Insuper ex recordatione

---

[1]) Sess. XXV. [2]) Actio 7. [3]) Sess. XXV. de invocat. S.S. [4]) Sess. XXV.

Sanctorum, atque praeclara eorum exempla et praemia tam splendida intuentes, ad simile virtutis studium suaviter et fortiter provocamur, juxta illud s. Augustini:[1]) „Tu non poteris, quod isti, et istae?"

Ad cultum Sanctorum pertinet etiam cultus eorum *Imaginum et Reliquiarum.* Concilium Tridentinum[2]) declaravit: „Reliquias Sanctorum esse venerandas atque etiam utiliter honorari, necnon Christi, Deiparae Virginis et aliorum Sanctorum imagines in templis praesertim esse habendas et retinendas, eisque debitum honorem et venerationem impertiendam, quae tamen veneratio ad prototypa referatur, quae illae repraesentant."

Quoad cultum imaginum pro praxi haec sunt notanda: Cultus imaginum.

α) Inter sanctas imagines, idem licet objectum repraesentantes, specialius coli possunt: benedictae; dein illae, quae simul Reliquiae sunt, ut imago B. V. M., quae a s. Luca dicitur depicta; et tandem quae miraculis sunt clarae, earumque copiae, ut patet ex praxi Ecclesiae.

β) Imagines „Beatorum" non possunt exponi in ecclesiis, oratoriis aliisque publicis locis, nec supra, nec extra Altare, ut patet ex Decreto S. C. R. 28. Septem. 1658. Licet autem imaginem alicujus „Beati" super Altari exponere, ubi indultum fuerit, ut Missa de eodem „Beato" celebretur, ita Congr. R. 17. Aprilis 1660; hoc fit e. g. in ecclesiis Ordinis nostri cum imaginibus „Beatorum" Ordinis nostri.

γ) Item non licet in ecclesiis exponere imagines falsi dogmatis, et rudibus periculosi erroris occasionem praebentes, quales tamen *generaliter* non sunt imagines S. S. Trinitatis; nec licet insolitas imagines exponere, nisi ab Episcopo approbatae fuerint; nec imagines procaci venustate pictas aut ornatas, aut in quibus profanum aut inhonestum aliquid appareat.

Ceterum coluntur s.s. imagines eodem modo ac Reliquiae, excepto, quod non datur cum ipsis benedictio, nec de iis, nisi specialiter concessum fuerit, Officium fiat aut Missa celebretur; item in processione cum S. S. Sacramento, extra casum Indulti vel consuetudinis, non deferantur.

Tandem notandum, quod non licet quorumvis hominum cum sanctitatis vel martyrii fama defunctorum imagines publicae venerationi exponere, aut eas aureolis aut radiis seu splendoribus adornare, vel ad eorum sepulchra lampades, sive alia quaecunque lumina accendere, antequam ab Apostolica Sede canonizentur aut Beati declarentur, uti patet ex Decreto Urbani VIII. 13. Martii 1625. — Eo minus licet eis ecclesias vel Altaria in ecclesiis erigere, vel publice eos invocare in Lytaniis.

Non tamen prohibitum est, illorum imagines vel reliquias

---

[1]) Confess. L. VIII. c. 11. n. 3. [2]) Sess. XXV.

privatim asservare et venerari, eosque privatim tantum invocare, quia talis cultus est omnino privatus.

Cultus Reliquiarum.

Quoad cultum Reliquiarum pro praxi haec sunt notanda:

α) Per Reliquias Sanctorum et Beatorum intelliguntur *strictiori sensu* eorum corpora et corporis partes, etiam minimae; item oleum aliusve liquor, ex iis quandoque fluens; *latiori sensu*, omnia, quibus Sancti in vita usi sunt, ut vestes, libri etc.; itemque instrumenta poenarum et mortificationum; in *latissimo sensu*, omnia, quae vel corpus, vel sepulchrum, aliasve Reliquias Sancti tetigerint; itemque oleum e lampade ante sepulchrum appensa, et pulvis e loco, ubi asservantur.

β) Reliquiae *insignes* Sanctorum sunt praeter corpus integrum, caput, brachium, crus (non ossa femoris)[1]) aut illa pars corporis, in qua Martyr passus est, modo sit integra et non parva.[2])

γ) Reliquiae Sanctorum non *religioso* tantum, seu ex virtute Religionis imperato, sed *sacro* etiam cultu venerandae sunt; non vero *publico,* nisi ab Ordinario loci, ubi colendae sint, earum authenticitas probata fuerit; idque licet Romae, aut ab alio Episcopo jam recognitae fuerint. Ordinarii nimirum est videre, ne qua fraus subrepat, et inspicere, an revera Romae fuerint approbatae.

δ) Asservandae sunt Reliquiae non in aedibus privatis, sed in ecclesia, nunquam tamen in tabernaculo. Si agatur de Reliquiis parvis ac thecis inclusis, etiam privatis hodie usus concedi solet, et eas decenter gestare licet.

ε) Reliquiae „Beati“ non canonizati publicae fidelium venerationi quidem proponi, non tamen in solemnibus supplicationibus deferri possunt. Utrumque autem fieri licet cum Reliquiis eorum, qui sunt canonizati, ut infra dicetur.

ζ) Sanctorum Reliquiae, de quarum identitate et authenticitate certo non constat, in genere publicae venerationi exponi ac processionaliter deferri non possunt, ut patet ex Decreto S. C. R. 27. Sept. 1817.

η) Authenticae Reliquiae Sanctorum publice exponi possunt venerationi fidelium. *Collocandae autem non sunt:* supra tabernaculum, in quo S.S. Sacramentum asservatur, ita, ut tabernaculum eis pro basi inserviat, et ubi hujusmodi consuetudo viget, tamquam abusus eliminanda est, ut declaravit S. C. R. 31. Martii 1821. quod etiam valet pro Reliquiis s.s. Crucis vel alterius instrumenti dominicae passionis publicae venerationi expositi, ut declaravit S. C. R. 12. Martii 1836.

Nec licet ante tabernaculi ostiolum collocare alicujus Sancti Reliquiam, die, qua ejusdem festum colitur; ita

---

[1]) Prinzivalli, Decr. auth. S. C. Reliq. n. 430. [2]) Gardellini n. 539. et 892.

S. C. R. 6. Sept. 1845. — Nec collocari possunt cum Sanctissimo in eodem Altari.

ϑ) Ubi Reliquiae Sanctorum exponuntur, continuo ardeant in Altari duo lumina. Exponens et reponens superpelliceo sit indutus, necnon humerali, si populo cum Reliquiis benedicat. Benedictio autem fieri debet sine cantu et sine formula benedictionis, incensatis, thure non benedicto, duplici ductu Reliquiis.

ι) In processionibus Reliquiae Sanctorum canonizatorum deferri possunt, at non sub baldachino, et aperto capite (Episcopus tamen cum mitra) sed non in processione S.S. Sacramenti, nisi vi Indulti aut consuetudinis.

κ) De Sancto, cujus habetur insignis Reliquia, non potest fieri Officium et celebrari Missa, nisi constet de identitate, et nisi reperiatur in Martyrologio Romano.[1])

Adhuc notandum est, quod etiam rebus sacris debita reverentia exhiberi debet. **Reverentia erga res sacras**

Res sacrae lato sensu dicuntur omnes res ad Dei cultum pertinentes, licet non sint benedictae, uti e. g. candelabra, lampades, baldachinus, urceoli, vas pro aqua benedicta etc.

Res stricte sacrae illae sunt, quae per specialem benedictionem, vel consecrationem ad Dei cultum destinantur; hujusmodi sunt: ecclesiae vel Capellae benedictae (loca sacra), altaria, calices, corporalia, vestes sacerdotales etc.; item Biblia sacra, Missalia et similia, quae per se, absque benedictione sunt sacra.[2])

His praemissis notandum est:

a) Res sacrae *cujuscunque generis* reverenter tractari debent. „Ex hoc," ait s. Thomas,[3]) „quod aliquid deputatur ad cultum Dei, efficitur quoddam divinum, et sic ei quaedam reverentia debetur, quae refertur in Deum." Igitur neque ad superstitiosos neque ad indecentes usus inserviant, et sint praescriptionibus liturgicis consentaneae, decentes et nitidae.

b) *Res stricte sacrae* debent cum speciali reverentia tractari, nec possunt ad usus profanos, etsi honestos adhiberi. „Semel Deo dicatum, non est ad usus profanos ulterius transferendum", dicit Regula juris 51.

Excipitur tamen ab hac regula:

α) Si agatur de rebus non stricte sacris, e. g. de candelis, ramis, aqua, incenso, agno paschali et similibus benedictis, quae licite adhibentur ad usum profanum, modo absit contemptus etiam implicitus, neque eis semper et indifferenter sic utaris;

β) Si res stricte sacra totaliter immutetur, ita, ut ad communem materiam redeat, e. g. si calix igne vel ferro ad communem massam argenti reducatur.[4])

Res sacrae, quae usui, ad quem destinatae sunt, non am-

---

[1]) Cfr. Craisson. Man. jur. can. n. 1023. et 1838. Konings I. n. 322—328. [2]) Cfr. s. Alphons. L. III. 40. [3]) 2. 2. q. 99. a 1. [4]) S. Alph. L. III. 40. 41. L. VI. 94. et 371. 6.

plius inservire possunt, *modo decenti* eidem subtrahendae sunt et quidem:

α) Ecclesiae dirutae, neque amplius reparabiles, possunt in profanos quidem, sed non in sordidos usus converti; erecta tamen ibi cruce, ut praescribit Tridentinum,[1]) nisi timeatur sacrilegium, quo casu ponatur saltem commemorativum epigramma.

β) Comburenda sunt (et cineres in sacrarium projiciendi) singulis annis olea sacra; item paramenta, postquam detrita sunt, nisi forte ad alia conficienda et resarcienda adhibeantur.

γ) Aqua baptismatis, Sabbato Sancto et in Vigilia Pentecostes, postquam nova benedicta fuit, effundenda est in sacrarium; item aqua ex prima lotione Corporalium et Purificatoriorum.[2])

§. 10. Oratio.

Cum uberior ac fusior pertractatio orationis Nostratibus a Magistro Novitiorum ex professo exhibetur, hic de hoc maximopere praestanti Religionis actu pauca tantum referimus.

I. Notio et divisio orationis. 1. Notio orationis.

I **Notio et divisio orationis:** Oratio quandoque sumitur *large,* videlicet pro quacunque actione bona, atque ex pia intentione procedente; in qua acceptione videtur intelligendum illud: „Oportet semper orare et non deficere;“[3]) in quem textum venerabilis Beda dicit: „Semper orat, qui semper secundum Deum operatur.“ *In sensu magis proprio* sumitur oratio pro quovis animi pio motu erga Deum. Hoc sensu capitur a s. Joanne Damasceno,[4]) dicente, quod *„oratio sit ascensus mentis ad Deum“;* et sic comprehendit sub se etiam illos pios motus intellectus et voluntatis, quibus Deum laudamus, benedicimus atque pro acceptis beneficiis gratias agimus. *In sensu strictissimo* tamen oratio sumitur pro petitione, et a s. Joanne Damasceno[5]) definitur: „Petitio decentium a Deo.“ *„Petitio“*, i. e. explicatio desiderii ad aliquid impetrandum; „decentium“, i. e. rerum, quae honestae sunt, et quas Deus nobis tribuere decet; *„a Deo“*, vel immediate, vel mediate, ut supra.

Ad orationem ergo duo actus concurrunt, scilicet *desiderium,* quo bonum aliquod nobis aliisve conferri aut malum averti cupimus, et hujus *desiderii explicatio seu significatio* ad aliquid a Deo obtinendum, et haec nihil aliud est, quam petitio; unde dicitur: „Desiderium pauperum exaudivit Dominus.“[6]) Primus actus est *causa orandi,* secundus oratio ipsa.

Oratio ergo est actus rationis, imperatus a spe et *elicitus a Religione,* nam per orationem homo exhibet Deo reverentiam et honorem in quantum se ei subjicit et profitetur se eo indigere ut Auctore omnium bonorum. *Distinguitur:*

2. Divisio orationis.

a) Oratio mentalis et vocalis: prior fit sola mente; *posterior* per-

---

[1]) Sess. XXI. cap. 7. [2]) Cfr. Marc I. n. 545.—550. Müller II. §. 44.—47. Lehmkuhl I. n. 337. et 348. Reiffenstuel L. III. tit 45. n. 29. Billuart tom. 12. diss. 3. [3]) Luc. XVII. [4]) Lib. III. de fide cap. 24. [5]) L. c. [6]) Ps. X. 17.

agitur mente et verbis, nam si solis verbis fiat, non est oratio, juxta illud: „Si mens non orat, in vanum lingua laborat.“

b) Oratio publica et privata: prior ea est, quae fit nomine Ecclesiae pro salute populi per Ministros Ecclesiae, ut fit in Missa, et Horis canonicis, et talis necessario etiam debet esse *vocalis;* posterior ea est, quam singuli privatim quocunque decenti modo peragunt.

II. Necessitas orationis.

II. ***Necessitas orationis:*** Praeter obscuros antiquos haereticos, qui aut excessu aut defectu circa utilitatem et necessitatem orationis turpiter errarunt, nunc temporis etiam non desunt increduli, qui ad omnem Religionis actum aut exercitium quodcunque amandandum, tamquam Deo injuriosam orationem repellunt.

Verum de fide est, orationem non solum utilem, sed necessariam prorsus esse ad salutem, tum necessitate medii in adultis — saltem communiter — tum necessitate praecepti, quod et Sacrae Literae docent, ac universa traditio semper professa est.[1]) Ratio theologica idipsum plane suadet: illud enim tamquam necessarium medium ad salutem censendum est, sine quo gratia et perseverantia haberi nequeunt quibus salvemur; jam vero, uti ex s. Scriptura et traditione patet, talis est quoad adultos oratio, saltem ex ordinaria providentia. Quod si est necessaria oratio necessitate medii, jam hoc ipso patet, eandem necessariam esse etiam necessitate praecepti; siquidem Deus praecipit, ut mediis necessariis utamur. Hinc Concilium Tridentinum „Deus,“ inquit, „impossibilia non jubet; sed jubendo monet et facere quod possis, et petere quod non possis, et adjuvat ut possis.“[2])

Sed dixi: *„saltem communiter,“* necessaria est oratio necessitate medii ad salutem, quia quandoque Deus pro nimia sua bonitate et abundanti liberalitate gratias etiam non petitas solet hominibus elargiri; unde s. Augustinus dicit: „Constat, Deum non orantibus, sicut initium fidei, alia nonnisi orantibus praeparare, sicut usque ad finem perseverantiam“.[3])

Oratio igitur necessaria est ad salutem. „Qui orat,“ s. Alphonsus ait, „salvabitur, qui non orat, damnabitur;“ attamen sola non sufficit, ut per se patet; hinc merito reprobati sunt Messaliani seu Euchitae, qui tantam orationi virtutem attribuerunt, ut eam solam etiam, absque Sacramentis, quae nec prodesse, nec obesse volebant, satis esse ad salutem dictitarent.

Obligat vero orationis praeceptum frequenter. Dicitur enim: „sine intermissione orate;“[4]) „orate, oportet semper orare“[5]) etc. et quidem *quandoque per se, quandoque per accidens.*

a) Obligat per se: initio usus rationis, in articulo mortis, saepius in anno, imo frequenter. Unde s. Alphonsus cum Suaresio et Lessio aestimat esse peccatum mortale, si quis per notabile

---

[1]) Cfr. Luc. VI. 1. Hebr. V. 7. Matth. VI. 9.; VII. 7.; XXVI. 41. Luc. XVIII. 1. Ephes. VI. 17. Rom. XII. 12. Coloss. IV. 2. Thess. V. 17. Jacob. V. 16. [2]) Sess. VI. cap. 11. [3]) L. II. de bono perseverantiae cap. 16. Cfr. etiam s. Thom 2. 2. q. 83. a. 2. ad 3. [4]) I. Thess. V. 17. [5]) Luc. XVIII. 1.

tempus, i. e. per unum, aut certe per duos menses Deo se commendare omittit;[1]) rigidiores dicunt, ad culpam gravem jam sufficere omissionem orationis per hebdomadam.

b) Obligat per accidens: in statu peccati mortalis, ad impetrandam gratiam poenitendi; *quando gravis insurgit tentatio, quae aliter vinci nequit;* vel *si urget aliquod praeceptum, ad quod implendum necessaria est oratio*, e. g. susceptio Eucharistiae; et tandem in *magna calamitate proximi vel populi*,[2]) et *quoties aliquod auxilium speciale a Deo videtur nobis necessarium*, ut e. g. in statu eligendo.

Hinc patet omissionem *precum matutinarum ac vespertinarum* nullum per se, ne veniale quidem peccatum esse. Quamvis enim, vel ab ipsius Ecclesiae exordio, sacrosancta haec precandi consuetudo increbuerit, de proprie tamen dicta obligatione non constat. Verum animarum pastores et confessarii debent magnam eo conferre diligentiam, ut Christifideles hujus consuetudinis sint retinentissimi. Nisi enim sancte retineatur, brevi eveniet, ut anima speciali Dei auxilio, sine quo in accepta justitia perseverare non potest,[3]) destituta, viam perditionis ingrediatur.[4])

III. Effectus orationis.

III. ***Effectus orationis:*** In oratione rite peracta tres effectus primarii inveniri possunt, scilicet:

a) Satisfactio pro peccatis.

a) Satisfactio pro peccatis; etenim ea opera sunt satisfactoria, quae sunt laboriosa et carnis afflictiva. Atqui nemo negabit, quin sit oratio inter illa opera numeranda, cum dicitur: „Frequens meditatio carnis est afflictio.“[5]) Hinc Tridentinum[6]) orationem inter opera satisfactoria collocat, et ex hac ratione etiam oratio pro poenitentia salutari in Confessionali injungi potest.

b) Meritum.

b) Meritum. Oratio, sive impetret, quod postulet, sive non impetret, semper est meritoria majoris gratiae et gloriae, quando ab homine justo, et sicut oportet, funditur.

Oratio peccatoris utique non est meritoria, attamen juxta s. Thomam[7]) ad triplex bonum valet (sicut bona omnia a peccatore peracta) scilicet ad assuefactionem bonorum operum, ad temporalium consecutionem, et ad dispositionem ad gratiam.

c) Impetratio.

c) Impetratio, quae est effectus soli orationi proprius. Et quidem oratio debitis peracta conditionibus efficaciam impetrandi habet *infallibilem* ex Dei promissione; dicitur enim: „Petite et accipietis;“[8]) „Omnis qui petit, accipit;“[9]) et s. Augustinus dicit: „Ascendit precatio, et descendit Dei miseratio.“ — Imo digne et devote orantes multo plus impetrant, quam postulant.[10])

---

[1]) Instr. catech. P. I. c. 1. n. 32. [2]) S. Alph. L. III. in princ. [3]) Cfr. Trident. Sess. de justific. can. 22. [4]) Marc I. n. 540. [5]) Eccl. XII. 12. [6]) Sess. XVI. can. 13. [7]) Suppl. q. 14. a. 4. [8]) Joann. XVI. 24. [9]) Luc. XI. 10. [10]) Cfr. s. Thom. 2. 2. q. 83. a. 15. ad 2. Catechis. Rom. P. IV. c. 2. q. 5.

Praeter hos tres primarios effectus seu fructus orationis, sunt alii permulti quasi secundarii; nam oratio frequens mentem illustrat, fidem alit, fiduciam auget, caritatem inflammat, humilitatem et castum amorem auget, petendi studium nutrit, sicque animum dilatat et capacem reddit, ad illa dona recipienda, quae antea angustus animus capere non poterat; in animo orantis contemptum gignit rerum omnium temporalium; delectationem ineffabilem et consolationem parit; denique etiam adfert dignitatem atque honorem non exiguum oranti, nam ut s. Chrysostomus observat, ipsi etiam Angeli animam illam honorant, quam cernunt tam familiariter et crebro ad colloquium divinae Majestatis admitti.[1])

IV. ***Dotes orationis:*** Ut autem oratio et praecatio nostra exaudiatur et relatos effectus seu fructus producat, conditionibus requisitis debet esse instructa; dicit namque s. Jacobus: „Petitis et non accipitis, eo, quod male petatis."[2]) IV. Dotes orationis.

Et quidem oratio sequentibus dotibus vestita esse debet:

1. Sit devota, i. e. procedens ex sincera et prompta voluntate Deum colendi; oratio tantum labialis nihil prodest, imo potius obest, Deum scilicet offendendo et inhonorando.

2. Fiat corde humili et contrito; „Deus enim superbis resistit, humilibus autem dat gratiam."

3. Fiat cum firma fiducia; quod dissertis verbis praecipit Dominus.[3]) Fundamentum, quo nititur fiducia nostra, sunt tam promissa, quam merita Christi; promissa etenim fidissima sunt, merita vero infinita.

4. Sit christiana, i. e. fiat in nomine Christi; unde etiam Ecclesia orationes concludit verbis: „Per Dominum nostrum Jesum Christum" etc.

5. Fiat cum perseverantia; etenim Dominus promisit fore, ut preces nostrae felicem eventum sortiantur, non autem promisit, se illas mox et in instanti exauditurum.

6. Sit attenta: Attentio duplex distinguitur, *externa* et *interna*. *Externa* nominatur abstinentia occupationis externae, qua mens alio distraheretur, ne e. g. orans lusui aliorum intendat, epistolam legat, aut scribat etc. *Interna* est applicatio intelligentiae ad illa, quibus animus ad Deum pie elevatus occupatur.

Attentionem externam esse necessariam, ut oratio suo nomine digna habeatur, res ipsa convincit.

Attentionem internam quod attinet, dissentiunt Theologi, an sit necessaria, necne; probabilior et communior sententia affirmat, quia certe Deus non colitur ab iis, qui voluntarie se distrahunt in oratione; imo Deus de his conquaeritur: „Populus iste labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me."[4])

Ceterum attentio interna triplex esse potest: una, qua attenditur ad verba, ne aliquis in eis erret, et dicitur *superficialis; secunda,* qua attenditur ad sensum verborum, et dicitur *literalis; tertia,* qua attenditur ad finem orationis, scilicet ad Deum et ad rem pe-

---

[1]) Cfr. Müller II. §. 49. [2]) Jacob. IV. 3. [3]) Marc. XI. 24. [4]) Matth. XV.

titam, aliave illuc pertinentia, ut sunt: mysteria, dona, virtutes, coelestis patria, passio Domini etc.; et dicitur *spiritualis.* Haec tertia est omnibus perfectior, prima omnibus inferior, sufficit tamen ad bene orandum.

Oratio distracta.

Oppositum orationis attentae est *oratio distracta: Distinguuntur vero distractiones triplicis generis:*

a) Distractiones omnino involuntariae, tum in se, tum in causa; hae orationis qualitatem non inficiunt, et omnino omni culpa vacant.

b) Distractiones simpliciter voluntariae, in se vel in causa. Illae sunt utique peccaminosae, saltem si agitur de oratione praecepta, quia certe parum reverentiae in Deum praefert, qui, dum orat, phantasiam vel intelligentiam libere et advertenter ad aliena sinit evagari. Attamen per se peccatum veniale non excedunt; per accidens tamen et grave peccatum esse possunt, uti e. g. sunt distractiones voluntariae sacerdotis sub consecratione, vel communione, propter gravem irreverentiam; vel etiam per majorem partem Canonis.

c) Distractiones crasse voluntariae in se vel in causa, procedentes scilicet ex malitia affectata. Hujusmodi distractiones, uti per se patet, devotionem, orationisque substantiam omnino evertunt. In genere et per se tamen, nisi ex contemptu fiant, veniale non excedunt.

Ad praecavendas distractiones orans se praeparet; dicitur enim: „Ante orationem praepara animam tuam, et noli esse quasi homo tentans Deum.“ Reflectendum etiam est ad compositionem corporis, necnon ad circumstantias loci et temporis.

7. *Oratio fiat de rebus vere necessariis et utilibus. Christus* imprimis *bona supernaturalia* nos petere jubet; et quidem haec bona determinate et *absolute petere possumus;* e. g. beatitudinem et media ad illam assequendam, ut sunt virtutes et gratiae. *Bona temporalia* non possunt peti a Deo principaliter, ut in eis finem constituamus, quia ipse solus est finis noster; neque determinate absolute, sed *conditionale tantum,* nempe quantum ad animae salutem et Dei gloriam conferre possunt; vel etiam in quantum nobis necessaria sunt ad sustentandam vitam corporalem.

Etiam *mala temporalia,* quae scilicet non sunt peccata, ut infirmitates, humiliatio, persecutio, mors etc. peti licite possunt ex recto fine, uti ad virtutes colendas et perficiendas, ad tentationes supprimendas, vel ut illis mereamur; dicit enim s. Thomas: „generatim hoc licet orare, quod licet desiderare,“ atqui hujusmodi res ex fine virtuoso licet desiderare, ergo et orando a Deo petere. Suarez.

V. Utrum solus Deus sit orandus?

V. ***Utrum solus Deus sit orandus?*** *Solus Deus est orandus ut is, qui per se praestare potest, quod petimus,* nam ipse solus est auctor omnium bonorum.

Licitum tamen est et utile, orare etiam Sanctos in coelis regnantes cum Christo, sive Angelos, sive homines, ut intercessores, qui a Deo impetrent, quae petimus.

Hoc est de fide, decisum in Concilio Tridentino[1]) contra Petrobrusianos, Waldenses, Wicleffitas, maxime Lutheranos et Calvinistas, qui Vigilantii errorem diu a s. Hieronymo confutatum, suscitantes, contendunt, illicitum esse et vanum, invocare Sanctos, et quos ideo impie sentire declarat s. Synodus.

Haec invocatio Sanctorum tamen non est de praecepto rigoroso, sed de consilio, cum Tridentinum[2]) dicat: „Esse bonum et utile, eos invocare.“ At non videtur a peccato excusandus, qui nunquam B. V. Mariam invocaret, cum peculiari ac mirabili providentia mediatrix nostra constituta sit.

Nota.

Nota: Infantes baptizati, defuncti ante usum rationis, invocari possunt privatim; quod probabilius etiam valet de animabus in purgatorio detentis, juxta Lessium, Bellarmin. et s. Alphons. contra alios.

VI. Pro quibus sit orandum.

VI. ***Pro quibus sit orandum?*** Quoad *certitudinem impetrandi*, dicit s. Thomas,[3]) opus est, ut quis *pro se* petat; nam exaudiuntur „omnes Sancti pro seipsis,“ inquit s. Augustinus,[4]) „non autem pro omnibus exaudiuntur vel amicis vel inimicis suis, vel quibuslibet aliis; quia non utcunque dictum est: „dabit“, sed: „dabit vobis“. Ratio est, quia oratio, quae fit pro aliis, quamvis recte fiat, potest tamen impediri, ne effectum suum sortiatur, propter vitium aliquod eorum, quorum gratia suscipitur.

At hoc non valet quoad *rectitudinem* orandi, quamvis enim non semper impetret oratio pro aliis facta, saepissime tamen impetrat, et semper recte et meritorie adhibetur juxta monitum Apostoli Jacobi: „Orate pro invicem, ut salvemini.“[5])

Imo pro certo statuendum est, non pro nobis solis orare nos debere, sed ex praecepto divino pro iis omnibus, quos diligere debemus; diligere autem debemus omnes omnino homines in hac vita degentes, qui proximum nostrum constituunt, utpote omnes capaces obtinendi beatitudinem aeternam, ad quam creati sunt. Ergo in *specie orare tenemur:*

1. Pro omnibus hominibus viventibus, nullo excepto, sive fideles sint, sive infideles, sive amici sive inimici, sive excommunicati, sive non. Id confirmat etiam praxis Ecclesiae, quae orat pro omnibus, non solum fidelibus, quod saepe facit, sed etiam pro infidelibus et Excommunicatis, Die Parasceves. Pro inimicis vero habemus speciale Christi praeceptum.

Ordo autem ille in oratione servetur, qui in caritate praescribitur, ita, ut in nostris precibus peculiarem habeamus rationem eorum, qui nobis consanguinitate, amicitia, Religione etc. sunt magis conjuncti. Pro iis etiam specialiter orandum est, quibus ruinam spiritualem attulimus, ut sic, quantum ipsis nocuit exemplum nostrum, tantum iisdem prosit oratio nostra.

2. *Pro mortuis,* nempe *pro omnibus existentibus in purga-*

---

1) Sess. XXV. 2) L. c. 3) 2. 2. q. 83. a. 15. 4) Tract. 103. in Joann. n. 1. 5) Jac. V. Cfr. etiam I. Tim. II.

torio; nam de fide decisum est in Concilio Tridentino[1]) „pium et utile esse, pro iis orare".

Non vero orandum est pro Beatis, quia nulla re indigent, „inebriati ab ubertate domus Dei".[2]) Et licet nondum habeant gloriam corporis, eam tamen certe habituri sunt vi beatitudinis jam adeptae. Unde dicitur communiter cum s. Augustino: „Injuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre." — Neque orandum est, uti per se patet, pro *damnatis.*[3])

§. 11. Sacrificium.

Sacrificium tum *latiori*, tum *strictiori* sensu accipitur; (item distinguitur in *internum* et *externum*). *Latiori sensu* sacrificii nomine venit quodcunque opus bonum Dei intuitu et gloria susceptum, quo sensu dicitur: „Immola Deo sacrificium laudis" etc.

Strictiori sensu sacrificium est: „Externum officium, quo res aliqua hoc ipso offertur Deo, quod ad ejus Majestatem recognoscendam, atque etiam ad internam mentis devotionem et servitutem erga Deum, tamquam omnium rerum dominum testandam, certo ritu ac caeremonia conficitur seu immutatur. Et hoc externum sacrificium est actus Religionis, et ad cultum latriae seu adorationem spectat.

In nova lege non aliud Sacrificium offerri potest, nisi Eucharisticum, seu Sacrificium Missae, cetera omnia abolita sunt; at hoc Sacrificium Missae tantum sacrificiis omnibus excellit, quantum coelum terrae; siquidem in eo divina ipsa persona in assumpta humanitate immolatur et offertur in honorem divinae Majestatis. Idem valet de utilitate, quae ex Sacrificii oblatione in hominem provenit.

Cum tamen de hoc praestantissimo Religionis actu, scilicet de Sacrificio incruento novae legis, plura jam ex Dogmatica sint nota, plura vero in Theologia Pastorali pertractanda veniunt, hic sufficit, de eo tantum scitu maxime necessaria edissere.

I. Notio, essentia, materia, forma et minister Sacrificii. 1. Notio s. s. Miss. Sacrif.

I. ***Notio, essentia, materia, forma et minister Sacrificii.*** *1. Notio: Sacrificium Missae est verum et proprium sacrificium, in quo sub speciebus panis et vini Christus realiter praesens incruente immolatur, qui in ara crucis semel seipsum cruente obtulit, ad fructus Sacrificii cruenti uberrime percipiendos.* — Hac definitione duplex veritas exprimitur, scilicet Sacrificium Missae esse verum et proprium sacrificium; et Sacrificium Missae esse essentialiter idem, ac Sacrificium crucis, quod per illud commemoratur et realiter repraesentatur. Utraque veritas est de fide, ut patet ex Tridentino.[4])

Insuper Sacrificium Missae omnes diversorum sacrificiorum fines complectitur; est enim sacrificium simul latreuticum, impetratorium, eucharisticum et propitiatorium: Est pariter de fide.[5])

---

[1]) Sess. XXII. can. 3. et Sess. XXV. [2]) Ps. XXXV. [3]) Praeter saepe citatos Auctores, quoad orat. conf. Tillmann „Das Gebet" et Kreuzberg „Das Gebet" et Dr. Wirthmüller „Die moralische Tugend der Religion". [4]) Sess. XXII. can. 1. et cap. 2. [5]) Trident. Sess. XXII. cap. 1. can. 1. 3. et 4.

2. ***Essentia Sacrificii Missae*** juxta sententiam communiorem et valde probabilem *consistit in consecratione utriusque speciei, in eaque sola.* Sunt quidem, qui cum Bellarmino[1]) et s. Alphonso[2]) putant, etiam *Communionem ad essentiam* Sacrificii Missae pertinere; communius vero illam non ad essentiam, sed ad *integritatem* pertinere censent. 2. Essentia Missa.

At nullo modo probabile est, alterutram consecrationem per se solam sufficere ad essentiam Sacrificii Missae, ratio est, quia juxta Tridentinum[3]) Sacrificium Missae debet esse rememorativum Sacrificii cruenti crucis; at realis cruentae mortis repraesentatio non satis habetur secundum ea, quae Christus voluit, nisi utriusque separatae speciei consecratio fiat.

Ex hac ratione utraque species simul coexistere debet super altare; quare, ex Rubrica, si utraque haberi nequit, Missa est interrumpenda, nisi jam una species consecrata sit. Hinc licet nunquam alteram tantum speciem consecrare, nec in necessitate gravi, e. g. ut moribundo detur viaticum;[4]) nec Pontifex in eo potest dispensare ullo casu. — *Valide* tamen alterutram speciem consecrari, est valde probabile, non tantum, si id casu accidat, quod est certum, sed etiam si sacerdos positivam intentionem habeat, unam tantum speciem consecrare,[5]) quod tamen esset horribile sacrilegium.

3. ***Materia Sacrificii Missae*** *est tantum panis triticeus aqua naturali mixtus et igne coctus, sive assus, et vinum de vite. Si panis non sit triticeus, non conficitur Sacrificium;*[6]) qui panis apud Latinos debet esse azymus, apud Graecos vero fermentatus. — Panis permixtus cum aliquot granis alterius speciei tritici, necnon guttis alterius speciei, quam aquae, itidem panis mucidus, qui ad corruptionem disponitur, est quidem materia valida, sed illicita. Quapropter advigilandum est, ut hostiae ac particulae sint *recentes* (ab uno mense ad summum confectae) S. R. Cong. damnat, tamquam ingentem abusum, consuetudinem consecrandi hostias, quae a tribus, quatuorve mensibus forent confectae.[7]) — Ex praecepto Ecclesiae panis consecrandus (in Ecclesia latina) debet esse *figura orbiculari et integra;*[8]) secluso scandalo tamen est tantum veniale, sine rationabili causa consecrare hostiam fractam vel maculatam, nisi fractura vel macula esset enormis, quo casu esset mortale. Si tamen fractura deprehendatur post oblationem, licite talis hostia consecrabitur, nisi scandalum populi timeatur. Ita Lacroix. 3. Materia Missae.

Vinum debet esse ex vite;[9]) quod est de fide. Hinc sicera, agresta, acetum, uvae, mustum decoctum, non est materia apta. Materia quidem valida, sed illicita est: mustum (vinum), vinum ab aliis liquoribus moderate permixtum, vinum ascescens, et probabilius etiam vinum congelatum. — Vino consecrando permiscenda est aqua naturalis; sufficit una gutta, modo sit sensibilis; requiritur

---

[1]) De Miss. L. II. c. 27. [2]) L. VI. n. 305. [3]) Sess. XXII. cap. 1. [4]) S. Alph. VI. 196. [5]) S. Alph. L. VI. 196. dub. 3. et 197. [6]) Cfr. Rubricas. [7]) Gardellini 4723. [8]) Cfr. Linzer Quartalschrift 1886 pag. 79. sqq. Gardellini l. c. [9]) Cfr. Linzer Quartalschrift 1881 pag. 34 sqq. et pag. 606 sqq.

vero, ut aqua permixta nunquam tertiam partem vini excedat. Omissio hujus permixtionis ante calicis consecrationem semper supplenda est, secus si deprehendatur post consecrationem; obligat sub gravi.

Conditiones, ad materiam consecrationis requisitae, sunt sequentes:

a) *Ad validam consecrationem requiritur:*

α) *Ut materia sacerdoti consecranti sit moraliter et sensibiliter praesens.* Est certum; ratio petitur tum ex institutione Christi et verbis formae „Hoc" et „Hic", tum ex perpetua Ecclesiae praxi. Ad moralem vero praesentiam sufficit, ut res, sive in se, sive in alio videri vel tangi possit.

Hinc *invalide* consecratur materia tam modica, ut sensu percipi nequeat, aut valde remota e. g. ad centum passus, vel posita post tergum, vel clausa in tabernaculo. — *Valide* consecrat caecus, vel existens in tenebris, si aliunde moraliter certus sit de praesentia materiae; item valide consecrantur vinum in calice cooperto, hostiae in ciborio clauso, vel in cumulo sub aliis latitantes, aut sub palla, velo etc.

Porro hic notandum est, communiter improbari praxis eorum, qui os proxime admovent, ut halitum in calicem et panem inspirent.[1])

β) *Ut materia sit certa et a consecrantis intentione in individuo determinata.* Est sententia communis, tum quia hoc requirunt pronomina „Hoc" et „Hic", tum quia actiones sunt circa singularia, quae debent esse certa et determinata.[2]) Sufficit autem intentio virtualis.

Hinc *invalide* consecraret, qui vellet tantum consecrare tertiam vel mediam partem hostiae, vel ex multis praesentibus tantum decem vel viginti, nullas determinate designando. Item non consecratur hostia inscio sacerdote posita sive in corporali, sive infra illud (sejuncta tamen a cumulo).[3])

Valida vero est consecratio, si sacerdos plures hostias consecrat in cumulo, quamvis circa earum numerum in errore sit. Unde si *post* consecrationem duas hostias simul junctas advertat, utramque ut consecratam sumat juxta Rubricam Missalis. Si vero *ante* consecrationem, postquam obtulit, advertat, unam seponat et post Missam vel ipse, vel alius eam sumat, tamquam panem benedictum. Item valida est consecratio, si ipse plures particulas ad altare consecrandas attulerit, aut rationabili modo adverterit ab alio adferri a se consecrandas, vel ante Sacrificium monitus fuerit de consecrandis in altari jam positis; tunc enim, etsi intra consecrationis actum earum non ita expresse meminerit, aut etiam ad oblationem eas non detegerit, omnes tamen consecrat, modo sint praesentes in corporali, quia habita intentio

---

[1]) S. Alph. L. VI. 211.—213. [2]) Exam. Ord. n. 99. [3]) L. c. 214.

respectu ad illas virtualiter perseverat.[1]) Juxta nonnullos idem valet, si hostiae positae fuissent extra corporale, quod tamen sententia probabilior et communior negat, quia intentio consecrandi extra corporale fuisset peccatum grave, et hinc non praesumitur, sacerdotem illam habuisse, ita s. Alphonsus, quo casu tamen animadvertendum, quod, quia sententia affirmans non est improbabilis, hostiae denuo essent, saltem sub conditione, consecrandae, aut post ablutionem sumendae.[2])

b) Ad licitam consecrationem requiritur:

α) Ut non sit major quantitas materiae, quam tempore opportuno possit absumi, quia periculum esset, ne species computrescerent. Unde etiam quam maxime curandum est, ne parvae hostiae in ciborio periculo corruptionis exponantur; ergo species saepe saepius renovandae sunt, saltem infra quatuordecim dies; — ad minimum infra mensem, ut fusius dicetur in Theologia Pastorali.

β) Ut ab usu Ecclesiae, praesertim in Missali praescripto, non recedatur.[3]) Hinc graviter peccat, qui vas, in quo hostiae consecrandae sunt, non reponat super corporale;[4]) item graviter peccaret, qui intenderet consecrare guttas, calici exterius adhaerentes; de interius adhaerentibus est dubium, quia non constat satis de mente Ecclesiae, ad quod evitandum Gavantus jubet eas abstergi, quod consuetudo probat; sed post consecrationem illas abstergere non licet, sed cum S. Sanguine aut cum ablutione sumendae sunt.[5])

Quid agendum sit celebranti, si aliquem defectum circa materiam sive panis, sive vini adverterit, docent Rubricae Missalis.

4. ***Forma consecrationis Eucharistiae*** sunt ipsa verba, quibus Salvator noster Eucharistiam confecit. 4. Forma consecrationis.

Forma praescripta pro consecratione *panis* constat his verbis: *„Hoc est enim corpus meum.“* In hac forma verba *essentialia* sunt: *„Hoc est corpus meum.“* Hinc ad essentiam non pertinet verbum *„enim“*, cujus omissio materia peccati *venialis* est; sed quia in re tanti momenti non videtur levis quaecunque mutatio *deliberate* apposita, alii non improbabiliter damnant id de mortali; idem dicendum de eadem voce in sequenti forma.[6])

Forma pro consecratione *calicis* est: „Hic est enim calix sanguinis mei, novi et aeterni testamenti, Mysterium fidei, qui pro vobis et pro multis effundetur, in remissionem peccatorum.“ *Essentialia* verba sunt probabilius haec sola: „Hic est calix sanguinis mei.“ Sed certe graviter peccaret sacerdos, si non omnia verba proferret, quae in consecratione calicis habentur, et si forte sola prima verba dixisset, deberet utique repetere sub conditione integram formam.

---

[1]) S. Alph. L VI. 216. [2]) L. c. 317. [3]) L. c. 318. [4]) L. c. [5]) L. c. 215. Lacroix L. VI. p. 1. n. 449. [6]) Cfr. s. Alph. L. VI. 220.

Forma Eucharistiae debet proferri *recitative* et *significative*, i. e. referendo verba Christi, et applicando illam ad materiam praesentem. Ita omnes cum s. Thoma.

Mutatio verborum, quae nullam sensus mutationem importat, non reddit consecrationem invalidam, ut patet ex Rubricis Missalis; nec similiter *vitiosa pronuntiatio* impedit, quominus valida sit consecratio.[1])

Si celebrans *non recordetur*, se omnia consecrationis verba protulisse, ex Rubrica Missalis haec observet: „Si celebrans non recordetur se dixisse ea, quae in consecratione communiter dicuntur, non debet propterea turbari. Si tamen certo ei constat, se omisisse aliquid eorum, quae sunt de necessitate Sacramenti, resumat formam. — Si vero *valde probabiliter* dubitat, se aliquid essentiale omisisse, iteret formam, saltem sub tacita conditione.“ Adhuc notandum, quod sit gravis obligatio, ut forma consecrationis tam alte proferatur, *ut consecrans se audiat*, quod etiam in pronuntiatione formae in omnibus Sacramentis requiritur; sententia contraria est tantum probabilis, quod sufficiat etiam prolatio, quae ne a loquente quidem exterius audiatur. At in Sacramentis conficiendis *totius est eligendum*.

5. Minister Sacrificii Missae.

5. ***Minister Sacrificii Missae.*** Minister *principalis* et *primarius* est Christus. Est de fide.[2]) Minister *secundarius* et Christo subjectus, qui tamen vere et proprie offert, est omnis et solus sacerdos valide ordinatus, quamvis haereticus, degradatus[3]) etc.

Ecclesia vero et fideles ad sacrificium *concurrunt* vel generaliter vel specialiter, unde dici possunt moraliter illud offerre. Et quidem Ecclesia *generaliter* per sacerdotes, tamquam delegatos suos offert; fideles vero ad Sacrificium *specialiter* concurrunt, cum illud speciali modo promovent, e. g. ministrando, vel assistendo, et maxime dando stipendium.[4])

Pro coronide adnectimus praecipua peccata, quae quoad praedicta committi possunt. Unde *graviter* peccat:

a) Qui utitur materia corrupta, aut utcunque non valida.

b) Qui utitur materia, quae paulo notabilius *coepit* corrumpi; aut notabiliter maculata, aliave materia commixta est; ita tamen, ut pro minore majoreve gradu indecentiae facilius aut difficilius excusatio adesse possit.

c) Qui sciens formam corrumpit, aut sine rationabili causa sive totam formam, sive ejus notabilem partem repetit.

d) Qui formam consecrationis non ita profert, ut se exterius audiat, aut qui sub consecratione plene deliberate distrahitur.

e) Qui consecrat extra Missae celebrationem, vel qui sciens materiam consecrandam extra corporale sacrumve altare relinquit.

f) Qui non curat, ut debito tempore sacrae species renoventur, si notabilis indecentia, magis etiam, si periculum corruptionis propterea inducitur[5])

---

[1]) S. Alph. L. VI. 224. [2]) Trid. Sess. XXIII. cap. 2. [3]) Cfr. Trident. Sess. XXIII. c. 1. [4]) S. Alph. L. VI. 307. Lacroix L. VI. p. 2. n. 23. [5]) Cfr. Lehmkuhl II. n. 131.

II. *Valor et fructus Sacrificii Missae.* II. Valor et fructus Sacrificii Missae.

1. ***Valor Missae*** est efficacia illa, quam habet Missa ex dignitate offerentis et rei oblatae ad conferenda bona offerenti et iis, pro quibus offertur. 1. Valor Missae.

2. ***Fructus Missae*** autem sunt bona ipsa, quae intuitu Sacrificii Deus confert. Unde valor a fructu differt, velut causa ab effectu.[1]) 2. Fructus Missae.

Valor seu dignitas Sacrificii Missae, ut in se spectatur, absque dubio est infinitus ob dignitatem infinitam offerentis, qui ipse Christus est, et ob dignitatem infinitam rei oblatae, quae pariter Christus est.

Ex hoc valore seu dignitate intrinseca Sacrificium Missae *vim* seu *sufficientiam* habet ad infinitam laudem et gratiarum actionem Deo exhibendam, porro ad peccata, quaecunque commissa sunt et committi possunt, remittenda, bonaque omnia possibilia a Deo impetranda, innumeris hominibus, quin exhauriri possit.

Fructus seu effectus Missae distinguendi sunt ex triplici capite: ex parte rei, ex parte causae et *ex parte participantium.*

a) *Ex parte rei* quadruplex est Missae effectus, scilicet adoratio et gratiarum actio relate ad Deum, et remissio tum peccatorum tum poenarum, necnon impetratio bonorum relate ad homines. Constat ex Tridentino.[2]) Et quidem Sacrificium Missae hos effectus *infallibiliter producit,* nisi sit obex in subjecto. Operatur autem secundum mensuram bonae dispositionis, quae inest homini; vel si agatur de Missa pro defunctis, secundum nobis ignotam divinae Sapientiae ordinationem.

b) *Ex parte causae* duplex distinguitur effectus, scilicet: *ex opere operato* et *ex opere operantis.* Fructus ex *opere operato* est ille, qui confertur intuitu meritorum Christi; est fructus principalis, independens a probitate celebrantis, et aeque conceditur, sive a bono, sive a malo sacerdote Missa celebretur.

Fructus *ex opere operantis* est ille, qui confertur intuitu meriti et devotionis celebrantis; est fructus accidentalis, estque pro sanctitate celebrantis major vel minor.[3])

c) *Ex parte participantium* quadruplex distingui potest fructus, videlicet: generalissimus, generalis, specialis et specialissimus.

α) *Fructus generalissimus* (ab aliis generalis, seu universalis dictus) est ille, cujus omnes fideles, tum vivi, tum defuncti, aliquo modo fiunt participes. Cum enim minister in quocunque Sacrificio agat nomine Ecclesiae, sacrificium prodest toti Ecclesiae.

β) *Fructus generalis* (ab aliis sub speciali contentus) est ille, qui obtingit fidelibus, qui Sacrificio assistunt, vel ad illud concurrunt, ministrando paramenta, luminaria, hostias etc. Hic fructus non pendet ab intentione celebrantis, sed a devotione fidelium, qui per peculiarem suam operam fiunt quodam modo offerentes.

---

[1]) S. Alph. L. VI. 312. [2]) Sess. XXII. can. 3. [3]) S. Alph. L. VI. 312.

γ) *Fructus specialis* seu *ministerialis* est ille, qui obtingit eis, quibus Missa applicatur. Hic ordinarie intenditur, ubi de Missae fructu simpliciter sermo est.

δ) *Fructus specialissimus* seu *sacerdotis personalis*, est ille, qui obtingit soli sacerdoti celebranti, eique est omnino proprius.[1]) An sacerdos hunc fructum applicare possit aliis, controvertitur; illud tamen est certum, non posse sacerdotem hunc fructum ita alteri applicare, ut aliud inde stipendium recipiat, nam Alexander VII. sententiam contrariam damnavit.

III. Applicatio Missae.

III. ***Applicatio Sacrificii Missae.*** Applicatio est intentio, qua sacerdos vult, ut Sacrificii fructus in utilitatem certae personae cedat. Quoad fructum generalissimum, generalem et specialissimum nulla requiritur specialis applicatio, bene vero quoad fructum specialem seu ministerialem; sed sufficit etiam relate ad hunc fructum *intentio habitualis* non retractata; nam illa applicatio se habet per modum donationis, quae valida est, donec retractetur. Est sententia communis et vera.[2]) Hinc qui in principio mensis vel hebdomadis determinat Missas celebrandas, vel legatum suscipit adimplendum, sufficit, etsi ad intentionem non amplius attendat. Necessarium etiam non est, ut intentio celebrantis sit explicite determinata, sufficit, ut determinetur implicite, e. g. dicendo: „offero hoc sacrificium pro eo, qui dedit stipendium; vel pro quo Superior vult Sacrum fieri; pro quo exigit fundatio; pro eo, cui applicare teneor etc. Non sufficit autem intentio interpretativa.

Si sacerdos, prioris intentionis immemor, novam eliciat, tunc valet illa, quae praedominans agnoscitur; si igitur prior applicatio fuerit magis universalis et revocatoria posterioris, ipsa valet. Si utraque esset aequalis, praevaleret posterior. In dubio sufficit, ut sacerdos alia vice ei applicet, cui prima vice non fuit applicatum; certum enim est, alterutram applicationem fuisse validam.[3])

Si confuse a diversis recepta sunt stipendia, applicatio sufficenter determinatur, si fiat secundum ordinem, quo stipendia accepta sunt, juxta axioma: „qui prior tempore, potior jure.“ Unde e. g. si P. Guardianus hoc modo centum stipendia acceperit, nulla alia cura ei incumbit, nisi ut Sacrum centies celebrari faciat ad dantis intentionem. Interruptio tamen intercedere potest, modo infra debitum tempus Missae celebrentur.

Ceterum applicare Sacrificii fructus solius est sacerdotis; unde si Religiosus applicet Missam contra Superioris voluntatem, illicite quidem, sed valide applicat, quia subditus quoad ordinis potestatem, qua tunc utitur, non subjacet Praelato. Suarez.

Applicatio autem facienda est ante celebrationem, aut saltem ante consecrationem, saltem secundae speciei, ne periculo nullitatis exponatur. Sacrificium, quod neque formaliter, neque habitualiter

---

[1]) S. Alph. L. VI. 212. Not. 2. Cfr. etiam Benedict. XIV. de Missae sacrificio L. 3. c. 21. [2]) S. Alph. L. VI. 335. q. 1. [3]) Lugo de Sacram. c. 9. disp. 8. n. 124.

ulli ante consecrationem applicatum est, non potest postea ulli applicari; hoc casu fructus manet in thesauro Ecclesiae, ut docet Suarez, quod etiam valet, si fructus Sacrificii applicatur incapaci.

Applicatio sub conditione jam impleta est valida, e. g. applico ad intentionem, quam habuit hodie Superior; vel, si mortuus est Petrus, applico pro ejus anima. *Non autem sub conditione futura contingente,* ut e. g. applico illi, cui Titus interrogatus voluerit,[1]) vel ei, qui prius morietur, vel qui primus stipendium oblaturus est. Ita Suarez, et est juxta s. Alphonsum sententia probabilior contra alios. Bene tamen advertit Turnely, quod si sacerdos praevideat, quod postulabuntur Missae pro aliquo defuncto, bene potest eas nunc offerre, et dein stipendium percipere, quia hoc casu jam offerentur pro persona determinata.

Quaestio inter Theologos multum agitata est, an applicatio fructus Missae ad certum gradum sit restricta, seu an fiat indefinite juxta capacitatem eorum, pro quibus offertur? Sententia multo probabilior, quam s. Alphonsus communissimam vocat, dicit, applicationem fieri *indefinite* juxta capacitatem fidelium, pro quibus offertur. Ratio est, quia valor Sacrificii est in se infinitus; unde per se potest applicari innumeris hominibus, quin exhauriri possit. Ergo si Sacrificium offeratur pro 100 vel 1000, singuli tantum percipient fructum, quantum perciperet unicus ille, pro quo solo offeretur. At licet ex hac communissima sententia recentiorum sacerdos unum idemque sacrificium pro pluribus applicare possit, non tamen fas ipsi est, plura recipere stipendia; id enim Ecclesiae decretis est interdictum. Alexander VII. sequentem propositionem profligavit: „Non est contra justitiam pro pluribus Sacrificiis stipendium accipere, et Sacrificium unum offerre.“ Porro, ut recte monet s. Alphonsus, cum et oppositae sententiae aliqua extrinseca saltem non desit probabilitas, sacerdos, qui stipendium ab uno accipit, idem sacrificium pro aliis applicare non debet, nisi cum conditione, modo ille ne defraudetur. Müller hanc sententiam divi Alphonsi dicit favorabiliorem pro fidelibus, et bonitatem Christi magis commendantem, quam sententia opposita. Ceterum et sententia opposita est probabilis et a gravissimis Auctoribus tenetur, uti a s. Thoma, Bonaventura, Scoto, Lugo, Reiffenstuel, et inter recentiores a Lehmkuhl, Gihr, qui dicunt, primam sententiam non cohaerere cum praxi Ecclesiae, neque cum praxi communi sacerdotum, neque cum analogia eorum, quae alias in oeconomia supernaturali divinitus constituta sunt.[2])

Applicari autem Missa potest, et sic offerri Sacrificium Missae pro sequentibus:

a) *Pro omnibus fidelibus vivis,* sive justis, sive peccatoribus, ut prioribus prosit ad augmentum gratiae, posterioribus ad poenitentiam. Pro acatholicis (sc. baptizatis) non potest Missa applicari et eleemosyna percipi, nisi constet expresse, eleemo-

---

[1]) S. Alph. L. VI. 337. [2]) Cfr. Lehmkuhl II. n. 183 sqq. Reiffenstuel tr. 14. q. 5. Müller II. §. 12. Marc P. III. n. 1594. etc.

synam ab acatholico praeberi ad impetrandam conversionem ad veram fidem. Ita s. Congr. Officii die 19. Aprilis 1837. — Pro infidelibus, e. g. Turcis, tamen applicatio etiam directe fieri potest, nam *postulatum* fuit: „Utrum liceat sacerdotibus Missam celebrare pro Turcarum aliorumque infidelium intentione et ab iis eleemosynam pro Missae applicatione accipere? S. C. Officii respondit 12. Julii 1865. „Affirmative, dummodo non adsit scandalum, ac nihil in Missa specialiter addatur, et quoad intentionem constet, nihil mali aut erroris, aut superstitionis in infidelibus — subesse.“ — Pro excommunicatis *vitandis* non licet; licite tamen potest sacerdos actionem sacrificandi, prout pendet a merito privato operantis, pro tali excommunicato offerre, vel ejus in *Memento* in particulari meminisse.[1])

b) Pro Defunctis existentibus in purgatorio, ut constat ex Concilio Tridentino,[2]) ubi dicitur, quod Sacrificium Missae non solum pro fidelium vivorum peccatis, poenis, satisfactionibus et aliis necessitatibus, sed pro Defunctis rite juxta Apostolorum traditionem offertur. Juxta sententiam veriorem et communiorem Sacrificium Missae prodest Defunctis ex infallibili promissione Christi.[3])

Non potest vero Missae Sacrificium offerri pro defunctis infidelibus, haereticis et schismaticis, tametsi adjiceretur conditio: si forte ob bonam fidem decesserint in haeresi tantum materiali; etenim secretiora haec divinae gratiae mysteria ad externum Ecclesiae judicium minime pertinent;[4]) et regula generalis est: „ut quibus non communicavimus vivis, neque communicemus defunctis.“[5]) Licet vero privatim pro ipsis sub Memento defunctorum orare, non secus ac pro excommunicatis vitandis.

Licitum est etiam Missae Sacrificium offerre pro fidelibus, qui decesserunt in actu peccati; attamen, si cui deneganda est ecclesiastica sepultura, non debet pro eo *publice*, i. e. sciente populo celebrari Missa. Juxta declarationem S. R. C. die 29. Nov. 1856 potest etiam Missa de Requiem ad intentionem dantis applicari, licet prorsus ignoretur, qualis sit haec intentio. Hinc concluditur, Missam de Requiem etiam *valide pro vivo* applicari posse, quod etiam licite fiet, si ratio sufficiens accedat, e. g. si alia paramenta non habeantur.

Nota. *Nota:* Peccata gravia, quae circa materiam modo expositam occurrere facilius possint, haec fere sunt:

a) Applicare Missam pro excommunicato vitando.

b) Missam publice dicere pro aliquo, qui extra unionem cum externa seu visibili Ecclesia defunctus est.

c) Stipendium accipere ad dicendam Missam pro fine peccaminoso, aut utcunque talem finem in celebranda Missa intendere.

---

[1]) S. Alph. L. VII. 162., VIII. 308. [2]) Sess. XXII. cap. 2. [3]) S. Alph. L. VI. 310. [4]) Greg. XVI. in Epist. ad Abbat. in Scheyern 16. Febr. 1842. [5]) Innocentius III. c. 12. de sepultura.

IV. ***Obligatio celebrandi Missam:*** Obligatio celebrandi potissimum ex triplici titulo potest oriri, nempe: IV. Obligatio celebrandi.

1. ***Ratione sacerdotii:*** De fide est, praeceptum aliquando celebrandi universali sacerdotali Ordini a Christo impositum fuisse.[1]) Utrum vero hoc praeceptum ad singulos etiam sacerdotes sese extendat, controvertitur. Sententia longe communior et probabilior *affirmat*, singulos teneri sub gravi tum jure divino tum jure ecclesiastico, aliquando celebrare; sed probabilius sufficit, si sacerdos ter vel quater in anno celebret, licet talis sacerdos non videatur excusandus a veniali. Et haec sententia est conformis Decreto S. C. Concil. ab anno 1696, ubi dicitur: „Qui sine justa causa ter vel quater in anno non celebravit, peccat mortaliter, et potest ab Episcopo puniri.“[2]) 1. Ratione sacerdotii.

2. ***Ratione officii:*** Omnes animarum pastores jure naturali et divino aliquando celebrare pro ovibus suis tenentur. Iidem ex jure ecclesiastico celebrare, et pro ovibus suis *applicare* tenentur omnibus diebus dominicis et festis, quibus fideles Missam audire debent.[3]) — Ad hoc non tantum *parochi saeculares,* sed et *regulares tenentur;* item tum *amovibiles* tum *inamovibiles*, sive congruam sustentationem habeant, sive non habeant, tametsi adesset consuetudo immemorabilis in contrarium, ut declaravit Benedictus XIV.[4]) Item omnes *pastoris vice fungentes,* quales sunt tum *vicarii curati,* tum *viceparochi, seu Provisores* i. e. vicarii, qui vacante parochia deputantur, ut ei praesint.[5]) Quodsi quis duas distinctas parochias habeat, aut si Episcopus officium parochi exerceat, duplicem Missam applicare tenetur,[6]) nisi unio duarum parochiarum *sit plenaria et exstinctiva.* 2. Ratione officii.

Sub diebus festivis comprehenduntur etiam dies festi, in quibus Papa dispensavit opera servilia, ut P. M. Pius IX. in Encyclica „Amantissimi Redemtoris“, die 3. Maji 1858 expresse declaravit, id unum excipiens, „ut scilicet, quando *una cum solemnitate divinum Officium translatum fuerit in Dominicam diem*, una tantum Missa pro populo sit a parocho applicanda.“ Item una Missa satisfit, si festum in diem Dominicam incidat.

In ecclesiis cathedralibus, collegialibus et monasteriorum quotidie Missa conventualis pro benefactoribus applicanda est. Si cum hujusmodi ecclesia conjuncta est cura animarum, ita ut simul sit ecclesia parochialis, tunc diebus Dominicis et festis duae Missae applicandae sunt, una pro benefactoribus, et altera pro parochianis, ut declaravit Benedictus XIV.

Ut huic strictissimae obligationi satisfiat, animarum pastores hanc obligationem implere tenentur:

α) Diebus statutis, nisi legitima dispensatio intercesserit.

β) Loco statuto, nempe in ecclesia parochiali, ut constat ex variis S. C. Concilii declarationibus, die 12. Martii 1774. Attamen

[1]) Trident. Sess. XXII. can. 2. [2]) S. Alphons. L. VI. 313. S. Thom. 3. p. q. 82. a. 10. Cfr. etiam s. Alph. L. VI. n. 359. [3]) S. Alph. L. VI. 313. [4]) Bulla „Cum semper“ die 19. Aug. 1744. [5]) Cfr. Schober Append. II. c. 2. [6]) S. C. de propag. fide die 23. Martii 1863.

eadem Congregatio die 14. Decembris 1872 declaravit: „Parochum die festo legitime absentem satisfacere suae obligationi Missam applicando pro populo suo *in loco, ubi degit,* dummodo ad necessariam populi commoditatem *alius sacerdos* in ecclesia parochiali celebret, et verbum Dei explicet.“ Nec vero requiritur, ut Missa solemnis applicetur; sufficit *Missa privata*, ut S. R. Congr. die 27. Febr. 1847 declaravit.[1])

γ) *Per se ipsos;* quia est obligatio personalis, ut S. C. Concil. declaravit die 25. Sept. 1847.[2]) — Proinde non potest contraria consuetudo, sed causa tantum canonica rationem sufficientem praebere, ut per alium celebrare valeant. Causa autem canonica censetur: gravis infirmitas, legitima absentia, obligatio canendi Missam conventualem,[3]) Superioris dispensatio. — Celebratio autem Missae funeralis, praesente licet cadavere, non est causa sufficiens, quae ab onere personali eximere possit, ut S. C. Concil. die 26. Jan. 1771 declaravit.[4])

δ) Legitime impediti tenentur *per alios* celebrare, quia obligatio non est tantum personalis, sed simul *realis.*[5]) Quocirca S. C. Congr. declaravit die 14. Decem. 1872. „Parochum utcumque legitime impeditum ne Missam celebret, teneri eam die festo per alium celebrari, et applicari facere pro populo in ecclesia parochiali; quod si ita factum non fuerit, quam primum poterit, Missam pro populo applicare debere.“

Ultimo notandum est, quod obligatio realis *semper gravis est;* obligationem aliarum circumstantiarum *raro* omnino transgredi, non videtur grave peccatum; aliud dicendum, si saepius fiat.[6])

3. Ratione stipendii.

3. ***Ratione stipendii:*** Stipendium Missae dicitur eleemosyna, quam fideles sacerdotibus largiuntur, ut Sacrificium pro ipsis, vel ad eorum intentionem offerant. Licitum est cuivis sacerdoti, etiam diviti pro celebranda Missa *justum stipendium* recipere.[7]) *Justum stipendium* vero illud est, quod taxatum est ab Episcopo, vel a consuetudine, vel saltem a viro prudenti, si deest taxa ab Episcopo vel a consuetudine facta.[8]) Est sententia communis et tenenda ex declaratione S. C. Concil. die 25. Nov. 1698. Quapropter, si testator reliquit Missas celebrandas, non taxata eleemosyna, celebrandae sunt ad taxam communem, aut taxandae sunt juxta loci consuetudinem, prout etiam declaravit S. C. Congr. die 23. Nov. 1697, habita ratione haereditatis pinguis aut tenuis.[9]) Taxae Episcopi etiam Regulares sub gravi stare tenentur, ut declaravit S. C. Congr. die 15. Jan. 1639. Spectato solo jure sacerdoti licet etiam accipere stipendium *infra* taxam, „casu vero, quo Episcopus id prohibet, omnino sacerdotes tenentur ei obedire,“ ut declaravit S. C. Con. die 6. Jan. 1649. Attamen, si quis scienter

---

[1]) Cfr. Gardellini n. 5079. ad 4. [2]) Cfr. Acta S. Sedis. Vol. XIV. n. 335. [3]) Benedict. XIV. Constit. „Cum Semper“ §. 27. [4]) Cfr. Thesaur. Resolut. tom. 40. p. 1. [5]) Cfr. s. Alph. L. VI. 326. [6]) Lehmkuhl II. n. 196. [7]) S. Thom. 2. 2. q. 100. a. 2. ad 2. [8]) S. Alph. L. VI. 319. [9]) S. Alph. L. VI. 320. et H. A. XV. 61.

acceptaverit stipendia minora, debet tot Missas celebrare, quot promisit, ut iterum declaravit S. C. Conc. die 21. Junii 1625, nec potest earum numerum imminuere, nisi ignoranter egerit, prout recte auctores concedunt.[1])

Non licet vero sacerdoti stipendium *supra* taxam exigere.[2]) Potest tamen plus recipere, tum ex spontanea dantis liberalitate (quod nec Episcopus prohibere valet, sicut decisum fuit a S. C. Conc. die 16. Jan. 1649) tum ex justitia pro labore extraordinario, e. g. pro Sacro celebrando tali hora, vel tali loco incommodo. Unde non sunt illicitae postulationes, imo nec pactiones, modo sint justae ac moderatae, et modo fiant absque scandalo.[3])

Qui facultatem habet *bis* in die celebrandi, pro secunda Missa stipendium accipere non potest, nisi s. Pontifex indulserit.[4]) Pro peculiari autem labore, e. g. ratione itineris ad dissitam ecclesiam, permittitur, ex prudenti Episcopi arbitrio, aliquid percipere.[5]) Sub hac autem prohibitione non comprehenduntur tres Missae, quas celebrare licet in solemnitate Nativitatis D. N. J. C. ista enim iteratio conceditur non ex Indulto, sed ex consuetudine immemorabili, unde licet tria stipendia pro tribus Missis acceptare. Hoc vero non licet pro duabus Missis, quae ex concessione Benedicti XIV. in regnis Hispaniae et Lusitaniae addenda permittuntur die Commemorationis omnium defunctorum, nisi antiquum privilegium jam exstiterit.[6])

His in genere praemissis jam *officia stipendium accipientis sunt sequentia:*

a) *Ex stipendii acceptatione oritur obligatio strictae justitiae tot celebrandi Missas, quot pro ratione acceptae eleemosynae promissae fuerint.* Alexander VII. sequentem propositionem n. 10. damnavit: „Non est contra justitiam pro pluribus Sacrificiis stipendium accipere, et Sacrificium unum offerre.“ Unde sacerdos graviter peccat, qui non tot Missas celebrat, quot stipendia accepit. Si tamen omittat Missam *gratis promissam,* probabiliter non graviter peccat, quia simplex promissio non obligat sub gravi, nisi promittens expresse sub gravi se obliget;[7]) dicunt etiam, quod sacerdos pluribus Missis gratuito promissis possit per unum Sacrum satisfacere. Omnes autem conveniunt, peccare graviter, qui omittit Missam debitam ex voto, aut praecepto Praelati, quia nemo dubitare potest, hanc esse materiam gravem in voto vel praecepto.[8])

b) *At celebrandi obligatio ex acceptatione stipendii potest, seclusa peculiari stipulatione, etiam per alium impleri, ea tamen lege, ut huic integrum stipendium tradatur.* Ecclesia etenim per Decretum S. C. C. ab Urbano VIII. approbatum et Innocentio XII.

---

[1]) S. Alph. VI. 320. dub. 3. [2]) Cfr. Conc. Trid. Sess. XXII. Decret. de observandis. [3]) S. Alph. L. VI. 320. dub. 2. et 4. [4]) Cfr. Collect. S. Sedis n. 382. [5]) S. C. C. 23. Mart. 1861. Cfr. Acta S. Sedis Vol. 1. 13. [6]) Cfr. Benedict. XIV. de Sacrif. Mis. L. III. c. 4. n. 11. [7]) S. Alphons. L. VI. 317. q. 3. [8]) S. Alph. l. c. q. 4.

confirmatum, districte prohibuit, ne sacerdos, qui Missam cum certo stipendio celebrandam suscepit, eandem Missam alteri, parte stipendii sibi retenta, celebrandam committat; et Alexander VII. sententiam contrariam n. 9. proscripsit. — Neque hujus stipendii diminutio ex eo licita evadit, quod pars illa detracta in aliam causam piam impendatur, nisi forte, *qui dedit stipendium*, in id consentiat, ut declaravit S. C. C. die 9. Sept. 1874.[1])

Ab hac prohibitione eximendi tamen sunt nonnulli casus, quibus licite pars stipendii accepti detrahi potest, modo non minuatur numerus Missarum. Et quidem sequentes:

α) *Si cum consensu donatorum aliquid detrahitur* pro alia causa pia.

β) Si alter sacerdos, cui Missa dicenda committitur, *non rogatus omnino sponte et libere* partem aliquam cedit, si quidem id pro puro dono tum habetur. Hoc tamen minime valet, si tu indices majus pretium acceptum, et sacerdotem roges, ut remittat, vel ab eo quaeras, an consentiat, ut tu partem retineas; nam hoc in Bulla („Quanta cura") Renedicti XIV. asseritur tamquam execrabilis abusus, vetitus a pluribus Pontificibus.[2])

γ) *Si excessus super stipendium consuetum datus est ratione peculiari personae, amicitiae, necessitatis habita;* quod si factum est, ille excessus jam non habet rationem stipendii, sed rationem doni seu eleemosynae superadditae.

δ) Si agitur non de stipendiis manualibus et obligatione Missarum *inde* exorta, sed de oneribus Missarum, quae *alio modo alicui fundationi,* ut Capellaniae etc. inhaerent, aut quae honoraria pars sunt annuorum reddituum parochi, loci pii etc.; aut si agitur de Missa, cujus celebratio ad jura parochialia pertinet, et quacum certa „jura stolae" connexa sunt.[3])

ε) *Si quis in procurandis seu colligendis Missarum stipendiis pro aliis quasi ex munere destinatus est,* adeoque non accepit stipendia, ut a se Missae celebrarentur, potest moderatam mercedem sui laboris exigere, „si ad hoc munus destinatus sit, et labor vere mercedem mereatur."[4])

ζ) *Si adest S. Sedis dispensatio.* Romanus enim Pontifex concedere potest, ut quaedam eleemosynae pars propter speciales rationes retineatur. Hujusmodi concessio in favorem pauperum ecclesiarum facta est per Decretum S. C. Concilii confirmatum ab Innocentio XII. die 13. Nov. 1697, et etiam hodiedum ob similes rationes conceditur.[5])

---

[1]) Cfr. Acta S. Sed. Vol. VIII. p. 108. [2]) S. Alph. VI, 321. Excip. 2. [3]) Cfr. Scavini tom. 1. n. 692. edit. 10. [4]) S. Alph. L. VI. n. 322. dub. 3. Lehmkuhl P. II. n. 204. [5]) Cfr. etiam Decret. S. C. C. 24. Aprilis 1875.

c) *Severissime prohibitum est, quaestum facere ex Missarum stipendiis, quae ad alios transmittuntur.* Ubi haec potissimum notanda sunt:

α) *Excommunicationi latae sententiae R. Pontifici reservatae subjiciuntur:* „colligentes eleemosynas majoris pretii pro Missis, et ex iis lucrum captantes faciendo eas celebrari in locis, ubi Missarum stipendia minoris pretii esse solent“. Ita juxta Constitut. „Apostolicae Sedis“ Pii IX. 1869. At non solum ejusmodi turpe lucrum, sed alia etiam, quae alicujus turpis quaestus periculum iducere possint, S. Sedes interdixit.[1]) Unde:

β) *Turpe mercimonium sapit, ideoque improbanda et poenis etiam ecclesiasticis, si opus fuerit, coercenda est ab Episcopis,* illorum bibliopolarum vel mercatorum agendi ratio, qui, adhibitis publicis invitamentis et praemiis, vel alio quocunque modo, Missarum eleemosynas colligunt, et sacerdotibus, quibus eas celebrandas committunt, non pecuniam, sed libros aliasve merces rependunt. Quare istiusmodi agendi rationi cooperari non licet, sive Missarum eleemosynas colligentibus tradendo, sive onus Missas celebrandi acceptando. Ita S. C. Congr. die 9. Sept. 1874.

γ) *Non vero illicite agunt sacerdotes, qui pro Missis celebratis recipiunt stipendii loco libros, vel alias merces,* seclusa quavis negotiationis vel turpis lucri specie.[2]) Similiter non improbandi sunt moderatores vel administratores *diariorum religiosorum,* qui sacerdotibus Missas celebrandas committunt, retento ex earum eleemosynis pretio diariis ipsis respondenti in casu, „dummodo tamen nil detrahatur fundatorum voluntati, circa stipendii quantitatem, locum ac tempus celebrationis Missarum, exclusa quacunque studiosa collectione, et docto cui de jure de secuta Missarum celebratione, facto verbo cum Sanctissimo.“ Ita S. C. Concilii die 24. Aprilis 1875.[3])

d) *Sacerdos infra modicum tempus stipendia persolvere tenetur, fideliter implendo, quae de loco, hora et ritu celebrandi Missam adjecta forsitan fuere;* omnes etenim istae circumstantiae obligant: ratio est, quia intercessit verus contractus „do ut facias“, qui inducit obligationem. Unde notandum:

α) *Si tempus expresse determinatum fuerit,* tunc etiam Missa *tempore statuto* celebrari debet. Dilatio tamen in diem sequentem excusari posse videtur, nisi Missam petens gravem ob causam hunc diem praefixerit, vel etiam hunc in finem majus stipendium obtulerit.[4])

---

[1]) Cfr. Resolutiones S. C. Congr. 13. Aug. 1874 a Pio IX. confirmat. et ad Episcopos transmissas. [2]) Cfr. Collect. S. Sedis n. 383. ad 6. [3]) Cfr. Acta S. Sedis Vol. VIII. pag. 650.—659.; vel fusius ap. Thesaur. Resol. tom. 134. N. II. [4]) S. Alph. L. VI. 317.

Si vero nullum tempus fuerit praefixum, tunc Missa *infra modicum tempus* celebrari debet. Modicitas autem temporis omnino relative sumenda est. Et quidem *gravis* censenda est quaevis dilatio, per quam petens Missam intento fine frustraretur. Quare graviter peccat sacerdos, si petitam Missam pro aliqua urgente gratia impetranda, puta pro actualiter agonizante, pro felice partu, evadendo periculo, lite vincenda etc., omittat intra tempus celebrationi aptum; tunc enim circumstantia temporis pertinet ad substantiam rei petitae, unde transacto eo tempore, sacerdos tenetur stipendium restituere, dantemque monere de Missis tempore apto omissis.[1])

In Missis pro defunctis, praesertim recenter defunctis, dilationem *unius mensis gravem* reputant multi theologi;[2]) *in aliis Missis* juxta s. Alphonsum[3]) et alios, dilatio *duorum mensium* gravis est censenda, quare infra bimestre satisfaciendum est.

At S. Sedes etiam majorem dilationem concedere potest, sicut etiam potest Missarum obligationem reducere vel exstinguere, „ex spirituali thesauro Ecclesiae supplendo," ut Benedictus XIV.[4]) dicit. Re ipsa a tempore Pii IX. Missionariis aliisque, qui omnibus Missarum oneribus tam cito satisfacere posse sibi non videbantur, speciale privilegium jam saepius concessum est „pro gratia dilationis spectatis peculiaribus circumstantiis, *non tamen ultra sex menses*", ut declaravit S. C. Congr. die 24. April. 1875.[5]) — Sed longius Missa etiam differri potest, si erogans stipendium impedimento audito in dilationem consentiat, ut eadem S. Congr. die 21. Junii 1625 explicavit; lex enim ecclesiastica quoad tempus celebrationis data est in favorem illius, qui stipendium erogat, illo igitur expresse consentiente quaevis dilatio, etiam longissima, licita est.

Missae fundatae intra annum persolvi debent, nisi in literis fundationis aliud sit praescriptum; qui anno elapso illa onera diutius, e. g. ultra duos vel tres menses differt, vix a peccato gravi excusandus est.[6])

β) *Sacerdos etiam fideliter implere debet, quae de loco, hora et ritu celebrandi Missam adjecta forsitan fuere.* Celebrans, qui *loci* conditionem non servat, plus minusve graviter peccat, pro majori minorive repugnantia illius, qui stipendium dedit. Imo si locus *aeque principaliter* intentus fuerit, e. g. alma domus Lauretana ad imaginem miraculosam, vel *tempus*, e. g. festum in honorem B. V. M., sacerdos non potest retinere stipendium, nisi Missam celebrando istis circumstantiis apprime satisfecerit, secus si locus vel tempus non ita intendatur.

Qui stipendium acceptavit ea conditione, ut in *altari privilegiato* sacrificium celebret, non satisfacit celebrando in alio

[1]) S. Alph. l. c. [2]) L. c. [3]) Ibid. [4]) De syn. dioec. L. XIII. c. 25. n. 15. [5]) Cfr. Acta S. Sedis Vol. VIII. p. 660. [6]) Cfr. Linz. Quartalschrift 1886 p. 886 sqq.

altari, nisi ipse privilegio altaris personali gaudeat. Sic Congr. Indulg. die 16. Febr. 1852. Et qui celebravit, quin susceptae obligationi satisfecerit, tenetur ad restitutionem, et quidem juxta Decretum S. C. Indulg. die 6. Febr. 1857 nulla alia restitutio sufficiens est, nisi nova Applicatio in altari privilegiato.[1]) Non sufficit ergo, aliam indulgentiam plenariam applicare, nec opus est, ut stipendium restituatur.

Missae speciem seu ritum non servare, e. g. si celebres Missam de festo occurrenti pro Missa *votiva* aut de *Requiem*, etiam quando per Rubricas haec conceditur, non excedit veniale, cum Missae substantia aeque habeatur; quare celebrans stipendium retinere potest. — Quod si justa de causa sacerdos sic egerit, e. g. ad servandas rubricas, nullo modo peccavit.[2])

Nota: Quoad praedictam materiam praecipue graviter peccat: Nota.

α) Sacerdos, qui negligit aliquoties saltem in anno Missam celebrare.

β) Qui, pastorali munere suscepto, diebus dominicis et festis pro populo Missam non applicat, aut saepius id sine causa necessaria alteri committit, vel saepius extra parochialem ecclesiam facit.

γ) Qui onus dicendi Missam vel applicandi ex fundatione sibi impositum non implet.

δ) Qui accepto stipendio Missae ad dantis intentionem non celebrat, aut id diu differt.

ε) Qui pro una Missa celebranda plura sumit stipendia; vel qui Missam alteri committit, retenta stipendii parte, saltem si res gravis est in materia justitiae.

ζ) Qui stipendium ultra taxam *exigit*, etsi excessus non est gravis in materia justitiae.

η) Qui Missarum stipendiis mercimonium instituit.

ϑ) Qui non implet ea, de quibus quoad locum et horam celebrandi expresse conventum est.[3])

V. ***Tempus et locus celebrationis.*** Ad ea, quae Missae celebratio postulat, pertinet etiam circumstantia *temporis* et *loci.* V. Tempus et locus celebrationis.

1. ***Tempus celebrationis*** quod attinet, haec valent: 1. Tempus celebrationis.

a) *Licitum et laudabile est, quotidie celebrare, nisi obstet specialis Ecclesiae prohibitio;* hujusmodi autem prohibitio obstat tribus ultimis diebus Hebdomadis sanctae. Et quidem feria V. in Coena Domini admittitur tantum Missa solemnis ab ecclesiae rectore, vel ab ejus vices gerente celebranda, nisi hac die occurrat festum de praecepto, e. g. s. Josefi, vel Annuntiationis B. V. M.[4]) — In commodum infirmorum potest tamen Episcopus concedere, ut in ecclesia (non in privato valetudinarii

---

[1]) Cfr. Gassner, Pastoral pag. 863. [2]) S. Alph. L. VI. 327. [3]) Cfr. Lehmkuhl II. n. 191.—208. Marc III. n. 1602.—1623. Müller III. §. 20.—25. Reiffenstuel de Sacrif. [4]) S. R. C. 27. Sept. 1868. Cfr. Gardell. n. 5405.

sacello) una Missa privata, excepta solemni celebretur.[1]) Similiter Superior *regularis* potest Missam privatim celebrare in privato Oratorio ad ministrandam Religiosis Communionem, et si desit oratorium, hoc fiat in ecclesia januis clausis.[2]) — Feria VI. in Parasceve vero prohibitio est absoluta, et sacerdotibus *sub gravi* a celebrando abstinendum est, nisi celebrandum sit in necessitate conficiendi Viaticum; quodsi contingit, celebranda est Missa, quae magis convenit, scilicet de passione Domini[3]) — In Sabbato Sancto permittitur solummodo Missa solemnis, et in ecclesiis minoribus lecta, servata forma parvi Ritualis Benedicti XIII. Ex specialissimo tamen privilegio a S. Sede permittitur etiam aliquando Missa privata; quod valet etiam in necessitate conficiendi Viaticum, quo in casu omnibus aliis praetermissis, Missa incipit ab „Ordine Missae".[4])

b) Licet tamen semel tantum in die celebrare. Antiquitus licebat quidem pluries eadem die Sacrificium facere, quod tamen a multis jam saeculis sub gravi prohibitum est. Excipitur vero:

α) Dies Nativitatis Domini; in hoc enim festo, uti jam dictum est, cuique sacerdoti licet tres Missas celebrare, et pro singulis stipendium accipere.

β) Casus necessitatis; si nempe magna pars populi die dominica vel Festo de praecepto Missa careret, potest sacerdos de *licentia Episcopi* binare seu bis celebrare, ut fusius in jure canonico dicetur.

c) Per se licet tantum tempore „ab aurora ad meridiem usque" celebrare, ut a Rubrica praescribitur; quod juxta Benedictum XIV. et Clementem XII sic intelligendum est, ut Missa non sit *finienda* ante auroram, neque *incipienda* post meridiem. Quare fere duabus horis ante ortum solis licet incipere; imo in regionibus septentrionalibus aurora diutius producitur, ita ut in hieme plus quam duabus horis ante ortum solis incipere liceat. Si in regionibus septentrionalibus aestivo tempore aurora vix cessat, non convenit ante horam secundam matutinam celebrare, quum illa hora ab Ecclesia pro ultimo termino habeatur, ultra quem nunquam conceditur facultas celebrationem Missae anticipandi; excusat tamen etiam ab hoc termino gravis causa. — Obligat vero haec prohibitio celebrandi ante auroram et post meridiem *sub gravi,* in materia gravi, ut constat ex Tridentino.[5]) Materia autem gravis censetur, inchoare Missam *integra hora* ante auroram vel *integra hora* post meridiem. *Per se,* scilicet vi juris, ab hac lege excipitur solum *Missa solemnis Nativitatis Domini*, quae celebrari potest media nocte. Non vero licet in hac nocte celebrare successive duas alias Missas, vel sub Missa solemni aliam Missam privatam, ut ex diversis Decretis contra multos veteres scriptores decisum est. — Id tamen Episcopis conceditur, ut in oratoriis publicis seu

---

[1]) Ibi n. 4361 (24. Martii 1773). [2]) Ibi n. 4870 (31. Aug. 1839. [3]) Lehmkuhl II. n. 211. [4]) Lehmkuhl l. c. [5]) Sess. XII. Decret. de observ. in celebr. Miss.

capellis, unam Missam, etiam sine cantu, juxta regionis consuetudinem *tolerare* possint, uti colligitur ex S. R. C. 7. Sept. 1850. Ex causa vero mediocriter gravi, licet tamen tempus legitimum antevertere aut postponere, et quidem:

α) *Ratione viatici conficiendi* prorsus celebrari debebit, etiam statim post mediam noctem;

β) ubi mos rationabilis est, opificibus praebendi opportunitatem pro Missa audienda, licebit, quando ad id necesse est, etiam per spatium unius horae tempus antevertere;

γ) si die festivo solemne Sacrum contrahitur ultra meridiem hora et amplius, et consuevit post Sacrum solemne Missa privata celebrari, licebit etiam tum id facere pro populi commoditate, cujus notabilis pars aliter facile Missa careret;

δ) si sacerdos die Dominica vel festo ex itinere impeditur, potest hora sive ante auroram sive post meridiem celebrare;

ε) ex rationabili causa Episcopus in casu particulari dispensare potest. Hac facultate pollent quoque omnes Superiores religiosi erga suos subditos, cum sint eorum Ordinarii, ut habet s. Alphonsus;[1])

ζ) ex privilegio seu Indulto apostolico, post Concilium Tridentinum concesso, quo gaudent etiam Mendicantes, licet celebrare una hora ante auroram vel post meridiem; quod intelligi debet de una hora ante vel post tempus pro aliis non privilegiatis assignatum, alioquin privilegium parum prodesset.[2])

2. Locus celebrationis.

2. ***Locus celebrationis.*** *Jure communi et ordinario licet tantum celebrare in ecclesiis et oratoriis ad divinum cultum deputatis, i. e. consecratis vel saltem benedictis, non pollutis, execratis vel interdictis.* Constat ex Tridentino.[3]) Oratoria autem, in quibus celebrare licet, sunt tantum Oratoria *publica*, quo nomine veniunt tum quae aditum habent in via publica et cuivis e populo patent, tum quae in palatiis Episcoporum, monasteriis, seminariis, hospitalibus, carceribus etc. erecta sunt. In domibus Regularium erectio fit per Superiores regulares;[4]) alia oratoria publica vero erigi tantum possunt deputatione Episcopi. — Sed notandum:

a) Dicitur: *„jure communi"*; nam ex Indulto apostolico, etiam in *oratoriis privatis* licitum est celebrare. Hanc vero licentiam Episcopi concedere non possunt,[5]) nisi graves et urgentes adsint causae, et per modum actus tantum.[6]) Porro in oratoriis privatis licitum tantum est celebrare *diebus in Indulto expressis*, et *praesente aliqua ex personis*, quibus directe concessum est Indultum. Nec possunt ibi plures celebrari Missae, si in Indulto dicatur: *una* Missa quotidie celebretur; excipitur tamen, juxta declarationem S. Congr. Con., quod in oratorio privato, in quo ex causa infirmitatis a Sede apostolica conceditur, ut

---

[1]) L. VI. 343.—344. [2]) S. Alphons. L. VI. 346. Cfr. Collect. S. Sed. n. 384.—387. Item Benedict. XIV. Instit. 68. n. 11. [3]) Sess. XXII. de observand. [4]) Gatticus, de oratoriis cap. 12. n. 18. [5]) Benedict. XIV. Const. Magno 2. Junii 1751. [6]) S. C. C. 20. Dec. 1856.

Missa die Nativitatis Domini celebretur, tres Missae ab eodem sacerdote celebrari possunt. Excipitur etiam casus, quo celebrandum foret ad Viaticum ministrandum infirmo, vel in domo vicina decumbenti, quo casu etiam absente indultario, celebrare licet.[1]) — Imo licet celebrare in domo infirmi vel in viciniori loco, si locus decens sit, ne infirmus Viatico privetur (quando nempe neque publice, neque occulte deferri potest).[2])

b) Dicitur porro: *„jure ordinario"*; nam in casu necessitatis licet celebrare Missam in quocunque loco decenti. Casus autem *necessitatis* sunt:

α) Si ecclesia sit diruta;

β) si quis sacerdos longam peragat peregrinationem per loca deserta, vel infidelium;

γ) si ecclesia non sit capax populi, ita, ut multi Missa carerent;

δ) si exercitus inveniatur in castris, aut navigantium multitudo in littore maris. Ita communiter.[3])

Convenit autem in hisce casibus, ut licentia ab Episcopo obtineatur, si commode peti potest. Quod si casus necessitatis sit dubius, Episcopus bene dispensare potest.[4]) Ut vero liceat in mari celebrare, requiritur Indultum Apostolicum.

c) Dicitur tandem: *„in ecclesiis non pollutis, execratis vel interdictis"*; in hujusmodi etenim ecclesiis, nisi adsit necessitas, Sacra peragere sub gravi prohibitum est. In casu necessitatis tamen, nempe si populus non habeat aliam ecclesiam, licet cum Episcopi, si adiri possit, licentia, secus sine ea, celebrare in ecclesia execrata aut polluta, quae tamen per istam celebrationem non reconciliatur.[5]) Item in loco interdicto, festis solemnioribus, permittitur celebrare.

Polluitur vero ecclesia vel oratorium publicum: per homicidium voluntarium et injuriosum; per copiosam *humani sanguinis effusionem,* ortam ex percussione aut vulnere gravi; per voluntariam et sacrilegam *humani seminis effusionem,* sive per pollutionem, sive per fornicationem, sive per quemcunque alium modum; per *sepulturam excommunicati vitandi, haeretici denuntiati, vel infidelis seu non baptizati.*

Ut vero in praedictis casibus ecclesia polluatur, requiritur:

α) Ut praedicta crimina patrentur vel efficaciter causentur intra ipsam ecclesiam, i. e. in iis partibus, quae proprie pertinent ad corpus ecclesiae, quod a fornice superiori usque ad pavimentum, et a porta interiori usque ad ultimam parietem extenditur;

β) ut sint notoria notorietate juris aut facti; sive statim ab initio, sive successu temporis.

---

[1]) S. R. C. 27. Aug. 1836. [2]) S. C. de Propag. Fid. 14. Dec. 1868. [3]) S. Alph. L. VI. 359. Cfr. Gardellini, nota ad deciss. S. R. C. 27. Aug. 1836. [4]) S. Alph. L. VI. 359. [5]) L. c. 361. Exam. Ord. n. 115.

Statim ac pollutio notoria facta est, debet auferri s. Eucharistia, nudatisque altaribus, omnia mobilia tollenda sunt.

Ecclesia execratur, cum amittit suam consecrationem vel benedictionem, quod fit: „si parietes secundum majorem partem destruantur, vel omnis eorum crusta aut major saltem pars simul auferatur.“ Non execratur autem, si solum tectum aut fornix superior immutatur, vel si destructio ac refectio fiant successive per modicas partes, quamvis tota ecclesia renovaretur. Idem dicendum est, si conversa fuerit in usum profanum, quia tunc sola reconciliatione indiget.

Plura et fusiora de hac materia in jure canonico occurrent.

VI. ***Modus celebrandi.*** Hunc quod attinet, duo potissimum pensanda sunt, scilicet: *requisita ad Missam*, et *Rubricae in celebratione servandae.* VI. Modus celebrandi.

1. ***Requisita ad Missam*** sunt plura et quidem sequentia: 1. Requisita ad celebrationem.

a) *Altare lapideum, fixum vel portatile*, ab Episcopo aut ex concessione solius Papae ab alio sacerdote consecratum; et quidem sub gravi.

b) *Mappa triplex ex lino vel cannabe* confecta, benedicta ab Episcopo vel alio, talem facultatem habente. Celebrare sine Mappa non excusatur a mortali, nisi adsit gravis necessitas; celebrare cum mappis non benedictis; vel cum duabus aut una mappa tantum, veniale non excedit; causa rationabilis excusat ab omni peccato.[1]

c) *Crux cum imagine Crucifixi*, super altare in medio collocata, palam, visibilis et talis magnitudinis, ut subito in conspectu veniat celebrantis et populi, ut dicit Rubrica.[2] Celebrare sine cruce non potest excusari a veniali.[3] Crux tamen non requiritur, si sculpta vel depicta Crucifixi imago principem locum in majori tabula altaris teneat.[4] In altari, ubi est publice expositum S.S. Sacramentum tempore Sacrificii, crux ponatur vel non, juxta locorum consuetudinem.[5]

Ad crucis pedem tabellam Secretarum statuendam Rubrica indicat; tabellas laterales usus introduxit.

d) *Candela duplex accensa ex cera.* Hoc praeceptum obligat sub gravi. Sine ullo lumine celebrare tam severe prohibetur, ut ante consecrationem, si lumen deficiat neque aliud haberi possit, a Sacrificio cessari debeat; si vero post consecrationem inceptam, Sacrificium prorsus perfici, neque diu (ut per $^1/_2$ horam vel etiam $^1/_4$) interrumpi debet.

Ad conficiendum Viaticum vero juxta sententiam probabilem, imo valde probabilem, sacerdos etiam sine ullo lumine procedere potest.[6]

Celebrare cum *uno cereo* juxta sententiam communiorem

---

[1]) Cfr. s. Alphons. L. VI. 375. [2]) Cfr. Resp. S. R. C. 17. Sept. 1822. [3]) S. Alph. VI. 393. [4]) Benedict. XIV. Decret. Accepimus 16. Julii 1746. [5]) S. R. C. 2. Sept. 1741. [6]) Lacroix L. VI. p. 2. n. 392. Sporer de Euch. n. 381. Lehmkuhl II. n 233.

et probabiliorem, est tantum veniale, a quo quaelibet rationabilis causa excusat, idque sive addatur lumen ex alia materia, sive non.

Celebrare cum candelis *ex sebo, stearina, oleo,* communiter ut grave habetur, a quo gravis tantum causa excusat.[1])

Attamen si praescripti cerei adsint, non prohibetur adhibere (extra mensam altaris) candelas ex alia materia, e. g. stearina, ad augendam solemnitatem; possunt etiam in Missa privata plures, quam a Rubrica praescribuntur, cerei accendi, ob alicujus festi solemnitatem, vel etiam ob devotionem; non autem ob celebrantis dignitatem, nisi sit Cardinalis, Episcopus vel Abbas usum Pontificalium habens, ut declaravit S. R. C. 24. Sept. 1857.

e) *Missale cum pulvillo*: Missale, continens saltem Canonem, sub gravi requiritur; attamen, si quis moraliter certus est, se omnia ex memoria recitare posse, sine Missali pro uno alterove casu, quo inveniri non possit, etiam ex sola devotione licite celebrat; admirationis vero vitandae causa alterum librum ante se habeat. Ita cum Lugo et aliis s. Alphonsus, vocans hanc „sententiam communissimam".[2]) Missalia, sicuti reliqui libri liturgici, omnino indigent Approbatione Episcopi. — Pulvillum requiritur tantum sub levi.

f) *Calix et patena consecrata,* sub gravi; praescribitur, ut patena et cuppa calicis sit aurea, vel argentea intus deaurata, vel saltem stannea intus deaurata. Pius IX. sub certis conditionibus permisit etiam, ut vasa sacra ex *aluminio* conficerentur.[3]) — Calix vel patena, si denuo deaurentur, etiam denuo consecranda sunt, ut declaravit S. R. C. 14. Junii 1845. — Ciborium, Monstrantia et Lunula possunt etiam esse ex cupro deaurato, ut patet ex Rescripto S. R. C. 31. Aug. 1867. — Ciborium et Lunula debent ex praecepto Ecclesiae *benedici* ab Episcopo vel a sacerdote habente facultatem. Monstrantia vero non indiget benedictione, sed laudabiliter benedicitur.

g) *Corporale lineum vel ex cannabe* ab Episcopo vel privilegiato benedictum; ubi notandum, quod etiam Superiores mendicantium gaudent privilegio pro suis ecclesiis corporalia, pallas et vestes ad Missam requisitas, benedicendi. — Celebrare sine Corporali aut cum corporali non benedicto, nequit excusari a mortali, nisi gravis urgeat necessitas celebrandi. Ita omnes cum sancto Alphonso.[4])

h) *Palla* item linea vel ex cannabe et benedicta; necnon *purificatorium* ex eadem materia, non tamen necessario benedictum.[5]) An sine palla celebrare mortale sit, necne, controvertitur, sententia tum affirmans, tum negans probabilis est. Certe

---

[1]) S. R. C. die 7. Sept. 1850. [2]) L. VI. 390. [3]) Decret. 11. Sept. et 6. Dec. 1866; vide Acta S. Sedis Vol. II. p. 232. et Vol. VI. pag. 589. [4]) L. VI. 387.—389. [5]) L. c.

tamen usus purificatorii sub gravi obligat, excepto casu necessitatis, quo ejus loco adhiberi potest strophiolum mundum, quod tamen postea ad profanum usum non adhibeatur.

Praedicta linteamina sicut corporale, debent esse summae munditiei, ita ut mortale habeatur, celebrare cum corporali enormiter immundo, nisi necessitas excuset, e. g. si celebrans vel alii deberent alias omittere Sacrum de praecepto.

i) *Velum,* hocque *sericum,* et *bursa* coloris paramentorum. Haec autem non sunt seorsim benedicenda, neque ullum peccatum est, sine illis celebrare.

k) *Ampullae,* quae per se non debent esse aureae vel argenteae, nisi pro Episcopo, sed *vitreae;* attamen permittuntur etiam ex auro vel argento pro omnibus sacerdotibus, ut declaravit S. R. C. 28. April. 1866. Licitus est etiam usus parvi cochlearis, ut eadem Congreg. 6. Febr. 1858 declaravit.

l) *Vestes sacrae* ab Episcopo vel ad id delegato benedictae, sub gravi. Celebrare sine manipulo tantum, vel sine humerali, vel sine cingulo, veniale non excedit. Paramenta celebrantis et ministrorum debent esse *coloris convenientis* Officio et Missae diei, secundum usum Rom. Ecclesiae, quae quinque coloribus uti consuevit: albo, rubeo, viridi, violaceo et nigro.

m) *Minister masculus,* sub gravi. Ex juris praescriptione[1]) nulli sacerdoti licet celebrare sine Ministro inserviente; necessitas tamen ab hac lege excusat, unde communiter dicunt, licitum esse celebrare sine ministro:

α) Si urgeat necessitas ministrandi viaticum;

β) si populus (aut ipse celebrans) satisfacere debeat praecepto audiendi Sacrum;

γ) si incepta Missa, maxime post factam oblationem, minister abeat, de brevi non reversurus.

Nunquam tamen licet celebrare cum femina ministrante, unde in casu necessitatis potius celebrandum est sine ministro; non tamen prohibetur eo casu, quominus femina respondeat a *longe,* maxime si sit sanctimonialis.[2])

2. ***Rubricae in celebratione servandae.*** Distinguendae sunt Rubricae *extra* Missam et *intra* Missam servandae. *Rubricae extra Missam,* seu illae, quae disponunt circa ea, quae ante vel post Missam agenda sunt, habentur communiter non ut praeceptivae, sed ut *mere directivae,* i. e. quarum violatio per se veri nominis peccatum non est, minorem tamen reverentiam redolet, nisi forte justa causa aliter agendi adsit, aut Rubrica aequivalenter impleatur.[3]) Unde orationes, quae pro praeparatione ad Missam vel gratiarum actione in Missali et Breviario habentur, non inferunt *praeceptum,* siquidem *pro opportunitate sacerdotis* dicenda dicuntur: modo alia ratione fiat praeparatio et gratiarum actio. — Orationes in recessu ab altari dicendae, i. e. „Benedicite“ cum pre-

2. Rubricae Missae. Rubricae extra Missam.

---

[1]) L. I. Decretal. tit. 17. cap. 6. [2]) Cfr. s. Alph L. VI. 392. S. R. C. 27. Aug. 1836 (Gard. n. 4782. ad 10). [3]) S. Alph. L. VI. 399.

cibus verene ex praecepto imponantur, non constat; quare qui alias preces devotius recitat, hac commutatione non peccat. — Preces, quae in induendis vestibus dicendae sunt, communius habentur pro praeceptis sub levi. Item juxta s. Alphonsum veniale est, omittere lotionem manuum ante Missam; si vero manus valde essent immundae, id esset mortale. Omissio vero lotionis post Missam nullum est peccatum.

Rubricae intra Missam.

Rubricae intra Missam vero, seu illae, quae res intra Missam servandas disponunt, generatim *praeceptivae sunt, idque graviter aut leviter* pro subjecta materia;[1]) attamen multi scriptores inter has ipsas Rubricas quasdam esse censent, quae mere directivae sint.

Fontes Rubricarum Missae sunt: *Missale Romanum, Ceremoniale Episcoporum* et *S. R. C. Decreta*, quae Rubricas interpretantur et quibus earum observantia promovetur; ex quibus tamen, nisi praecipiendi seu sub peccato obligandi vis exprimatur, strictam obligationem non semper eruere licet.

Attingunt vero Rubricae intra Missam partim *qualitatem Missae,* partim *singulas partes et orationes* recitandas, et partim *rituales actiones* exercendas.

a) Quoad qualitatem Missae.

a) Qualitatem Missae quod attinet, sequentia observentur.

α) Qualitas Missae de praecepto quidem est, at non de gravi, secluso scandalo et contemptu, vel nisi frequenter diebus vetitis Missae diei non convenientes dicantur. Ita s. Alphonsus[2]) et innumeri alii.

β) Quoad Missam privatam in aliena ecclesia dicendam, generatim tenenda est regula: *„Color alienae ecclesiae ante omnia servandus est,“* quare si ille aliter servari nequit, etiam Missa ejus ecclesiae dicenda est; si vero color non obstat, dicenda est *Missa celebrantis*, i. e. cum illius officio divino conveniens, nisi forte in aliena ecclesia ritus est primae, vel secundae classis, aut solemnitas in foro. — Si vero cantatur Missa diebus dominicis etc., haec prorsus fieri debet secundum calendarium ecclesiae.

γ) Si celebrans officium de *„Beato“* habet, illius Missam sine *speciali* privilegio in aliena ecclesia dicere nequit, etsi color ecclesiae non obstet. — Si vero celebratur in sacellis privatis, — idque etiam intellige de sacellis monialium, — celebrans *suum* calendarium prorsus sequi debet; imo etiamsi officium est de „Beato“, cujus Missa in aliena ecclesia dici non potest, ut declaravit S. R. C. 16. April. 1885 in una Ord. Min.

δ) Quaenam orationes in diversis Missis dicendae sint, dicunt Rubricae Missalis. Quoad „Missam quotidianam de Requiem“ juxta declar. S. R. C. 16. Sept. 1865, *sola secunda oratio* „pro benefactoribus“ etc. mutanda est, vel pro libitu duae aliae intercalandae sunt.[3])

---

[1]) Cfr. Trident. Sess. XXII. Decretum. [2]) L. VI. 420. [3]) Cfr. etiam „Visen.“ 10. Dec. 1870. Gard. n. 5464.

ε) Missa, quae dicitur in aliena ecclesia, etsi ab officio celebrantis discrepet et ecclesiae in qua celebratur, conformetur, tamen sumi non licet ex Missali illi ecclesiae speciali, sed ex Missali Romano, atque secundum illius normam et ritum. Excipiuntur tamen quaedam Missalia Regularium, quibus indultum est, ut uti liceat omnibus, qui in illorum Regularium ecclesiis celebrent. Uti e. g. Missale Augustinianum, Franciscanorum etc. Hoc privilegio gaudet etiam Missale Capucinorum ex concessione Pii VI. 15. Julii 1778.[1])

b) *Singulas Missae partes atque orationes* quod attinet, haec valet regula generalis: *„Nihil omittatur, nihil addatur nihilque immutetur."* Et quidem in specie: b) Quoad singulas partes Missae.

α) *Quoad omissionem*: Omittere partes Missae *ordinarias*, illas nempe, quae in Missa semper recitantur vel aguntur, est peccatum grave, si materia est notabilis. Sic e. g. juxta s. Alphonsum[2]) erit mortale, omittere *in Canone* quamlibet orationem, vel „Pater noster", vel fractionem hostiae cum illius mixtione in calice, vel purificationem patenae et calicis post sumptionem, vel octo aut decem verba vel Nomina in Canone. Item pariter erit mortale *extra Canonem* omittere totum Introitum, vel duas ex collectis principalibus, vel Epistolam, Evangelium, Offertorium vel infusionem aquae in vinum consecrandum. — *Veniale* autem erit, omittere solum Psalmum „Judica", „Kyrie eleison", unam ex Collectis, unam vel alteram crucem super Oblata, tunsionem pectoris, vel ablutionem digitorum, et idem probabiliter dicunt Lugo et alii de Evangelio s. Joannis.[3]) Sed advertendum, hujusmodi defectus coalescendo posse fieri materiam gravem.

Omittere partes *extraordinarias*, illas scilicet, quae non in omni Missa dicuntur, non est peccatum mortale, nisi simul sumptae notabilem materiam constituant. Sic veniale tantum esset, omittere „Gloria", „Credo", „Sequentiam", „Tractum", „Praefationem propriam", „Communicantes" et „Haec igitur" propria.[4]) Idem dicendum videtur, si quis non recitet, quae cantantur a choro, vel omittat incensationem in Missa solemni.[5])

Pro Praxi valde utile est, quod habet Lehmkuhl, dicit scilicet: „A gravi peccato non excusandus videtur, qui in hebdomada sacra „Passionem" omittat, recitando solam ultimam partem, quae pro Evangelio sumitur. Quare si quis ex justo impedimento tam longam Missam dicere non potest, ex devotione tamen celebrare vult, praestet Missam votivam de Passione sumere, quod per se quidem veniale est contra Rubricas, at ex causa mediocriter gravi licebit sine ulla culpa id facere." — Addo: ad offensionem populi vitandam expedit tamen, ut celebratio potius fiat in sacello infirmorum.

---

[1]) Cfr. Lehmkuhl II. n. 239.—240. [2]) L. VI. 403. [3]) Exam. Ord. 125. L. VI. 403.—406. [4]) L. c. 125. et L. VI. 409. [5]) L. VI. 410. dub. 4.

Si quid in Missa inadvertenter omissum fuerit, celebrans autem ulterius progressus rei recordetur, *regulariter loquendo* non tenetur defectum reparare, quia turbaret ordinem Missae; excipe tamen, si sit de substantia, e. g. aliquid pertinens ad consecrationem, tunc certe debet repeti; et si dum secreto orat, post pauca verba certo advertat, se aliquid notabile omisisse, e. g. die Paschae „Communicantes", paululum regrediendum est et repetendum;[1]) Aliter est, si quid sine offensione aliorum repeti non potest. Quare e. g. Gloria, Credo et similia ne unquam sacerdos resumat, neque Epistolam, Evangelium etc. si unum pro altero sumpserit, nisi forte ab initio falsae Epistolae etc. errorem animadvertat.

β) *Quoad additionem*, ille certe graviter peccat, qui addit aliquid in Missa ex mente inducendi novum ritum, uti si hac mente adderet novas publicas preces, vel novas genuflexiones etc.

Ex importuna devotione aliquid addere, quod a forma Missae non discrepet, ut e. g. aliquam collectam, veniale non excedit. Addere vero „Gloria" et „Credo" in Missa de Requiem, habetur ut grave, quia talis additio videtur esse sat gravis deordinatio.[2])

In Sacro solemni, dum a choro cantatur, a ministris alias preces, ut Breviarium recitari S. R. C. reprobavit; at si est urgens ratio id faciendi, non videtur ullum peccatum esse.[3])

Devotionis causa per modum suspirii oratiunculam jaculatoriam a sacerdote celebrante interponi, quando propter actiones a prosequendis liturgicis precibus impediatur — ut in elevatione, post sacrarum specierum sumptionem, vel dum finem cantus exspectat, minus qnidem convenire videtur, dicit Lehmkuhl,[4]) ita, ut praestet, sola mente affectus divinos ciere, attamen pro peccato etiam veniali tantum id ducere non possumus.

γ) *Quoad immutationem* haec notentur: Submisse dicere, quae alta voce sunt dicenda, vel alta voce proferre, quae sunt secreto recitanda, veniale est.[5]) Ea, quae secreto dicenda sunt, tam alta voce dicere, ut in notabili distantia a populo audiantur, censetur tum grave peccatum, quando notabilem partem, praesertim Canonis, vel sola verba consecrationis sacerdos ita pronunciet.[6]) Alias peccatum quidem est, sed veniale tantum; imo si sacerdos a solis ministris auditur, nullum peccatum est. Ceterum nimis secreto verba proferre periculosius est, quam paulo altius. Qui enim ita submisse loquitur, ut ne seipsum quidem audire possit — secluso strepitu forte excitato — si de verbis consecrationis agitur,

---

[1]) S. Alph. L. VI. 403. [2]) S. Alph. L. VI. 411. [3]) In „Montis regalis" 20. Martii 1869 ad 11. [4]) L. II. n. 242. [5]) Cfr. Rubric. tit. 16. [6]) S. Alph. L. VI. 416. ubi dicit: si ad 40 passus audiri possit sacerdos, sibi grave videri.

facile graviter peccat, eo quod consecrationem facile *dubiam* facit. Ita recte s. Alphonsus;[1]) nam Sacramenti forma sensibili et audibili modo omnino dici debet, ut *sit* forma. Si vero de reliquis precibus agitur, grave peccatum non est, modo voces vere proferantur et efformentur syllabae; at a veniali id non videtur excusari posse, cum contra claram Rubricarum dispositionem sit. Similiter dic, si ex praecipitantia quaedam verborum mutilatio fiat, salvo tamen sensu et secluso scandalo.[2])

c) *Actiones rituales* quod attinet, benedictiones, genuflexiones, inclinationes in Rubricis notatae sub peccato fieri debent; harum igitur omissione vel nimia in iis acceleratione *venialiter* per se peccatur, nisi notabilis deordinatio a scandalo vel contemptu vix immunis mortale peccatum efficiat. c) Quoad actiones rituales.

Qui vero ex infirmitate vel simili causa non omnia haec ad amussim servare possit, nihilominus licite celebrat, maxime in loco privato, aut etiam publico praevia populi monitione vel notitia infirmitatis jam aliunde habita. Unde sacerdos omni meliori modo studeat, ut Rubricas diligentissime et exactissime observet; ut id fiat, praesertim caveat a nimia festinatione, et debitum tempus in celebratione impendat. Unde dicunt communiter, eum gravis peccati irreverentiae et scandali reum esse, qui Missam, etsi breviorem, infra quadrantem absolvat, quia in tam brevi spatio necessario committit duos graves defectus, alterum gravis *irreverentiae* erga Sacramentum, alterum *scandali* erga populum, quia fieri non potest, ut Missa infra quadrantem absolvatur, quin aut verba aut ceremoniae praetermittantur, vel saltem quin decentia ac gravitas tanto Sacrificio debitae notabiliter violentur. Unde quoad tempus impendendum ad celebrationem Benedictus XIV. optime docet: illud non debere esse brevius triente, nec longius dimidia hora; quia brevius spatium non sineret omnia debito decore peragi, et longius taedio foret adstantibus.[3])

Ultimo notandum, quod omnino sub gravi prohibitum est, Missam abrumpere, praecipue si sacrificium ipsum imperfectum relinquitur, nisi gravissima ratio urget. *Ante Offertorium quidem etiam ex causa mediocriter gravi licitum est*, Missam interrumpere, eamque pro subortis causis postea aut prosequi, aut denuo incipere; e. g. si nuntius affertur, sacerdotem, quem postea Sacrum solemne celebraturum esse putaverunt, impedimento detineri, licebit, Missam inceptam relinquere, et postea Sacrum solemne facere, ut S. R. C. 3. Julii 1869 declaravit,[4]) „dummodo adstantes moneantur“. Similiter Missa abrumpi potest, si lecto Evangelio concio habenda est, et juxta declarationem S. C. R. 12. Sept. 1857,[5]) etiam de consensu Ordi-

---

[1]) L. VI. 414. [2]) Lehmkuhl II. 243. [3]) Cfr. s. Alphons. L. VI. 400. [4]) Cfr. Gardel. n. 5440. [5]) Gard. n. 5251. ad 10.

narii, ob sermonem, quem sacerdos, suscepta Communione, habet de altari ad populum, priusquam ei Communionem distribuat. — Juxta plures etiam si princeps vel processio populi die festo veniret ante Offertorium, et alia Missa careret, sacerdos posset, sed non teneretur Missam ab initio repetere.[1])

Ut vero post consecrationem Missam interrumpere liceat, requiritur omnino gravissima ratio seu vera necessitas. Unde talis interruptio licita est in sequentibus casibus:

α) Si incursus hostium imminet, aut alias periculum mortis aut S. Sacramenti profanationis adsit, sacerdos, sive unam sive duplicem consecrationem perfecerit, S. Sacramentum aut statim debet consumere, aut fugiendo secum auferre, ut in loco tuto consumat, modo periculum in mora sit.

β) Quando, incepta consecratione, eaque aut certo aut dubie facta, sacerdos deficit: si post aliquod tempus, etsi paulo longius, vires resumpturus videtur, etsi jejunus manere nequit, exspectandum est, ut ipse sacerdos Sacrum suum postea perficiat. Si vero ipse perficere illud nequit, alter sacerdos inquirendus est, qui perficiat, resumendo ea, quae dubie tantum a priore perfecta sunt; atque si jejunus adest, ille Sacrum perficere debet, alioquin etiam non jejunus; imo in alterius defectu etiam sacerdos irregularis, excommunicatus etc. *debet* omnino Sacrum perficere, praemissa tamen contritione, siquidem *legis divinae* est, ne sacrificium mancum relinquatur.

Qui vero sic perfecit alienum Sacrificium, non potest eodem die aliud Sacrum celebrare; neque ita rem componere licet, ut secundus sacerdos sacras species ab altero consecratas secum afferat, atque in Sacro a se tum incipiendo simul consumat. Sic enim vere imperfectum relinquitur Sacrificium.

Si vero intra horam circiter compleri Sacrificium non potuit, *obligatio* perficiendi non videtur amplius adesse,[2]) quia non jam certo est moralis unio; at *licebit* etiam *post plures horas* (Tamburin putat etiam post 7 horas id faciendum esse), imo si idem sacerdos, qui incepit, vires resumpsit, videtur id prorsus decere, ut fiat.

γ) Si necessitas aliena acciderit, eaque forte omnino gravis, sacerdos etiam post consecrationem Missam interrumpere debeat, atque sacris speciebus reverenter inclusis, vel custoditis, postea, etsi post aliquot horas, Missam prosequatur; uti e. g. si agitur de moribundo baptizando, absolvendo, aut quando sensibus destitutus est, ungendo.[3]) — Fusiora de hac materia vide in Liturgia et Pastorali.

---

[1]) Benedict. XIV. De Miss. Sacrif. L. III. cap. 14. n. 6. et 15. S. Alph. L. VI. 352.—354. [2]) S. Alph. L. VI. n. 355. [3]) Cfr. Lehmkuhl II. 246.—247. Marc II. 1642.

Ex dictis facile erui potest, quaenam sint praecipua gravia peccata, quae in celebratione occurrere possunt.

VII. Requisita ex parte Celebrantis.

VII. ***Requisita ex parte Celebrantis:*** Cum Sacrificium Missae sit vere tremendum mysterium, per se patet, sacerdotem omni cura studioque ad altaris Sacrificium digne celebrandum se praeparare debere. Qui sine ulla praeparatione, saltem domi facta ad celebrandum accederet, non posset ab aliqua culpa excusari. Cum in hoc sanctissimo opere non solum anima, sed corpus etiam occupetur, ideo praeparatio illa tum *corporis* tum *animae dispositionem* sanctitati tanti mysterii congruentem exquirit.

1. Dispositio corporis.

1. ***Dispositio corporis:*** Ex parte corporis tria requiruntur, scil. *jejunium naturale, illibata corporis puritas,* et *condecens corporis compositio.*

a) Jejunium naturale.

a) Jejunium naturale, et quidem a media nocte, ita, ut nihil omnino per modum cibi et potus vel medicinae a medio noctis illius diei, quo quis celebrat, ab ore in stomachum trajiciatur. Hoc praeceptum ecclesiasticum, ab Apostolicis usque temporibus statutum, ut Benedictus XIV. observat, obligat sub gravi,[1]) et *non admittit parvitatem materiae, neque ex parte temporis;* tempus mediae noctis etenim computandum est physice, non moraliter, quare non potest celebrare, qui cibum deglutit post primum ictum horologii, sed ante ultimum, quia ad primum horae ictum media nox expleta est; *neque ex parte rei;* unde si quis vel minimum sumpserit, quamvis per modum medicinae, sub gravi prohibetur celebrare, ut ait Rubrica Missalis. Ceterum media nox sumitur secundum horologia publica regionis, etsi non accurate verum tempus referant; unde illud tempus *licet* unicuique sequi, ut s. Poenitentiaria 18. Junii 1873 declaravit;[2]) at non est obligatio illud tempus sequendi, juxta declarationem ejusdem Congregationis 29. Nov. 1882; licet ergo pro libitu sequi tempus medium vel verum.[3]) Si quando plura horologia diversimode indicant, licitum est eligere secundum regulas probabilismi.

Si quis inter comedendum vel bibendum primum pulsum horae duodecimae audiat, potest adhuc celebrare, licet, quod in ore tenet, non exspuat, quia non constat de jejunio laeso, nam sine dubio non deerunt horologia, etiam probata, quae tantillo spatio serius tempus indicent, quae quominus aliquis sequatur, prohibitum esse, ostendi nequit.[4]) — Similiter, qui dubitat, an post mediam noctem cibum aut potum sumpserit, vel qui generatim dubitat, an sit jejunus, si inquirendo non possit resolvere dubium, celebrare poterit, quia non constat de violato jejunio, ergo libertas est in possessione. Hinc communissime affirmant Doctores, inter plura horologia dissonantia licere sequi ultimum, dummodo de errore non constet, vel horologium non sit de illis, quae ut plurimum errant,

---

[1]) De Sacr. Miss. L. III. c. 12. n. 1. [2]) Cfr. Acta S. Sedis Vol. VII. p. 399. [3]) Acta S. Sedis Vol. XV. p. 445. [4]) Lehmkuhl II. n. 159.

quia haec praesumuntur semper errare;[1]) ratio est, quia singula bona horologia gignunt opinionem probabilem, ac proinde dubium positivum.

Ad frangendum jejunium juxta regulas a Doctoribus traditas tria requiruntur, scilicet:

α) *ut id, quod deglutitur, ab extrinseco sumatur,*[2]) nam quod provenit ab intrinseco, non comeditur, ideoque non laedit jejunium naturale. Hinc celebrare potest, qui deglutivit salivam, vel pituitam, vel sanguinem ex interiori capite vel gingivis manantem, etiamsi ex proposito deglutiverit. — Non vero celebrare potest, qui noctu saccharum in os immisit, et post mediam noctem aliquid sorbuit; nec qui sorbuit sanguinem ex digitis vel naribus defluentem, vel lacrimas manantes ex oculis, nec qui in flumen lapsus aut dejectus aquas deglutivit;[3])

β) *ut, quod sumitur, habeat rationem cibi aut potus,* nam juxta communiorem et probabiliorem sententiam solum digestibilia solvunt jejunium, non vero indigestibilia. Non igitur necessarium est, ut res vere nutriat; hinc sufficiat, medicinam, imo venenum sumpsisse, ut expresse monet Rubrica Missal. Sed si res prorsus digeri nequeunt, jejunium non censetur laesum, ut s. Alphonsus[4]) cum aliis dicit, inter quas recenset: capillos, ungues, metallum, vitrum, fila ex serico aut lana. Si vero res aliquo modo, licet non plene, digeri potest, frangit jejunium, neque excusat vomitus statim secutus, quia praesumptio est, aliquid minimum saltem a stomacho retineri. Ut res aliquo modo digestibiles s. Alphonsus[5]) affert: chartam, paleam, filum ex lino, ceram, cretam, pulveres medicinales etc. — Juxta Lehmkuhl[6]) tamen in hac re etiam chemia consulenda erit;

γ) *ut, quod sumitur, per modum cibi vel potus sumatur.* Proinde omne digestibile, quod consulto in stomachum transmittitur, solvit jejunium; tametsi transmittatur modo non consueto, e. g. per nares. Id vero, quod *inconsulto*, per modum *respirationis* aut *salivae* hauritur, non frangit jejunium. Hinc jejunium non frangitur, si quis respirando muscas, aquas nivem etc. fortuito attrahit, vel casualiter reliquias cibi in ore relictas, vel guttulas aquae inter os lavandum, in stomachum transmittit; frangitur autem, si quis hujusmodi res *ex proposito* deglutit. Item non frangitur per *tabacum* naribus sumptum, nec per fumum tabaci, aut per succum camphorae, nec per tabacum dentibus attritum, modo succus exspuatur; et si quid praeter intentionem deglutiatur, salivae commixtum est, et qua talis trajicitur, non qua cibus. Licet autem hujusmodi masticatio non frangat jejunium, indecens tamen est, nec facile a veniali excusatur.[7])

---

[1]) S. Alph. L. VI. 282. [2]) S. Thom. in IV. sent. dist. 8. q. 1. a. 4. q. 2. [3]) S. Alphons. L. VI. 278. [4]) L. c. 281. [5]) L. c. [6]) L. II. n. 160. [7]) S. Alph. L. VI. 280. H. A. ibi 38.—41.

Nulla quidem lege amplius praescribitur, ut etiam post Celebrationem jejunium servetur; at naturalis reverentia exigit, ut, nulla causa urgente, tamdiu saltem abstineatur ab esu et potu, donec sacrae species desierint (quae perdurare censentur per horae quadrantem), alioquin venialiter peccatur; quaelibet tamen justa causa excusat ab omni peccato.[1])

Ab hoc jejunio naturali excusant vero Celebrantem sequentes causae:

α) *Necessitas vitandi grave scandalum*, quod ex omissione Missae oriretur.[2]) Licet ratio, quod populus Missa forte privetur, ab Ecclesia non habeatur ut legitima causa, cur non jejunus celebret, quia aut alia opportunitas est, et si non est, populus deobligabitur; attamen non adeo raro ratio scandali adesse potest, quia nimirum facile praevidetur gravis populi offensio, periculum gravis suspicionis, infamiae vel dicterii contra sacerdotem, aut periculum, ne complures, quamquam possint et debeant alio se conferre ad audiendam Missam, ex inopinato illo casu ansam sumant, cum peccato gravi Missam negligendi; quod si haec juste timentur — non solum populi admiratio vel turbatio — videtur lex naturalis scandala praecavendi gravius urgere, quam lex ecclesiastica de jejunio naturali lata.[3]) Idem valet, si sacerdos celebrans in publico recordaretur *ante* consecrationem — nam *postea* pergere *debet* — se non esse jejunum, et non posset sine scandalo discedere. Supponitur tamen, neminem scire, celebrantem non esse jejunum, alias enim majus scandalum oriretur, saltem apud rudes, ex celebratione, quam ex omissione Missae.[4])

β) *Necessitas perficiendi Sacrificium*, uti jam dictum est; e. g. si sacerdos in sumptione calicis adverterit esse aquam, aut si sacerdos post consecrationem corruerit, aut si post consecrationem unius speciei recordetur, se non esse jejunum; in his casibus sacrificium omnino perfici debet; similiter si sacerdos ablutione sumpta, imo post Missam in Sacristia, sacris vestibus adhuc indutus, advertat aliquas ejusdem Sacrificii reliquias remansisse, eas sumere potest et debet;[5]) si vero vestibus jam est exutus, vel fragmentum diversi Sacrificii, vel hostia integra remansisset, tunc tantum ea sumere potest, si nequeant reverenter servari.

γ) *Periculum profanationis* seu gravis irreverentiae contra Sacramentum, puta si periculum sit, ne sacra hostia pereat vel corrumpatur, vel male tractetur ab infidelibus aut haereticis; quia praeceptum impediendi talem irreverentiam praevalet praecepto jejunii, ut communiter docent. Unde

---

[1]) S. Alphons. l. c. 283. H. A. XV. 45. [2]) Benedict. XIV. De Sacrif. Miss. L. III. cap. 12. n. 8., s. Alph. L. VI. 287. [3]) Lacroix L. VI. p. 1. 582. [4]) H. A. XV. 53. [5]) H. A. l. c. et 54.

si sacerdos tunc desit, potest etiam laicus sacram hostiam sumere, imo in tali casu potest sacerdos sacras particulas praebere laicis non jejunis.[1])

δ) *Dispensatio Romani Pontificis*, qui solus potest in illo dispensare, qui tamen raro solet de facto hanc dispensationem impertiri, ut Benedictus XIV. in Brevi die 24. Martii 1756 tradit et exemplis ostendit.[2])

ε) *Viaticum conficiendum pro moribundo,* si s. Eucharistia desit; de hoc tamen non omnes conveniunt. Hoc tamen certum est, sacerdotem non jejunum non solum posse, sed omnino *debere* celebrare, si aegrotus hujus Sacramenti solius satis certo capax sit, eo quod non possit Sacramento Poenitentiae vel Extremae Unctionis muniri; nam s. Eucharistia in hoc casu poterit esse Sacramentum necessitatis, ut ille ex attrito fiat contritus.[3]) Quoad alios casus, multi ut probabile affirmant, uti Lugo,[4]) Suarez, Filliuci, Dicastillo, Laymann, Lacroix[5]) et Lehmkuhl,[6]) multi vero ut commune et forte probabilius negant, *licere* sacerdoti non jejuno celebrare; uti Müller,[7]) Marc[8]) et alii non pauci.

b) Puritas corporis.

b) *Illibata corporis puritas:* Sacerdos nempe juxta Rubricas,[9]) si pollutio nocte praecesserit voluntaria, quae sit peccatum mortale, quamvis contritus et confessus, a celebratione Missae, saltem sub veniali, abstinere debet, propter reverentiam tanto mysterio debitam, nisi scandalum vel alia justa causa exigat celebrationem. Quodsi involuntaria fuerit pollutio, sacerdos celebrare potest; sed mentis perturbationem ex corporis foeditate forte secutam, conetur repellere, quantum in se est, ut devote accedat.[10])

c) Decentia corporis.

c) *Condecens corporis compositio;* scil. sacerdos juxta Rubricas[11]) debet esse indutus vestibus sibi convenientibus, quarum exterior saltem talum pedis attingat. Requiritur itaque in sacerdotibus saecularibus vestis talaris[12]) praeter alias vestes sacerdoti convenientes, mundas et modestas, non laicales, ne sacerdos videatur pedes in diversis ponere, unum in divinis, alterum in carnalibus.[13]) Sacerdotes regulares, uti per se patet, in habitu Ordinis celebrare debent. — Insuper celebrans debet esse *calceatus pedibus,* ad quod tamen sufficit, ut sit indutus crepidis (vulgo dictis *pantofolis).* Celebrare sine causa nudis pedibus, secluso contemptu, non excedit veniale; si fiat ex necessitate aut rationabili causa, nullum est peccatum.[14])

2. Dispositio animae.

2. ***Dispositio animae:*** Optima praeparatio ad celebrandam Missam, in qua divinae Majestati offertur „hostia pura, hostia sancta, hostia immaculata“, est illa, quae in puritate et sanctitate

---

[1]) H. A. XV. 52. [2]) Benedict. XIV. De Miss. Sacrif. L. III. c. 12. n. 8. [3]) S. Alphons. L. VI. 286. H. A. XV. 51. [4]) De Euch. d. 15. n. 67. et 68. [5]) L. VI. p. 1. n. 600. [6]) L. II. n. 161. [7]) L. III. §. 38. [8]) L. III. n. 1560. [9]) De defect. IX. n. 5. [10]) S. Alphons. L. VI. 272. [11]) De praep. sacerd. n. 2. [12]) Cfr. Conc. Prov. Vien. tit. 3. c. 5. [13]) Cfr. Trid. Sess. XIV. c. 6. de Refor. [14]) S. Alph. L. VI. 402.

vitae consistit. Satagat igitur sacerdos, ut sit mundus ab omni peccato, non solum mortali, sed etiam veniali deliberate et scienter admisso, et ab omni ipso affectu erga peccata venialia propenso. Porro per preces enixas imploret auxilium divinum, ut opus tam grande etiam ea, qua decet, *attentione et devotione* peragere possit, et in celebratione ipsa non distrahatur; quae quidem distractiones, si voluntariae sint, per se quidem veniale non excedunt, nisi per majorem partem Canonis aut sub consecratione omnino voluntarie admittantur. Insuper attendat ad Rubricam, quae praescribit, ut *ante celebrationem Missae Matutinum et Laudes recitentur;* quae quidem Rubrica, si agitur de celebratione *privata*, sub *veniali* tantum obligat, a quo quaecunque mediocris causa rationabilis excusat, ut e. g. studium, iter, voluntas Superioris, exspectatio populi[1]) etc. Si vero agitur de Missa conventuali, Doctores communius statuunt, esse *grave* peccatum, si sine justa causa eaque gravi, Missa conventualis celebretur, antequam in choro officium nocturnum persolutum sit.[2])

Ast stricto praecepto quoad dispositionem animae requiritur tantum, ut sacerdos celebraturus in *statu gratiae sit*, et *ab omni censura et irregularitate immunis.*

a) Status gratiae.

a) Requiritur, ut sacerdos sit in statu gratiae, et quidem juxta sententiam communem et veram, ex praecepto divino. Qui vero in statu peccati mortalis celebrat, horrendum committit sacrilegium, et quidem juxta s. Alphonsum[3]) sacrilegium quadruplex, quia indigne consecrat, indigne sumit, indigne ministrat et ministrat indigno, nempe sibi ipsi.

Sacerdos, qui peccati mortalis sibi conscius est, sub gravi tenetur, confessione sacramentali expiari, antequam Missam celebret, nec sufficit contritio perfecta, nisi necessitas celebrandi urgeat et desit copia confessarii; et tunc tenetur quam primum confiteri. Sic Concilium Tridentinum[4]) edixit, et anathema tulit in eum, qui contrarium doceret vel pertinaciter assereret. Dicitur:

α) „*Sacerdos, qui sibi peccati mortalis conscius,*“ i. e. moraliter certus de gravi peccato commisso et nondum confesso, tenetur confiteri. Qui *dubitat*, an peccatum mortale commiserit, non tenetur; qui vero certus est de peccato commisso, et tantum dubius, an illud confessus sit, tenetur confiteri.[5])

β) „*Nisi necessitas celebrandi urgeat et desit copia confessarii.*“ Excusat ergo sacerdotem ab obligatione confitendi *necessitas celebrandi* et *defectus confessarii. Necessitas celebrandi adesse censetur:* si sacerdos ratione officii sui celebrare tenetur, e. g. diebus Dominicis ac festis, ut populus Missam audiat; vel ut moribundo provideatur de viatico; vel si sine gravi infamiae periculo Sacrum omitti nequit, quod non imaginario timore, sed fundata prorsus ratione dijudicari debet.

---

[1]) S. Alphons. L. VI. 347. [2]) S. Alph. L. VI. 348. [3]) L. VI. n. 35. [4]) Sess. XIII. cap. 7. et can. 11. [5]) H. A. XV. 34.

Ratio non amittendi stipendium per se nullatenus justa causa est.[1])

Copia confessarii censetur deesse, si plane nullus adsit, vel praesens careat jurisdictione, vel absens spectatis circumstantiis debilitatis, distantiae, negotiorum gravium, sine magna difficultate adiri non possit; ergo non, si consueti confessarii adeundi facultas desit.

γ) Quodsi utraque conditio concurrat, sacerdos celebraturus tenetur contritionem perfectam elicere, et „*quam primum*“ confiteri, et quidem *sub gravi;* nam sententia contraria, id esse tantum consilium, ab Alexandro VII. sub n. 38. damnata est. Illud „*quam primum*“ intelligendum est, ut fiat saltem infra triduum, modo copia confessarii tum habeatur.[2]) — Quodsi sacerdos ille statim facultatem confitendi — etsi ex inopinato adventu sacerdotis alieni — habet, si praevidet, se alias intra triduum occasionem non habiturum esse, statim eodem die sub gravi tenetur confiteri, ut dicit Cardinalis de Lugo.[3]) — Verum interim non licebit absque confessione re ipsa instituta secundo celebrare, nisi et *defectus confessarii* perduret et *necessitas celebrandi* denuo urgeat.

b) Requiritur, ut sacerdos ab omni censura et irregularitate sit immunis. Patet ex Rubrica VIII. de defectu dispositionis animae n. 1. — Ubi notandum:

α) Si sacerdos peccatum reservatum tantum habet, confiteri non tenetur, nisi habeat aliud peccatum grave, sed sufficit, ut contritionem perfectam eliciat ante celebrationem, quamvis confessio omnino consulenda sit; ut indirecte etiam a reservato absolvatur.[4])

β) Sacerdos excommunicatione reservata innodatus, non excusatur a praecepto confessionis, quamvis confessarius facultatem absolvendi a censura non habeat, quia valide potest quis absolvi a peccato, non praemissa absolutione a censura.[5]) Sed deficiente omni confessario, et urgente necessitate, sacerdos contritionem perfectam eliciat, et *quamprimum* confiteatur.

γ) Si sacerdos in Missae celebratione ante consecrationem recordetur, se esse in peccato mortali, vel aliqua censura implicitum, Missam abrumpere debet, nisi scandalum timeat; si post consecrationem peccati vel censurae recordetur, elicito actu contritionis cum proposito confitendi, Sacrificium perficere debet. Ita Rubr. VIII. de defect. n. 4. et 5.[6])

§. 12. Sanctificatio Festorum.

I. et II. Ecclesiae praecept. Quamvis Deus O. M. omni tempore grata recordatione laudandus sit, certis tamen temporibus impensius colendus et veneran-

[1]) S. Alphons. L. VI. 259. [2]) S. Alph. L. VI. 266. [3]) De Eucharist. disp. 14. n. 162. et 163. [4]) S. Alph. L. VI. 265. [5]) S. Alph. l. c. [6]) Cfr. s. Thom. 3. q. 83. a. 5. ad 2. Benedict. XIV. Op. c. L. III. cap. 11. n. 9. Cfr. etiam Linzer Quartalschrift 1882 pag. 732 sqq. et 1883 pag. 33 sqq.

dus est. Jam ipsa lex naturalis dictat, ut aliquam partem temporis Deo, seu cultui divino dedicemus. Unde apud omnes gentes festa publica, sacris ac divinis rebus obeundis consecrata, invenimus. Placuit tamen Deo sapientissimo in lege veteri diem septimum determinare, in tertio quidem decalogi praecepto; quod proinde praeceptum quoad substantiam suam est naturale, sed quoad circumstantiam temporis, nempe Sabbati, est ceremoniale in lege nova abrogatum, siquidem pro die Sabbati Ecclesia diem Dominicam in memoriam resurrectionis Domini et adventus Spiritus Sancti substituit. Praeterea Ecclesia alios quoque dies festos instituit, in solemnitatibus antiquae legis praesignatos, ut illi non secus, ac dies Dominica sanctificentur.

Ecclesiam potestate gaudere festa instituendi, demonstrat jus canonicum; et quidem Summus Pontifex pro tota Ecclesia et Episcopus pro sua Dioecesi festa instituere potest.

Praeceptum sanctificandi festa obligat per se sub gravi, uti communiter docent Theologi; sententiam contrariam n. 52. Innocentius XI. profligavit. Et quidem ad diem Dominicam et Festa sanctificanda *duo actus sub gravi requiruntur, unus positivus*, scilicet *audire Missam*, et *alter negativus, nempe abstinere ab operibus servilibus.* Constat ex jure canonico et perpetua praxi Ecclesiae.

Praeter hos duos actus fideles diebus dominicis et festis vi praecepti Ecclesiae ad nihil aliud tenentur, uti fert communis Doctorum sententia. Hinc

a) Ex praecepto Ecclesiae fideles non tenentur *concionibus vel catechesibus interesse,* nec in propria nec in aliena ecclesia. At *lex naturalis* obligat fideles ad conciones vel catecheses frequentandas, si id ipsis necessarium est ad instructionem in sacra doctrina vel ad morum compositionem, vel si eorum absentia scandalum possit procreare. Uti per se patet, peccant etiam illi, qui conciones ex contemptu non audiunt.[1])

b) Nulla pariter est obligatio, per se et directe urgens, assistendi *Vesperis, Rosario, vel benedictioni vespertinae* etc., uti Theologi communiter dicunt, licet fideles enixe adhortandi sint, ut etiam hisce devotionibus assistant.

c) Nulla etiam *per se* obligatio est, Deum interne colendi actibus fidei, spei et caritatis; sanctificatio animae est quidem finis praecepti, sed finis legis non cadit sub praecepto.[2])

His praemissis jam duo actus principales sanctificationis dierum festorum fusius ventilandi sunt.

1. ***Auditio Missae.*** Juxta praeceptum Ecclesiae *omnis fidelis adultus, ratione compos, qui advertere potest, omnibus diebus Dominicis et festis sub gravi tenetur Missam audire, nisi justa causa excusetur.* Qui ergo ad usum rationis non pervenit, vel ad Missam advertere non potest, uti, qui est caecus simul et surdus,[3]) vel qui justam rationem excusantem habet, ad Missam audiendam — I. Auditio Missae.

[1]) S. Alphons. L. III. 269., 308. H. A. VI. 4. [2]) Cfr. s. Thom. 2. 2. q. 122. a. 4. [3]) S. Alph. L. IV. 270.

non tenetur. Uti per se patet *una tantum* Missa hisce diebus obligat; etiam in Nativitate Domini non tres Missae sunt de praecepto,[1]) etsi devotio et pietas in Jesulum suadeat, hoc die tres Missas audire.

Jam quaeritur: *quo modo Missa audienda sit, et quaenam causae ab obligatione Missam audiendi excusent?*

1. Quo modo Missa audienda?

1. ***Quo modo Missa audienda est?*** Ad praeceptum Missam audiendi rite adimplendum tria requiruntur: *praesentia corporalis, assistentia spiritualis seu religiosa,* et *locus debitus.*

a) Praesentia corporalis.

a) ***Praesentia corporalis.*** Haec debet esse *moralis* et *continua*

α) Praesentia moralis.

α) Moralis seu humana praesentia in eo consistit, ut quis ita sit in loco, ubi fit Sacrum, ut dici possit unus e numero circumstantium, qui Sacrificium cum sacerdote offerunt.[2]) Hinc satisfacit praecepto, qui stat in choro, post altare, post columnam vel parietem ecclesiae, vel ad fenestram, quae fert in templum, etsi non videat sacerdotem; modo ex signis assistentium, sonitu campanulae etc. advertere possit, quid a celebrante agatur. Item qui est in sacristia cum janua aperta, vel extra ecclesiam, modo uniatur cum populo, qui est intra ipsam; imo si parva est distantia, concedunt, ex domo vicina, si forte per fenestram sacerdos in altari conspici possit, satisfieri.[3])

β) Praesentia continua.

β) Continua praesentia, i. e. per Missam integram, ita, ut graviter peccet, qui omittit ejus partem, *sive diuturnitate sive dignitate notabilem,* quia Ecclesia praecipit assistentiam non solum quoad essentiam Sacrificii, sed quoad totam liturgiam.[4]) — Hinc grave est, omittere omnia ab initio usque ad Offertorium inclusive; item omittere Canonem a Consecratione usque ad „Pater noster" exclusive; vel omittere Consecrationem et Communionem, imo et solam Consecrationem; idem probabilius dicendum est de sola Communione.[5]) Graviter etiam peccat, qui simul omittit, tum quae praecedunt Evangelium, tum quae Communionem sequuntur.[6])

Leve autem peccatum esset omittere solum Offertorium, aut solum Symbolum, aut solam Praefationem, aut partem Canonis parvam, vel omnia ante Offertorium, vel omnia post Communionem.[7]) — Evangelium autem s. Joannis in fine probabiliter non est pars Missae, quia ante illud jam dimittitur populus per benedictionem.

Porro non satisfacit praecepto, qui duas vel plures Missae partes a diversis sacerdotibus *simul* celebrantibus *simultanee* audit; propositionem 53. contrariam Innocentius XI. damnavit. Probabiliter autem satisfacit, qui duas Missae partes *successive* a diversis sacerdotibus audit, *dummodo Con-*

---

[1]) S. Alph. L. VI. 308. 3. [2]) S. Alph. L. III. 308. [3]) H. A. VI. 35. et L. III. 312. [4]) S. Alph. L. III. 310. [5]) S. Alph. L. VI. 305. [6]) H. A. VI. 33. [7]) L. c.

secratio et Communio in eadem Missa reperiuntur, secus probabilius, si audit e. g. ab uno usque ad consecrationem *inclusive*, et ab altero reliqua usque ad finem. Sed et in priori casu esset veniale, si quis sine justa causa id ageret.[1])

Ultimo notandum est, quod qui ante Consecrationem venire non potest, probabilius tenetur reliqua Missae audire;[2]) similiter qui parvam Missae partem omittit, probabilius sub levi tenetur supplere, nisi aliqua ratio excuset.[3]) Sed notandum cum Billuart, „quod si ex pluribus levibus omissionibus in eadem Missa conficitur una gravis, erit peccatum mortale".

b) ***Assistentia spiritualis seu religiosa.*** Haec consistit in *intentione audiendi Missam* et sic Deum honorandi, et *in attentione mentis; unde* Missa cum *intentione* et *attentione* audienda est. b) Assistentia spiritualis.

α) *Cum intentione* et quidem saltem *implicita* colendi Deum. Hinc qui Missae eo solo fine interesset, ut ecclesiae pulchritudinem observaret, vel ut amicum exspectaret, vel quia ibi violenter detineretur, vel ut Musicam audiret etc. praecepto non satisfaceret. Satisfaceret tamen, si interesset ob solum metum patris, matris aut domini, licet ex prava voluntate peccaret. α) Cum intentione.

β) *Cum attentione mentis;* saltem virtuali et in confuso, i. e. ut advertat et attendat ad assistendum, ut debet, Sacrificio, quod peragitur. β) Cum attentione.

Attentio autem est duplex, *externa* et *interna*. *Externa* in eo consistit, quod qui Sacrum audit, non ponat actionem externam, quae est incompatibilis cum intentione colendi Deum, ut fabulari, scribere etc. *Interna* ea est, qua quis animo religioso animum applicat vel ad *verba et actiones* sacerdotis celebrantis, vel *ad sensum et mysteria* per celebrantis verba et actiones significata, *vel ad Deum* precibus et meditationibus adorandum, laudandum, exorandum.

Certum est, necessariam esse attentionem externam ad Missam juxta Ecclesiae praeceptum audiendam, quia ejus defectus esset illusio Dei et Ecclesiae. Hinc non satisfacit, qui tempore Missae scribit, pingit, legit libros profanos, vel sacros quidem, sed sola eruditionis, curiositatis vel studii causa; vel qui per notabile tempus dormit, confabulatur, imagines attente considerat, legit inscriptiones, enumerat luminaria etc.[4])

Certum pariter est, ex virtute Religionis requiri (saltem sub levi) aliquam attentionem internam; reverentia enim, quam Deo et sacris mysteriis debemus, id postulat.

An autem haec interna attentio requiratur sub gravi ad implendum Ecclesiae praeceptum, controvertitur. Sententia communior affirmat, requiri attentionem internam saltem ad

[1]) L. III. 311. [2]) L. III. 310. [3]) L. c. [4]) H. A. VI. 28.

principales partes et in *gradu remisso.* S. Alphonsus hanc sententiam dicit *probabiliorem* et *consulendam;* contrariam sententiam tamen non judicat improbabilem ob auctoritatem tot Doctorum, qui eam tuentur.[1]) Ceterum conveniunt omnes, nullam orationem vocalem absolute requiri, cum nullum desuper praescriptum habeatur.

Unde colliges:

α) Satisfaciunt praecepto recitantes intra Missam Breviarium aut Rosarium; musici, organistae, colligentes eleemosynas; meditantes, legentes aliquem librum spiritualem, conscientiam suam examinantes, dummodo ab initio debitam intentionem habuerint nec revocaverint, et Missae ritum aliquo modo animadvertant.[2])

β) Probabilius etiam satisfacit, qui patitur exstasim, cum exstasis non tollit liberum arbitrium; item satisfacit, aut saltem non graviter peccat dormitans interdum tempore Missae, dummodo ad sacerdotis verba et actionem aliquo modo advertat.[3])

γ) Qui tempore Missae confitetur, *per se* quidem non satisfacit, quia in hoc casu deest vel ipsa attentio externa. Probabiliter tamen admittunt, excusari, qui omitteret Missam pro se confitendo, si alias deberet aliquamdiu permanere in statu peccati mortalis;[4]) item excusatur famulus aut servus, cui nullum aliud tempus vacaret ad confitendum, item si confessio facilis et brevis sit. — Ceterum qui reconciliatione cum Deo indiget, semper potest intra Missam confiteri — etiam confessionem generalem facere — si alias aliquamdiu in statu peccati mortalis deberet manere; in tali casu tamen consultum est, ut confessarius ad partes essentiales Missae confessionem intercipiat, monens poenitentem, ut reflectat ad Missam.

δ) Licet fideles adhortandi sint, ut inter Sacrum preces fundant et sanctos actus eliciant, non sunt tamen inquietandi propter illas distractiones, quae eos non impediunt, quominus actionem sacerdotis cum animo Deum colendi sequantur. Secus, si distractio sit talis, ut nullo modo ad Missam attendant.[5])

c) Locus debitus.

c) ***Locus debitus.*** Juxta hodiernam disciplinam potest in qualibet *ecclesia publica* Missa audiri, ad legem ecclesiasticam implendam. Praeceptum enim olim vigens assistendi Missae *parochiali*, contraria consuetudine, in toto orbe christiano recepta, abrogatum est. Imo Benedictus XIV. dicit: „non posse hodie Episcopum praecipere suis subditis, ut se sistant Missae parochiali, quia non potest delere consuetudinem, quae, cum vigeat in toto orbe, jam inducit naturam juris communis.“[6]) Similiter etiam fideles in *oratoriis publicis* praeceptum de audienda Missa adimplere possunt; *non vero in oratoriis privatis,*

---

[1]) L. c. [2]) S. Alph. L. III. 316.—317. [3]) L. c. 315. [4]) L. III. 332. [5]) S. Alph. L. III. 313. [6]) De Synod. Lib. XI. cap. 14. n. 10.

in hisce etenim soli Indultarii praecepto satisfaciunt, servatis conditionibus et exceptionibus Indulti, uti fusius in jure canonico dicetur.

Unde absentia fidelium a Missa parochiali non est peccatum, nisi conjungatur cum scandalo vel cum contemptu parochi aut parochiae, vel cum periculo ignorantiae.[1]) Inducendi sunt tamen fideles, ut diebus Dominicis et festis Missae parochiali assistant, partim propter bonum exemplum, partim quia Missa pro parochianis applicatur, ac proin uberior ex ea fructus percipitur,[2]) partim etiam quia solent indici jejunia et festa occurrentia per hebdomadam, et fiunt proclamationes bannorum etc.

Nota: Aliis diebus praeter diem Dominicam et festos fideles non tenentur Missam audire. At omni meliori modo exhortandi sunt, ut, si fieri potest, etiam diebus ferialibus diligenter Sacro assistant. Hortandi etiam sunt, ut Deum etiam *cultu domestico* colant, ad quem diversa devotionis in Deum munia spectant, quae vel singuli pro se, vel alii cum aliis, vel domestici in communi obeunt. Usitatiores hujus generis actus sunt: preces matutinae et vespertinae, preces ante et post prandium, salutatio angelica ter in die, religiosa lectio et meditatio, visitatio locorum sacrorum, colloquia et hortamina religiosa, Rosarium vespertinum, visitatio viae crucis etc. Sed omnia haec opera per se sunt tantum de consilio, licet ille, qui frequentius preces matutinas et vespertinas, ante et post prandium omittit, raro ab omni culpa excusari poterit, propter incuriam salutis. Nota.

2. ***Quaenam causae ab obligatione Missae audiendae excusant?*** Praeter dispensationem ab obligatione Missam audiendi potissimum quatuor causae excusantes adduci possunt: *impotentia, caritas, officium* et *consuetudo.* 2. Causae excusantes ab auditione Missae.

a) ***Impotentia,*** sive *physica*, sive *spiritualis* sive *moralis.* Et quidem excusat: a) Impotentia.

α) Impotentia physica seu absoluta: graviter aegrotantes, captivos, justa de causa in mari navigantes, vel peregrinantes in regionibus, ubi Missa non celebratur. α) Impotentia physica.

β) Impotentia spiritualis: excommunicatos et interdictos, quibus illicita est auditio Missae, modo tamen in absolutione impetranda non nimis morentur.[3]) β) Impotentia spiritualis.

γ) Impotentia moralis; i. e. quaevis causa mediocriter gravis, involvens notabile aliquod incommodum aut damnum, in bonis animae vel corporis, propriis vel proximi. Unde excusati censentur: qui ob corporis debilitatem, viae asperitatem, inclementiam aeris, locorum distantiam, non leve incommodum aut valetudinis periculum sibi prudenter timent. γ) Impotentia moralis.

---

[1]) S. Alph. L. III. 320.—323. [2]) L. III. 321. L. VI. 424. [3]) S. Alph. L. III. 325.

Locorum vero *distantia*, quae a Sacro excuset, varia est pro varietate personarum, loci, temporis. Ordinarie pro sufficienti habetur distantia trium milliarium, seu iter pedestre unius horae cum quadrante; imo minus, si plueret, ningeret, aut adesset alia causa ex parte jam excusans.[1]) — Qui vero equo, vel curru vehi possunt, non excusantur, nisi distantia sit duplo, imo triplo longior. Item excusantur viatores, qui sine notabili expensa, aut sine periculo gravis incommodi, a sociis iter persequentibus discedere nequeunt; item rhedarii, molitores aliive operarii, qui idonea notabilis faciendi lucri opportunitate privarentur.[2]) — Porro laborantes in fusoriis et similibus officinis, ubi opus inceptum deserere nequeunt, nec habent alios, qui succedant. — Item mulieres vestibus suae conditioni congruis carentes, aut ex delicto praegnantes, quamdiu earum turpitudo latet, nec tamen excusantur, si absque famae detrimento Missam audire possint in loco remoto vel hora anticipata.[3]) — Denique omnes, qui non sunt sui juris, uti famuli, quos vel necessarium ministerium, vel pessima heri voluntas ab audiendo Sacro arcent. (Non vero excusarentur, si facile alium famulatum invenirent, aut si sine magna molestia, e. g. sine notabili privatione somni, Missam audire possent.) — Item uxores et filiifamilias, quibus timenda esset gravis indignatio mariti vel parentum; milites, qui ex auditione Missae suorum ducum vexationi aut commilitonum ludibriis valde molestis obnoxii forent.[4]) Qui tamen omnes diligenter adniti debent, ut quantum possint, impedimenta removeant.

b) Caritas.

b) ***Caritas*** excusat eos, qui curam habent infirmorum, a quibus sine nimia horum anxietate discedere nequeunt, et excusantur, etiamsi esset alius assistens; — item eos, qui opem ferunt proximis grave damnum patientibus ex incendio, tempestate, alluvione, aliisve calamitatibus; item eos, qui spem habent fore, ut sua praesentia jurgia, lites, graves rixas, furta, duella vel actus turpes impediant. — Item juxta sententiam probabiliorem excusatur femina, sciens, se alteri, a quo perdite amaretur, secuturam occasionem peccati, si prodiret; et quidem talis bis vel ter etiam tenetur omittere Missam, ad scandalum praecavendum juxta Laymann et alios, quam sententiam etiam s. Alphonsus probabiliorem habet. Sed non licet omittere Missam ad peragendum opus non praeceptum, licet altioris meriti,[5]) e. g. peregrinationem ad locum pium.

c) Officium.

c) ***Officium*** excusat milites excubias agentes, custodes domus vel gregis; qui tamen, si plures sint, et una solum dicatur Missa, tenentur alternis vicibus Sacro assistere. — Item nutrices, matres, quae neminem habent, cui sine periculo relin-

---

[1]) L. c. 329. H. A. VI. 41. [2]) L. c. 332., H. A. VI. 43. [3]) S. Alph. L. III. 330., H. A. VI. 42. [4]) L. c. 327. H. A. VI. 40. [5]) L. c. 326., 332. H. A. VI. 43.

quant parvulos, quos non possunt secum in ecclesiam sine notabili adstantium perturbatione ducere.[1])

d) ***Consuetudo*** pluribus in locis recepta excusat a Missa viduas infra primum viduitatis mensem; puerperas, per mensem aut sex hebdomadas, modo tamen non aliis de causis in publicum egrediantur. Item excusat in aliquibus locis sponsas, cum earum nuptiae proclamantur; si tamen alia celebretur Missa, assistere tenentur.[2]) d) Consuetudo.

Ultimo notandum est, eum, qui legitime impeditus est, quominus diebus Dominicis et festis ecclesiastico praecepto satisfaciat, ex praecepto non teneri, aut domi per orationes fundendas id supplere, quamquam suaderi id debet; aut aliis diebus ferialibus Missam supplere; at qui per totum annum impediretur, quominus diebus Dominicis et festivis Sacro interesset, aliquoties id supplere deberet diebus ferialibus, nam est praeceptum divinum, aliquoties saltem, si fieri possit, Sacro interesse. Si enim ex divino praecepto, ut omnes fatentur, sacerdos aliquoties in anno celebrare tenetur, fideles etiam eodem jure Sacrificii participari debent; et si id diebus Dominicis et festis fieri nequit, id aliquoties supplere debent diebus ferialibus, quia divina illa lex non est tempori determinato affixa, ut affixa est lex ecclesiastica.[3])

II. ***Abstinentia ab operibus servilibus.*** Praeceptum negativum quoad sanctificationem quorundam dierum praecipit *requiem servandam*, seu *abstinentiam a quibusdam operibus.* Hinc duo potissimum pensanda sunt, scilicet: *quaenam opera hisce diebus prohibita sunt*, et *quaenam causae aliquando hujusmodi opera permittunt.* II. Abstinentia ab operibus servilibus.

1. ***Quaenam opera prohibita sunt.*** Quoad festa sanctificanda quadruplicis generis opera distinguenda sunt: 1. Quaenam opera prohibita sunt.

a) ***Opera servilia,*** quae corpore exercentur et ad corporis utilitatem immediate ordinantur. *Haec opera omnibus fidelibus diebus Dominicis et festis per se prohibita sunt — scilicet exceptis iis, quae jure vel legitima consuetudine permittuntur.* — Et quidem *prohibita sunt tota die naturali*, a media nocte usque ad mediam noctem, ut constat ex jure canonico et perpetua Ecclesiae praxi. Et notandum, *quod omnino nihil refert, utrum hujusmodi opera fiant lucri gratia vel recreationis causa, an bona vel mala intentione, an cum, vel sine defatigatione corporis, utrum brevi, vel longo tempore, an gratuito, vel pro mercede*, quia nihil horum mutat naturam operis. *Et quidem haec opera prohibita sunt generatim sub gravi*, quia finis praecepti est gravis. *Admittit tamen hoc praeceptum parvitatem materiae. Communius materiam gravem esse censent laborem duarum horarum, si labor sit valde servilis*, et *laborem duarum horarum cum dimidia, si sit leviter servilis*, uti e. g. conficere Rosaria. Spectant vero ad opera servilia, et sic die festo pro- a) Opera servilia.

---

[1]) Cfr. s. Alph. L. III. 326. [2]) L. c. 330.—334. Marc P. II. n. 670.—685.
[3]) Cfr. Lehmkuhl P. I. L. I. n. 567.

hibita: omnia *opera ruralia*, ut arare, seminare, fodere, metere, vindemiare etc.; porro *opera artium mechanicarum*, ut artis sartoriae, sutoriae, lignariae etc.; et quidem etiam opera minutiora, quae solent a monialibus fieri, uti confectio Rosariorum, Scapularium, florum etc. nisi exigua tantum tempore, aut saltem non ultra duas horas producantur. Et tandem *opera praedictis aequipollentia,* ut molere, labor pistorum, laniorum, currus et jumenta cum onere ducere, magna onera portare, barbam radere, etc.

b) Opera liberalia.

b) ***Opera liberalia,*** quae principaliter ab anima procedunt, et ad mentis culturam spectant. *Hujusmodi opera licita* sunt diebus festivis. Unde licet legere, scribere, transscribere, studere, notas musicas componere, imagines acu retrahere, probabiliter etiam pingere; at non tabulas dolare, tingere, colores terere, colorare pannos, dealbare parietes etc. haec enim passim ut opera servilia habentur.

c) Opera communia.

c) ***Opera communia,*** quae etiam *media* dicuntur, utpote quae a servis simul et liberis promiscue fiunt, uti: venari, piscari, aucupari, gladiari, iter facere, pede vel curru vel lectica. *Haec opera itidem licita sunt diebus Dominicis et festivis,* dummodo Sacrum non omittatur.

d) Opera forensia.

d) ***Opera forensia,*** *i. e. ea, quae ad forum judiciale et ad mercatum pertinent. Haec opera generatim sub gravi illicita sunt diebus festis.* Admittit tamen hoc praeceptum *parvitatem materiae, quae parvitas materiae tamen non tam a quantitate temporis, uti in operibus servilibus, sed potius a qualitate operis pendet:* hic enim non attenditur temporis diuturnitas, sed actus solemnitas.[1])

Interdicuntur ergo *actiones judiciales*, illae nimirum, quae respiciunt causas civiles vel criminales, saeculares vel ecclesiasticas, si apparatum judicialem et strepitum sibi requirunt. Hinc non licet citare reum, examinare testes, excipere juramentum judiciale, proferre aut exequi sententiam, nisi necessitas aut pietas aliud exigat. — Licet autem excommunicare, dispensare, Beneficia conferre, testamenta conficere, advocatum consulere, judicem privatim informare etc.

Interdicuntur porro *mercatus* illi, qui fiunt cum strepitu in officinis publicis. Permittuntur tamen nundinae certo diei affixae, quando in diem festum incidunt, ubi viget legitima consuetudo, ut Benedictus XIV. declaravit.[2]) Permittuntur etiam venditiones et emtiones domorum, equorum, mercium etc. inter privatos. Imo in quibusdam locis tolerantur, peractis divinis officiis, publicae venditiones sub hasta seu licitationes, quia aliis diebus pauciores emptores concurrerent.

2. Causae excusantes.

2. ***Causae, quae opera prohibita permittunt.*** Numerantur communiter sex: *dispensatio, consuetudo legitima, pietas erga Deum, caritas erga proximum, necessitas* et *utilitas.*

---

[1]) S. Alph. L. III. 305. [2]) Constit. „Ab eo tempore" 1745.

a) ***Dispensatio.*** Dispensare possunt, uti jam dictum est, Papa pro tota Ecclesia; episcopus cum omnibus Dioecesanis, sed in festis universalibus ad tempus tantum; praelati regulares cum suis subditis et famulis ad tempus; et parochi erga parochianos ad tempus in casu particulari et gravi de causa, saltem ex consuetudine. Ubi tamen causa est manifeste sufficiens, dispensatione non opus est, sed parochus, imo et confessarius, potest legem per επιχειαμ interpretari et laborem concedere.[1] a) Dispensatio.

b) ***Consuetudo legitima,*** ubi notandum, quod sufficit etiam *probabilis consuetudo, non vero dubia;* in dubio enim de consuetudine, possidet lex. At consuetudo ex iis solis operibus licita reddere quaedam potest, quae sunt aut leviter servilia, aut factu aliquo modo necessaria. Nam aliqua sunt, quae consuetudine reddi licita nequeunt, ut arare, artem fabrilem exercere etc. — Jam vi consuetudinis perplura opera permittuntur, uti: ducere vehicula vel animalia mercibus onusta, sella gestatoria ab hominibus portare, irrigare olera, coquere et parare cibos, occidere animalia et excoriare, vendere et emere, etsi in officinis publicis, esculenta et poculenta, calceamenta, candelas et similia, barbam radere, cubilia sternere etc.[2] b) Consuetudo.

c) ***Pietas erga Deum.*** Hoc titulo permittuntur opera, quae *proxime spectant ad cultum divinum*, uti: pulsare campanas, statuas deferre, altaria et ecclesiam ornare, conficere ornamenta pro aliqua certa indigente ecclesia etc.[3] — *Probabilius* vero non licet illa opera exercere, quae *remote* tantum ad cultum divinum spectant, uti agros ecclesiae colere, parietes ecclesiae dealbare, vehere lapides aut ligna ad aedificandam ecclesiam etc., nisi adsit necessitas, vel magna utilitas ab episcopo probata. Item non licet erigere tabulata ad videndam processionem, nisi quando nullum aliud tempus suppeteret.[4] c) Pietas in Deum.

d) ***Caritas erga proximum.*** Ex hoc titulo licet inservire infirmis; causas pauperum, orphanorum aut viduarum agere; fodere sepulchrum; vendere rusticis, qui aliis diebus emere impediuntur; laborare pro aliquo determinato paupere, cui ratione necessitatis laborare liceret;[5] vel etiam pro pauperibus in genere, si gravis ac certa necessitas in aliquo loco vigeat.[6] d) Caritas erga proximum.

e) ***Necessitas propria vel aliena,*** animae vel corporis, si nimirum sine gravi incommodo aut detrimento aliquod opus omitti non possit.[7] Ex hac ratione excusantur: pauperes, si aliter se suamque familiam alere non possint, modo scandalum, quoad fieri possit, caveatur; item si suas reficiant vestes, quas aliis diebus resarcire non valent;[8] — item famuli, uxores et filii ad laborem coacti, sive vi, sive timore gravis damni aut e) Necessitas

---

[1]) S. Alph. L. III. 288. [2]) L. c. 290. [3]) L. c. 293. [4]) S. Alph. H. A. VI. 17. L. III. 293. [5]) L. c. 294. [6]) L. c. 293. [7]) H. A. VI. 18.—21. L. III. 295., 300., 303. [8]) L. III. 297.

detrimenti, nisi tamen coactio non fiat in contemptum diei festi, vel Ecclesiae. Quodsi famulus frequenter laborare cogeretur, teneretur alium herum quaerere; — item pistores et laniones publici, saltem in magnis oppidis ob populi necessitatem; — item omnes, quorum opera incepta interrumpi nequeunt sine magno damno; ut conflantes ferrum et vitrum;[1]) — item fabri ferrarii, si calceant equos itinerantium, vel qui reficiunt vomeres eorum, qui secus die sequenti laborare non valerent;[2]) — item qui in casu necessitatis instaurant pontes, vias publicas, machinas in officinis;[3]) — item sartores et sutores, qui calceamenta et vestes pro instantibus nuptiis, funeribus et similibus solemnitatibus necessaria conficiunt, aut qui vestem resarciunt peregrino; excusantur etiam, si promissae vestes ita exspectantur, ut, nisi eas perficiant, magnum sint damnum subituri;[4]) — item agricolae, qui ob praeteritam aut imminentem pluviam foenum vel segetes vertunt, colligunt, vehunt;[5]) — item qui ex officio iter agunt, aut merces vehunt, vel qui in via ferrea occupatione necessaria detinentur, ut ductores, calefactores etc.

f) Utilitas. *f)* ***Utilitas extraordinaria;*** haec enim est quasi necessitas. Unde excusantur, qui laborant ob *causam publicae laetitiae* aut splendoris, e. g. si agatur de celebranda victoria, de celebranda principis nativitate, vel de festo praeparando ob principis adventum, matrimonium etc.[6])

Excusantur quoque probabiliter illi, qui laborant ob *magnum et extraordinarium lucrum;* nam magnum lucrum cessans gravi damno aequiparatur.[7]) — *Ratio otii vitandi* vero generatim non excusat, quia otium aliis remediis multo melioribus facile vitari potest, e. g. visitatione ecclesiae vel aegrotorum, orando vel legendo etc. Tunc tantum s. Alphonsus permittit ad otium vitandum laborem, cum urget gravis tentatio, quam aliquis vincere non posset, nisi vacando laboribus; sed talis casus nonnisi rarus, imo rarissimus esse potest.[8])

§. 13. Usus Sacramentorum.

Praeter actiones cultus divini commemoratas, quae proxime eo tendunt, ut nomen Dei sanctificetur et glorificetur, aliae quoque sunt, quarum finis proximus est, ut nos per gratiam divinam, ipsarum ope nobis attributam, Deo grati et accepti ideoque regni divini participes efficiamur. Sunt autem *Sacramenta.* Cum tamen quoad Sacramenta perplura jam ex Theologia Dogmatica sat nota sunt, perplura autem fusius in Theologia Pastorali et Jure canonico

---

[1]) L. III. 300. [2]) L. c. [3]) L. c. 303. H. A. VI. 19. [4]) L. c. [5]) L. c. 298. [6]) L. III. 304. H. A. VI. 24. [7]) S. Alph. L. III. 301. H. A. VI. 22. [8]) L. c. 302. H. A. VI. 23. Cfr. Lehmkuhl P. I. L. I. n. 544.—554. Marc P. II. n. 658.—669. Müller P. II. §. 67. Reiffenstuel tr. 10. dist. 1. q. 1.—5. Billuart tom. 12.

pertractabuntur, pauca tantum restant nobis de *administratione* et *susceptione Sacramentorum* ventilanda.

I. Administratio Sacramentorum.

I. ***De administratione Sacramentorum.*** Sacramentum novae legis est signum visibile, quod ex Dei institutione, gratiae tum significandae, tum efficiendae vim habet. „Omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tamquam materia, verbis tamquam forma, et persona ministri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia; quorum si aliquid desit, non perficitur Sacramentum.“ Ita Eugenius IV. ad Armenos.

Materia.

Materia est res sensibilis, ad rationem Sacramenti per formam determinanda; est duplex: *remota*, seu res sensibilis praeexistens, quae in Sacramento adhibetur, vel circa quam actio sacramentalis exercetur; et *proxima*, quae est ipsamet applicatio, seu usus materiae remotae in actione sacramentali. Sic in Baptismo aqua est materia remota, ablutio materia proxima.

Forma.

Forma est pars Sacramenti, quae determinat materiam ad effectum sacramentalem producendum, et consistit in verbis a ministro prolatis, vel, pro Sacramento matrimonii, hocque solo, in signis, quae locum tenere possunt verborum.[1])

Minister.

Minister Sacramentorum dicitur ille, qui nomine Christi, cujus est mandatarius, sacramentalem actionem perficit. Et est vel *ordinarius*, qui juxta ordinem consuetum a Christo et ab Ecclesia constitutum, Sacramentum conficit; vel *extraordinarius*, qui praeter hunc ordinem conficit aliqua Sacramenta, sed ob peculiare privilegium, delegationem vel necessitatem. Sic in Baptismo minister ordinarius est sacerdos, minister extraordinarius in casu necessitatis est quivis homo.

His praemissis jam quaeritur: quid requiratur tum ad *validam*, tum ad *licitam Sacramentorum administrationem?*

1. Requisita ad validam administrationem. a) Unio materiae et formae ab eodem ministro erga idem subject. b) Simultaneitas in applicatione materiae et formae.

1. ***Requisita ad validam administrationem:***

a) *Materia et forma uniri seu applicari debent ab eodem ministro, et erga idem subjectum;* ratio est, quia, si unus formam, alter materiam poneret, verba formae non verificarentur.

b) *Inter materiam et formam debet esse talis conjunctio, ut secundum moralem hominum aestimationem, spectata cujusque Sacramenti natura, altera alteram afficiat.* Pro diversitate Sacramentorum haec conjunctio seu simultaneitas debet esse diversa, et quidem:

α) In *Eucharistia* requiritur conjunctio physica, cum pronomen „Hoc“ et „Hic“ non possit verificari, nisi sit praesens materia.

β) In *Baptismo, Confirmatione, Extrema Unctione* et *Ordine* sufficit ad valorem, ut materia applicetur immediate antequam pronuntietur forma, vel immediate postquam prolata sit. Mora autem unius „Pater noster“ inter utrumque invalidaret Sacramentum. Unde in praxi tamquam tutior con-

---

[1]) S. Alph. L. VI. 887.

sulenda est sententia, quae requirit, ut forma inchoetur, priusquam materiae applicatio absolvatur, vel e converso.

γ) *In poenitentia*, quae naturam judicii sequitur, mora temporis longior, e. g. unius horae, inter accusationem et absolutionem intercedere potest.

δ) *In matrimonio* denique, idem admittitur intervallum ac in contractibus, nempe sufficit, ut consensus unius ponatur, dum consensus alterius perseverat.[1])

c) Desit substantialis mutatio in materia et forma.

c) *In materia et forma nulla substantialis variatio seu mutatio occurrere debet*, quae si fiat sive ex proposito et deliberate, sive ex errore vel ex inadvertentia, semper invalidat Sacramentum; ratio, quia per talem mutationem tollitur ritus a Christo institutus. — Econtra mutatio *accidentalis* non officit valori Sacramenti, sed pro mutationis gravitate vel parvitate est peccatum grave vel leve.

Est vero *substantialis mutatio materiae*, quando secundum communem usum et aestimationem hominum differt nomine et re ab ea, quam Christus praescripsit; *accidentalis* dicitur, quando cum ea eundem retinet usum et nomen. *Formae mutatio substantialis seu essentialis est*, quando non manet idem sensus; *accidentalis*, quando manet.[2])

d) Materia et forma sint moraliter certae.

d) *Materia et forma (extra casum necessitatis) moraliter certae esse debent.* — Occurri potest circa materiam et formam dubium *juris* et *facti;* prius obtinet, quando dubitatur, utrum talis materia, e. g. in Baptismo aqua rosacea, vel talis forma fuerit a Christo instituta ceu valida; posterius est, quando dubitatur, utrum adhibenda vel jam adhibita materia aut forma sit illa, quam Christus instituit, e. g. utrum iste liquor sit aqua, utrum forma absolutionis fuerit debite prolata. In omni hujusmodi dubio sive juris sive facti, haec tenenda sunt:

α) Si possibilitas adest, eligatur via tutissima i. e. sententia tutior vel moraliter certa.

β) Si possibilitas non adest, eligatur via, quae sit tutissimae proxima, i. e. deficiente materia certa, adhibeatur materia probabilis vel dubia, sub forma tamen *conditionata*, uti jam dictum est in tractatu de Probabilismi usu.

γ) Cessante impossibilitate caute supplendum est, quod impossibilitas prohibebat.[3]) — Unde si prudenter dubitatur, an aliquod ex tribus Sacramentis *non iterabilibus* fuerit valide collatum, debet iterum sub conditione conferri; ratio, quia ex una parte in dubio circa valorem Sacramenti praeferenda est opinio favens animabus; ex altera vero parte, nulla irrogatur Sacramento irreverentia, dum confertur sub conditione ex rationabili causa.

Si prudenter dubitetur de valore Sacramenti *iterabilis*, *potest* illud denuo conferri sub conditione, quando subest

---

[1]) S. Alph. L. VI. 9., 10., 446. [2]) L. c. 11. [3]) Cfr. Haine, de Sacram. cap. 4. dub. 11.

notabilis proximi utilitas; *debet* autem, quando Sacramentum est necessarium. *Iterare vero Sacramentum ob inane dubium,* quamvis sub conditione, est per se peccatum grave, quia temeraria sacramentalis actionis iteratio est gravis irreverentia. Per accidens tamen excusantur Scrupulosi ob perplexitatem; et venialiter tantum peccat, qui verbum vel syllabam repetit in prolatione formae.

Adhuc notandum est, quod tutius aut saltem decentius erit, conditionem verbis exprimere, quoties ministratur quodcunque Sacramentum sub conditione; quoad Baptismum, si publice confertur, id praescribit etiam Rituale.

e) Intentio faciendi quod facit Ecclesia.

e) In ministro requiritur ad validam administrationem Sacramentorum potestas divinitus concessa, et *intentio saltem, seu voluntas faciendi, quod facit Ecclesia.* Sufficit autem intentio *virtualis. Non requiritur ergo intentio actualis* aut *explicita. Non sufficit vero intentio habitualis,* multo minus *interpretativa;* nec sufficit intentio, etsi seria, *ponendi actum externum*, nec intentio *mimica* seu irrisoria, ut patet ex damnatione Lutheri;[1]) sed intentio debet etiam esse *interna,* necnon *determinata* ad certam materiam et personam. — Validum est etiam Sacramentum cum intentione *conditionata* collatum, si conditio apponatur de *re praesenti vel praeterita;* non vero si conditio sit *de futuro,* excipe Matrimonium, quod ad instar alicrum contractuum, sub conditione de futuro celebrari potest. Nec similiter validum est Sacramentum, si apponatur conditio, quae humanitus cognosci nequeat, e. g. „ego te absolvo, si Deus revera futurum esse praenoscit, ut tu restituas".

Si minister habeat *duas intentiones contrarias,* tunc, si sint *simultaneae,* valet intentio *praedominans;* si sint ambae *aequales,* minister nihil efficit, nam una aliam destruit; si sint *subsequentes,* valet *posterior.* Quod si dubium remanet, dubia erit Sacramenti validitas.

Unde deduces:

α) Minister, qui de *more* posuit actiones ad Sacramentum requisitas, modo non excluserit intentionem, nonnisi imprudenter de eadem postea dubitat, quia saltem voluit facere, quod alias a seipso et ab aliis fieri solet; et sic intentionem habuit in actu exercito.

β) Sufficit ad valorem Sacramenti intentio etiam *coacta* et *metu extorta,* quia metus non tollit voluntarium. Excipe Matrimonium, a quo vis et metus abesse debent, saltem ex definitione Ecclesiae.

γ) Validum est etiam Sacramentum, etiamsi minister forte *erraverit* circa personam suscipientis, nisi ejus intentio alicui determinatae personae exclusive alligata fuerit, quod nonnisi in Matrimonio fieri solet.[2])

---

[1]) Trid. Sess. XIV. can. 9. d. Poenit. [2]) Cfr. s. Alph. L. VI. 10.—23. Marc P. III. n. 1390.—1414.

2. Requisita ad licitam administrationem.

2. ***Requisita ad licitam administrationem Sacramentorum.*** Praeter ea, quae ad valorem necessaria sunt, requiruntur ex parte ministri adhuc tria ad *licitam* administrationem, scilicet: *ut dignus sit,* ut *digne ac rite agat,* et *ut Sacramenta conferat dignis.*

a) Minister dignus sit.

a) Dignus sit; i. e. *in statu gratiae;* nam sancta sancte tractanda sunt. *Status gratiae requiritur saltem, si minister est consecratus, et ministrat solemniter; sed probabilius id valet etiam, si minister non est consecratus, aut consecratus quidem, sed si non solemniter Sacramentum administrat.* Unde parochi aliique sacerdotes, quibus ex officio incumbit Sacramenta ministrare, tenentur semper se paratos habere ad ministranda Sacramenta in statu gratiae. Quod si quis, in mortali existens, ea ministrare debeat, tenetur prius ad eliciendum actum contritionis perfectae; ad confitendum vero nulla lege tenetur, nisi ante Communionem vel Missae celebrationem juxta decretum Tridentini.[1]) „Sed si habeat copiam confessarii, et temporis locique ratio ferat, *convenit* confiteri.“ Ita Rituale Roman. Item probabilius *per se loquendo* peccant graviter laicus vel sacerdos Baptismum ministrans non solemniter in statu peccati mortalis, vel contrahens Matrimonium in mortali; *per accidens* tamen hujusmodi excusatur, si ministret in mortali in necessitate, puta si non posset tam cito conteri, et periculum esset, quod moribundus discederet sine Baptismo aut absolutione, uti communiter docent.[2])

Juxta sententiam communiorem et probabiliorem tamen minister exercens in mortali alias functiones sacras, quae non sunt confectiones aut administrationes Sacramentorum, non graviter peccat, sed venialiter tantum, uti e. g. sacerdos gestans in processione Ostensorium, Eucharistiam ex officio immediate vel mediate tangens, populum benedicens, vel diaconus et subdiaconus ministrans in mortali ad altare, vel episcopus in mortali conficiens chrisma aut oleum sacrum, vel consecrans ecclesiam, benedicens vestes sacras, assistens Matrimonio, benedicens cineres, aquas lustrales etc. item nec concionator, praedicans in mortali.[3]) Multi contra s. Alphonsum dicunt, probabiliter etiam sacerdotem s. Communionem in mortali distribuentem graviter non peccare. Ita Lugo,[4]) Vasquez aliique bene multi.

b) Minister digne et rite agat.

b) Digne et rite agat: Minister scilicet sub gravi obligatur omnes ritus Sacramentorum *essentiales* servandi. Unde graviter peccat e. g. si utatur materia aut forma falsa, vel (extra necessitatem) dubia; vel si verba formae corrupte, inarticulate, indevote pronuntiat, si exinde periculum proximum subeat errandi in substantialibus, uti sacerdoti sine attentione et voluntarie distracto facile contingere potest; secus venialiter, nisi adsit

---

[1]) Sess. XIII. cap. 7. S. Alph. VI. 33. [2]) L. c. 32. [3]) L. c. 39. 40. [4]) Dist. 8. 155.

scandalum vel contemptus. — Imo ministrans etiam omnes ritus ab Ecclesia praescriptos *accidentales* sedula cura observare debet;[1]) unde graviter peccaret, si illos ex contemptu omitteret vel mutaret; imo si illos etiam ex negligentia tantum omittit, facile graviter peccare potest, scilicet si omissio vel mutatio est notabilis, vel in re gravi.

Notandum adhuc est, quod minister etiam de praecepto in administratione Sacramentorum uti debeat Rituali Romano, nisi forte alii Ritus alicubi concessi fuerint;[2]) tunc Rituali dioecesano uti debet.

c) *Dignis conferat Sacramenta:* Generatim minister conferens Sacramenta indignis graviter peccat, nisi ex denegatione graviora sequantur incommoda. Unde minister debet de dignitate suscipientis inquirere juxta naturam cujusvis Sacramenti. Scilicet discernenda sunt Sacramenta, in quorum administratione sacerdos est *judex,* ab illis, in quorum collatione est solummodo *dispensator.* Prioris generis sunt: Baptismus adultorum, Poenitentia, Ordo et Matrimonium quoad impedimenta; pro his igitur Sacramentis debet minister ex positivis indiciis de suscipientium dignitate aut idoneitate prudens sibi formare judicium. — Posterioris generis sunt: Confirmatio, Eucharistia et Extrema Unctio, ad quae Sacramenta omnes jus habent, qui catholice vivunt. Unde ad ea administranda sufficit, ut ministro non constet, petentes esse positive indignos.[3]) c) Dignis conferat.

Unde sequentes profluunt regulae pro praxi:

α) Peccatori *occulto, publice petenti* non est negandum Sacramentum.[4])

β) Peccatori *occulto, occulte petenti,* denegandum est Sacramentum, donec de ejus poenitentia constet, de hac autem constat, si ministro notum sit, reum confessionem instituisse; nec inquirendum est, utrum data fuerit absolutio; propter sigillum tenendum.

γ) Peccatori *publico,* nisi sufficientia conversionis signa dederit et scandalum amoverit, denegandum est Sacramentum, sive illud *publice* petat, sive *occulte.*[5]) — Inter eos, qui tamquam publice indigni a Communione arcendi sunt, enumerantur in Rituali Romano: *excommunicati* (notorie), *interdicti, manifesteque infames, ut meretrices, concubinarii, foeneratores, magi, sortilegi, blasphemi, et alii ejus generis peccatores publici;* ut sunt e. g. publici consuetudinarii et occasionarii, sectis damnatis notorie adscripti, actores et actrices ludos impios vel turpes exhibentes, rebellantes in legitimam praesulum suorum auctoritatem; item qui publice et actualiter in peccato sunt, e. g. manifeste hic et nunc ebrii, vel mulieres ita immodeste denudatae, ut denudatio per se mor-

---

[1]) Cfr. Trid. Sess. VII. can. 13. [2]) S. R. C. 10. Jan. 1852. [3]) S. Alph. L. VI. 43. [4]) L. c. 50. [5]) L. c. 44., 45. Scavini L. III. 40.

talis sit. — Uti per se patet, minister, in hisce casibus negans Sacramenta, cum omni prudentia procedere debet.[1])

Notandum adhuc est, quod minister, denegans Sacramentum, ejusdem collationem *nunquam simulare possit,* ne indigno conferat. Sententiam contrariam Innocentius XI. damnavit. Licitum tamen est ex causa rationabili *dissimulare* Sacramentum, modo id fiat citra contemptum, scandalum, intentionem fallendi, aliamve malam circumstantiam.[2])

Unde e. g. nunquam licet proferre verba absolutionis super indispositum, aut verba consecrationis super panem et vinum, sine intentione absolvendi vel consecrandi. Nec similiter licet ad sacram Mensam accedenti, etiam scienti et consentienti, praebere hostiam non consecratam, quia sic exponeretur panis non consecratus adorationi adstantium et ipsius suscipientis, quod esset idololatria.

Licitum tamen est confessario, super indispositum orare, eique benedictionem impertire, ne ejus indispositio ceteris prodatur; hoc enim non est rei sacrae abusus, cum nulla res sacramentalis ponatur. — Sed plura de hac quaestione in Theologia Pastorali occurrent.[3])

II. De susceptione Sacramentorum.

II. ***De susceptione Sacramentorum:*** Quoad hanc duo potissimum pensanda sunt, scilicet: ***requisita ad susceptionem*** et ***obligatio susceptionis.***

1. Requisita ad susceptionem.

1. ***Requisita ad susceptionem Sacramentorum:*** In susceptione Sacramentorum ex parte subjecti, qui est solus homo viator — licet non omnis homo viator sit capax omnium Sacramentorum — tum ad *validam* quum ad *licitam* eorundem susceptionem nonnulla requiruntur.

a) Requisita ad validam susceptionem.

a) ***Requisita ad validam susceptionem.***

α) Ad *validam* Sacramentorum susceptionem non requiritur *fides,* nec *probitas* in subjecto, si Poenitentiam excipias; a fortiori non requiritur *attentio,* quae ne in ministro quidem exigitur.

β) In omni suscipiente praerequiritur *Baptismus* ad valorem aliorum Sacramentorum; unde e. g. Matrimonium infidelium est merus contractus, non Sacramentum.

γ) In *adultis* ad validam Sacramentorum susceptionem requiritur *intentio,* diversa tamen pro diversis Sacramentis. Unde qui se habet mere passive seu neutraliter, nec volens, nec dissentiens, non percipit Sacramentum. — Et quidem ad susceptionem *Poenitentiae* et *Matrimonii* requiritur saltem *intentio virtualis*; ad susceptionem *Baptismi* et *Ordinis* saltem *intentio habitualis;* ad susceptionem *Confirmationis, Eucharistiae* et *s. Unctionis* sufficit *intentio interpretativa.*

δ) In *infantibus et perpetuo amentibus* ad *valide* suscipienda Sacramenta, quorum sunt capaces, nimirum Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam et Ordinem, nulla requiritur

---

[1]) Konings n. 1233. [2]) S. Alph. L. VI. 59.—62. [3]) Cfr. Marc P. III. 1415.—1430.

dispositio, vel intentio, quia eorum intentionem supplet Christus et Ecclesia.[1])

b) ***Requisita ad licitam susceptionem.*** Ut licite et cum fructu suscipiantur Sacramenta, praeter conditiones ad validam illorum receptionem necessarias, *in adultis etiam adesse debet specialis dispositio, eaque diversa, pro diversa cujusvis Sacramenti indole.* Et quidem in specie: b) Requisita ad licitam susceptionem.

α) ***Quoad Baptismum*** in adultis requiritur *fides* et *poenitentia.* Adultus nempe baptizandus prius instrui debet in christiana fide et sanctis moribus, et nonnisi probe instructus baptizari. Urgente mortis periculo sufficit scire et explicite credere, quae necessaria sunt necessitate medii.[2]) α) Quoad Baptismum.

Quoad *(poenitentiam)* requisitam juxta sententiam veriorem et communissimam sufficit *attritio* de commissis peccatis actualibus, cum qua conjunctum esse debet propositum servandi legem divinam. Non opus est tamen confessione. Ast haereticus adultus, qui post conversionem ad fidem catholicam sub conditione baptizatur, debet integram confessionem peragere et sub conditione absolvi, uti patet ex decisione S. C. S. et U. Inquisit. die 17. Dez. 1868, quod Decretum S. P. Pius IX. approbavit et confirmavit.

β) ***Quoad Confirmationem*** requiritur status gratiae et doctrina, saltem quantum aetas tulerit, rudimentorum fidei, orationis Dominicae, Symboli Apostolici. Ita Benedictus XIV.[3]) — Ut confirmandus jejunus sit, non requiritur attenta consuetudine hodierna. Conveniens est, ut confirmandi ardentiori orationis studio sese ad hoc Sacramentum praeparent, ut monet s. Carol. Borom.[4]) β) Quoad Confirmationem.

γ) ***Quoad Eucharistiam*** conditiones tum ex parte animae tum ex parte corporis plane eaedem requiruntur ac in sacerdote celebrante. Pauca tantum adhuc notanda sunt: Rarissime in praxi occurret causa excusans Laicum, conscium peccati mortalis, a confessione, si desit copia confessarii, abstineat ergo a Communione. — Qui dubitat, an graviter peccaverit, necne, licite potest ad Communionem accedere, praemissa contritione, quamvis omnino consulenda sit confessio.[5]) — Qui ante Communionem recordatur peccati mortalis ex inculpabili oblivione in confessione omissi, potest communicare, si absque gravi incommodo nequeat ante Communionem denuo confiteri vel Communionem differre; id probabilius valet, quamvis poenitens absque gravi incommodo possit confiteri, etenim sufficit, peccatum oblitum accusare in proxima confessione subsequenti, nec tenetur quam primum confiteri.[6]) γ) Quoad Eucharistiam.

---

[1]) Cfr. Trid. Sess. VII. de Sacram. can. 13.; s. Alph L. VI. 80.—82. Lehmkuhl P. I. L. II. n. 47.—49. Marc P. III. n. 1413—1435. [2]) Rit. Rom. s. Alph. L. VI. 139. [3]) Constit. „Etsi". [4]) P. VI. Act. Eccl. Mediol. [5]) H. A. XV. 34. [6]) S. Alph. L. VI. 257.

δ) Quoad Poenitentiam.

δ) ***Quoad Poenitentiam*** conditiones requisitae hisce versiculis exprimuntur: „Sit simplex, humilis confessio pura, fidelis; necnon nuda, frequens, discreta, libens, verecunda; integra, secreta et lacrimabilis, accelerata; fortis et accusans, et sit parere parata.“ Sed de omnibus his fusius in Theologia Pastorali.

ε) Quoad S. Unctionem.

ε) ***Quoad S. Unctionem*** in suscipiente requiritur status gratiae seu peccatorum confessio, si infirmus in mortali versetur; hoc enim Sacramentum est Poenitentiae complementum, ideoque haec praecedere debet. Quodsi vero infirmus non possit sua peccata confiteri, contritio saltem praecedat, necesse est; hoc enim Sacramentum est primario Sacramentum vivorum, et ad reliquias peccatorum tollendas praecipue institutum. Verum in tali casu etiam attritio sufficere posse videtur; est enim simul Sacramentum mortuorum, et peccata mortalia cum attritione remittere potest. Ita Salmanticenses, quorum sententiae etiam assentitur Benedictus XIV. — In praxi omnis infirmus, si jam non possit peccata sua confiteri, absolutione saltem conditionata ante Unctionem donandus est, praemisso actu contritionis.

ζ) Quoad s. Ordinem.

ζ) ***Quoad Ordinem*** requiritur, ut suscipiens nulla irregularitate, excommunicatione devinciatur; ut sit in statu gratiae; ut ab episcopo rite admissus sit; ut aetatem per sacros canones requisitam habeat; ut congruam scientiam, specimine comprobatam prae se ferat; ut dimissiorales ostendat literas, si sit ex alia dioecesi; ut debito tempore debitisque interstitiis interpositis ordinetur; tandem ut vitae probitas divinam etiam vocationem comitem habeat.

η) Quoad Matrimonium.

η) ***Quoad Matrimonium*** tandem requiritur etiam status gratiae, quia est Sacramentum vivorum. Qui ergo contrahunt peccato mortali coinquinati, gravissimi sacrilegii rei evadunt nec gratias sacramentales sponsis necessarias percipiunt. Probabiliter tamen illae gratiae sunt tantum suspensae, et remoto obice seu peccato mortali, animae applicantur. — In praxi aliquando melius erit, indignum non monere de sacrilegio committendo, ut minus peccet, si nullus fructus ex monitione speretur; sed inducendus erit, ut saltem quamprimum ad confitendum accedat. In nonnullis dioecesibus exstat etiam lex specialis, ut non solum ante, sed etiam infra octiduum post copulationem Sacramentum Poenitentiae accipiant. Uti per se patet omnino necesse est, ut matrimonio non obstet impedimentum aliquod sive dirimens sive impediens; sed de hac re fusius in jure canonico.

2. Obligatio susceptionis Sacramentorum.

2. ***Obligatio susceptionis Sacramentorum.*** Obligatio Sacramenta suscipiendi diversa est pro diversitate Sacramentorum, et quidem in specie:

a) Quoad Baptismum.

a) ***Baptismus*** extra casum martyrii omnibus, tam infantibus quam adultis, est necessarius necessitate medii ad salutem

in re vel *in voto.* Est de fide, ut constat ex s. Scriptura[1]) et Concilio Tridentino.[2]) Unde quilibet adultus, statim ac fuerit sufficienter instructus, tenetur, et quidem jure divino, suscipere Baptismum et per hunc ingredi Christi Ecclesiam, et non videtur excusandus a gravi peccato, qui sine legitima causa suum Baptismum differret ultra decem menses; eo autem gravior debet esse causa dilationis, quo major est dilatio. Ita Billuart. — Similiter graviter peccant, qui absque urgente causa infantis Baptismum notabiliter procrastinant. Notabilis vero procrastinatio communius et probabilius illa censetur, quae ultra 10 vel 11 dies excurreret.[3]) Hinc plures Synodi poenam excommunicationis minantur parentibus, qui Baptismum ultra octiduum per negligentiam producunt.

b) ***Confirmatio*** non est necessaria necessitate medii ad salutem. Id omnes confitentur, et ratio est, qui per solum Baptismum haberi potest gratia sanctificationis et vita aeterna. Est autem absque dubio necessaria necessitate praecepti, quoties ex omissione ipsius, vel haberetur Sacramenti contemptus, vel oriretur grave scandalum, vel certe immineret animae periculum fidem amittendi aut caritatem, e. g. in locis, in quibus persecutiones contra Catholicos ingruunt. Ita communiter. b) Quoad Confirmationem.

Quaestio autem est, an sit obligatio *per se* suscipiendi hoc Sacramentum? Alii cum s. Thoma[4]) *negant;* alii autem verius cum s. Antonino et s. Bonaventura *affirmant,* qui dicunt gravem esse obligationem ex praecepto divino suscipiendi hoc Sacramentum, saltem decurrente vita et data opportunitate.[5]) Et haec sententia post Bullam Benedicti XIV. „Etsi pastoralis“ vix oppugnari potest; dicit scil. Benedictus XIV. in praedicta Bulla: „Monendi sunt (qui non sunt confirmati), ab Ordinariis locorum, eos gravis peccati reatu teneri, si, cum possunt ad Confirmationem accedere, illam renuunt ac negligunt.“ — Consonat Rituale Romanum in cujus novissima Appendice haec leguntur: „Etsi hoc Sacramentum non sit de necessitate medii ad salutem, tamen sine gravis peccati reatu respui non potest ac negligi, cum illud suscipiendi opportuna adest occasio.“ Unde sententia negans non videtur remanere probabilis,[6]) licet *certo* de gravi obligatione non constet.[7])

c) ***Eucharistia.*** *Sumptio* ***realis*** *Eucharistiae non est necessaria quidem necessitate medii ad salutem, neque pueris, neque adultis.* Quoad pueros haec propositio est de fide, sic enim Concilium Tridentinum:[8]) „Si quis dixerit, parvulis, antequam ad annos discretionis pervenerunt, necessariam esse Eucharistiae communionem, anathema sit.“ Et inde infertur etiam pro adultis, ut sententia communis et certa habet. c) Quoad Eucharistiam.

---

[1]) Joann. III. 5. [2]) Sess. VI. cap. 3. et can. 4. Sess. VII. can. 4. et 5. [3]) S. Alph. L. VI. 118. [4]) In 4. dist. 7. q. 1. a. 1. ad 2. [5]) S. Alph. L. VI. 181., 182. [6]) S. Alph. L. VI. 182. H. A. XIV. 47. [7]) Lehmkuhl P. II. L. I. n. 103. [8]) Sess. XXI. can. 3. et Sess. XIII. cap. 9.

At susceptio ***in voto*** *juxta sententiam probabiliorem,*[1]) *necessaria est necessitate medii ad salutem, tam parvulis quam adultis*, quia Eucharistia est „quasi consummatio vitae spiritualis et omnium Sacramentorum finis, ideoque alia Sacramenta ad illam ordinantur," ut dicit s. Thomas.[2]) Idem tradit Catechismus Rom.[3])

Sumptio realis Eucharistiae necessaria est vero fidelibus adultis necessitate praecepti tum divini, tum ecclesiastici. — Praeceptum *divinum* probatur ex verbis Christi: „Nisi manducaveritis carnem filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis;"[4]) — praeceptum autem *ecclesiasticum* ex Concilio Lateranensi IV. et Concilio Tridentino.[5]) Attamen sumptio Eucharistiae non est necessaria sub utraque specie, nisi pro solis sacerdotibus in actu celebrationis Missae, ut patet ex Tridentino.[6])

Urget per se:

Urget vero praeceptum Eucharistiam suscipiendi tum per se, tum per accidens:

Urget per se in sequentibus casibus:

α) in articulo vel periculo mortis;

α) In articulo vel in periculo mortis, et quidem sub gravi. Constat ex Concilio Nicaeno can. 13.; ratio est, quia nunquam major esse potest hujus cibi confortantis necessitas, quam in illo articulo, ex quo pendet ultimo aeternitas, et in quo imminet ultima lucta cum hoste, ad decernendum de tota re.[7]) Ubi notandum, quod ad recipiendum Viaticum non est necesse, nec laudabile, exspectare tempus, quando nulla amplius spes vitae subest, sed sufficit, ut adsit periculum *probabile* mortis.[8])

Hinc quisque fidelis usu rationis pollens, in periculo mortis, quod praevidet vel merito timet, e. g. in gravi morbo, ante conflictum, vel puerperium, praesertim primum, ante navigationem etc. tenetur sub mortali communicare.[9]) Ita communiter. Nec eximitur juxta sententiam probabiliorem a lege recipiendi Viatici, quicunque seu devotionis causa seu ut praeceptum paschale impleret, Corpore Domini sumpto *post paucos dies* in morbum gravem inciderit.[10]) *Potest* etiam ille pro Viatico sacram Communionem sumere, — quamquam minime tenetur, — qui eodem die, mortis periculo nondum ullatenus apparente, sacram Communionem ex devotione sumpsit atque postea in mortis periculo inopinato constituitur.[11]) Consequenter denegari nequit in tali casu panis angelicus illi, qui eodem refici desiderat. Concil. Prov. Auscitanae in Gallia a. 1851 absolute dicit: „Sacratissimo Viatico nec illi priventur, qui recenter et etiam

---

[1]) S. Alphons. L. VI. 192. [2]) 3. q. 73. a. 3. [3]) P. II. cap. 4. q. 48. [4]) Joann. VI. 54. [5]) Sess. XIII. c. 9. [6]) Sess. XXI. can. 1. [7]) Cfr. Lugo de Eucharist. disp. 16. n. 35. [8]) H. A. XV. 46. [9]) S. Alphons. VI. 291. [10]) L. c. 285. dub. 2. Cfr. Conc. Prov. Remens. a. 1849 tit. 7. cap. 3. [11]) Ita Benedict. XIV. de Syn. Lib. VII. c. 11. n. 2. Gury-Ballerin. II. 319.

eadem die communicaverint, si in periculum mortis incidant."[1]) — Verum qui jam aegritudine aliqua laborans mane ex devotione communicavit vel Missam celebravit, instante proximo mortis periculo s.s. Sacramentum per modum Viatici eodem die sumere nequit; quia deest ratio sufficiens, bis eodem die communicandi, cum mortis periculum jam existeret in illa aegritudine, quamvis ignoratum.[2])

Porro notandum est, quod sacro Viatico reficiendi sunt omnes sufficienter dispositi, qui illud reverenter suscipere possunt. Hinc praeberi potest et debet s. Communio etiam *pueris* in periculo mortis constitutis, quamvis ad s. synaxim nondum admissi fuerint, si rationis sint compotes et cibum coelestem a cibo materiali discernere valeant; quia pueri in tali periculo constituti tenentur ex praecepto divino communicare. — Dari etiam potest communio capite damnatis, et quidem etiam non jejuno danda est, si commode aliter fieri non possit.

Excepti vero sunt a lege Viatici omnes aegrotantes, qui s. Communionem sine irreverentiae periculo sumere non possunt, e. g. ob phrenesim, vel ob assiduam tussim, vel continuum vomitus periculum;[3]) item perpetuo amentes, i. e. qui nunquam ad usum rationis pervenerunt, semifatui, si non habent sufficientem discretionem, ita, ut inter panem et panem discernere non possint; delirantes, si communicare non possunt sine periculo irreverentiae erga s.s. Eucharistiam; sensibus destituti; obsessi, quando non sunt sui compotes, et epileptici, quando versantur in paroxysmo actuali. Ita s. Alphons.

β) *Saepius in vita*, et quidem jam ex *praecepto divino*, ut diximus. *Ex praecepto ecclesiastico* autem pressius determinantur hujusce obligationis *tempus* et *modus*. Praeceptum hoc datum est in Concil. Lateranensi IV. Cap. 21. „Omnis," et confirmatum in Concilio Tridentino,[4]) ubi dicitur: „Si quis negaverit, omnes fideles teneri singulis annis in paschate ad communicandum juxta praeceptum s. Matris Ecclesiae, anathema sit." β) saepius in vita. Praecept. IV. Ecclesiae.

Juxta praeceptum Ecclesiae ergo omnes fideles, qui ad annos discretionis pervenerunt, quotannis tempore paschali, in propria ecclesia parochiali Communionem sumere tenentur.

Regulariter obligatio haec (extra mortis periculum) incipit in pueris ab anno 9. vel 10., et differenda non est ultra 12. vel 14. annum. Citius obstringuntur, qui maturius sunt praeparati.[5])

Tempus paschale juxta declarationem Eugenii IV.[6]) incipit a Dominica Palmarum et determinatur Dominica in

---

[1]) Tit. 3. §. 3. n. 83. (Collect. Lacens. IV. pag. 1186.) [2]) S. Alphons. L. VI. 285. dub. 3. [3]) Cfr. Rituale. [4]) Sess. XIII. can. 9. [5]) S. Alphons. L. VI. 301. [6]) Bulla fide digna a. 1440.

Albis. Possunt tamen episcopi, vi facultatis ab Apostolica Sede concedi solitae, tempus illud plus minusve prolongare pro locorum necessitate. Ubi notandum, quod tempus paschale juxta communiorem et probabiliorem sententiam assignatum est ab Ecclesia *non ad finiendam* sed *ad urgendam* obligationem divini praecepti, quare qui in Paschate Communionem omisit, tenetur *quam primum* communicare, ex praecepto tum ecclesiastico tum divino.[1])

Praecepto huic *minime satisfit per sacrilegam Communionem,* quod constat ex propositione 55. ab Innocentio XI. damnata. Qui ergo indigne communicavit, tenetur postea satisfacere, non secus, ac qui Communionem prorsus omisit.[2])

Tandem Communio tempore paschali *in propria ecclesia parochiali sumenda est*, et si in aliena ecclesia suscipitur, a proprio pastore aut a sacerdote ex licentia saltem certo praesumpta proprii parochi vel episcopi. Eximit tamen ab hac lege tum *consuetudo,* vi cujus *sacerdotes* ubicunque *celebrare* possunt; item *peregrini, vagi* et *milites,* si non sunt in statione, nec domicilium aut quasidomicilium in civitate habent, in quacunque ecclesia communicare possunt; tum *privilegium,* vi cujus Regulares eorumque familiares in suis ecclesiis satisfacere possunt.

Urget per accidens.

Urget per accidens praeceptum Eucharistiam suscipiendi aliquando et forte etiam saepius in anno, si Eucharistia necessaria sit ad superandam aliquam gravem tentationem, vel vincendam malam consuetudinem; nam qui tenetur ad finem, tenetur etiam ad media necessaria ad finem. Hoc tamen raro eveniet, cum ad hoc sufficere possint alia remedia: orationes, poenitentiae etc., ut dicit Suarez.[3])

d) Quoad Poenitentiam.

d) ***Poenitentia.*** Fide certum est, hoc Sacramentum omnibus post Baptismum in peccatum *mortale* lapsis esse necessarium *necessitate medii,* in re vel saltem in voto. Sic enim Concilium Tridentinum[4]) edixit: „Est autem hoc Sacramentum Poenitentiae lapsis post Baptismum necessarium, ut nondum regeneratis ipse Baptismus.“ Pars essentialis Sacramenti Poenitentiae est *confessio sacramentalis*, et haec quoque necessaria est *necessitate medii* in re vel in voto, omnibus post Baptismum graviter lapsis, et quidem ex *jure divino.* Porro confessio sacramentalis necessaria est etiam de *jure ecclesiastico.*

Praeceptum divinum confessionis obligat omnes, qui peccato mortali se maculaverunt; et obligat tum *per se,* tum *per accidens.*

Obligat per se:

Obligat per se:

α) in mortis articulo et in gravi vitae periculo;

α) In mortis articulo et in gravi vitae periculo vel probabili non amplius confitendi. Unde tenentur confiteri, qui graviter decumbunt vel habent signa imminentis mortis natu-

---

[1]) S. Alphons. L. VI. 297. [2]) S. Alph. l. c. 294. [3]) Plura vide apud Marc P. III. 1563.—1574.; item Müller III. §. 98. Lehmkuhl P. II. Lib. I. 143.—159. Reiffenstuel tr. 10. dist. 3. q. 3. et 4. [4]) Sess. XIV. cap. 2.

ralis, mulieres tenerae primum pariturae, vel quae solent habere partus difficiles, damnati poena capitali, ingredientes periculosam navigationem vel conflictum.

β) *Saepius in vita,* videlicet saltem semel in anno, ut infra dicetur. Praeterea hoc praeceptum obligare potest peccatorem mortalem etiam infra annum ad confessionem, si non perfecte conteratur, ne videlicet diu maneat in statu peccati mortalis. Ita s. Alphonsus.[1]) β) saepius in vita.

Obligat per accidens: Obligat per accidens:

α) Quando recipienda est Eucharistia, si eam sumpturus versetur in peccato mortali.

β) Quando requiritur status gratiae e. g. ad Sacramenta administranda vel recipienda, quae dicuntur vivorum, nec elici potest actus contritionis perfectae.

γ) Si urget gravis tentatio, quae alias superari nequeat, vel confessio omnino necessaria judicatur ad relapsum praecavendum.

δ) Quando haereticus in sinum Ecclesiae catholicae rediit.

ε) Si infra annum peccato mortali inquinatus non conteratur; id postulat caritas erga semetipsum.

ζ) Quando necessarium est ratione scandali vitandi; qui enim nullius peccati mortalis sibi conscius est, *per se* ne in articulo quidem mortis tenetur ad confessionem; posset tamen teneri *per accidens* scilicet ratione scandali.

Praeceptum ecclesiasticum obligat omnes fideles adultos ad confessionem sacramentalem saltem semel in anno. Lex de confessione annua constituta est anno 1215 in Concilio Lateran. IV. can. 21. his verbis: „Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio sacerdoti, et injunctam sibi poenitentiam propriis viribus studeat adimplere . . . alioquin vivens ab ingressu Ecclesiae arceatur, et moriens christiana careat sepultura.“ Et Concilium Tridentinum[2]) eum anathemate percutit, qui dixerit, ad confessionem non teneri „omnes et singulos utriusque sexus Christi fideles juxta magni Concilii Laterani constitutionem semel in anno.“

Ad hoc praeceptum rite intelligendum sequentia sunt notanda: dicitur scilicet:

α) *„Omnis fidelis“;* i. e. omnis baptizatus, etsi haereticus vel apostata, nisi eos impotentia excuset.[3])

β) *„Postquam ad annos“* etc. intelligitur, qui ad Dei cognitionem pervenit, saltem crasso modo, et aeternam sibi poenam per peccatum mortale promeruit. Quare pueri hoc praecepto tenentur etiam ante septennium, si usum rationis jam adepti, graviter peccaverunt. In dubio absolvantur sub conditione,

---

[1]) Lib. VI. 663. Cfr. Catech. Rom. P. II. cap. 5. q. 53. Concil. Prov. Westmonasteriens. a. 1852. Decret. XIX. n. 4. [2]) Sess. XIV. can. 8. [3]) H. A. XII. 35.

ne forte in mortali remaneant. Errant ergo graviter confessarii, qui sibi commissos pueros nunquam ante primam Communionem absolvunt. Periculosum hunc usum alicubi vigentem aperte reprobavit Pius Papa IX.[1])

γ) „*Omnia sua peccata*“, nempe *mortalia*, quia Ecclesia praecipiendo confessionem, praecipit eam, quae facienda est juxta Christi institutionem; Christus autem non praecipit, nisi confessionem mortalium. Attamen recte et utiliter etiam venialia in confessione dicuntur.[2]) — Hinc communiter cum s. Alphonso docent, eum, qui mortaliter per annum non peccavit, stricte non teneri ad confessionem; etenim Ecclesia suo praecepto determinavit solum quoad tempus confessionis peragendae praeceptum divinum, quod non obligat ad confessionem venialium.[3]) Ita in theoria; in praxi tamen omnes fideles urgendi sunt, ut saltem semel in anno confiteantur.

Ille, qui initio anni tantum venialia confessus est, et postea labitur in mortale, tenetur denuo confiteri, quia praeceptum est, confiteri peccata mortalia, obligans per integrum annum.[4])

δ) „*Semel in anno*“; hic annus proprie deberet incipere a Januario et terminari in Decembri; sed juxta communem consuetudinem accipitur a Paschate ad Pascha.[5]) Qui praecepto annuae confessionis quacunque de causa non satisfecit, tenetur *quamprimum* confiteri; quia terminus appositus est *non ad finiendam*, sed *ad urgendam* obligationem, quod jam ex verbis „semel *saltem* in anno“, conjicere licet. Proinde confessionem differens juxta sententiam probabilem toties peccat graviter, quoties oblatam occasionem confitendi culpabiliter praetermittit;[6]) sed et contraria sententia, dicens in hoc casu unum tantum esse peccatum, non caret sua probabilitate. — Ceterum si quis uno anno confiteri omisit, sive culpabiliter sive inculpabiliter, quando postea omnia sua peccata confitetur, utriusque anni praecepto satisfacit, saltem si etiam anno currente peccatum mortale quod simul confiteatur contraxerit. Secus si tantum peccata venialia habeat, et post confessionem in peccatum mortale inciderit, quo casu denuo confiteri debet.[7])

ε) „*Fideliter confiteatur*“, dicit Tridentinum; quocirca non satisfit huic praecepto per confessionem invalidam, et tanto minus sacrilegam, quod ultro confirmatur ex propositione 54. ab Alexandro VII. damnata: „Qui facit confessionem voluntarie nullam, satisfacit praecepto“.[8]) — Nec satisfit, ut recte advertit Gousset,[9]) per confessionem, in qua non datur abso-

---

[1]) Cfr. Analecta J. P. series 9. pag. 1008. Cfr. etiam s. Alph. L. VI. 432. et 666. [2]) Cfr. Concil. Trid. Sess. XIV. cap. 5. de poenitentia. [3]) S. Alphons. L. VI. 667. [4]) S. Alphons. l. c. 669. [5]) S. Alph. H. A. XII. 35. L. VI. 662. [6]) S. Alphons. H. A. XII. 36. [7]) S. Alph. L. VI. 669. H. A. XII. 37. [8]) H. A. XII. 35. L. VI. 672. [9]) Theol. Moral. II. 414.

lutio; quia reconciliatio cum Deo praecipitur, non autem sola peccatorum accusatio.

ζ) *„Proprio sacerdoti"*, scilicet *cuilibet sacerdoti approbato* ad confessiones audiendas, utpote ad quem ex licentia *proprii* sacerdotis, i. e. sive episcopi, sive Papae, diriguntur fideles pro suo libitu et electione, quare parocho confitendi obligatio nulla amplius existit.[1] Unde parochus, qui ut sibi parochiani confiterentur, obligare vellet, graviter erraret et peccaret, quum indiscreto zelo vel aemulatione sacrilegarum confessionum ansam praeberet.[2]

e) ***Extrema Unctio.*** Hoc Sacramentum, uti omnes dicunt, non est necessarium necessitate medii. *An vero ejusdem susceptio necessaria sit necessitate praecepti, controvertitur.* Sententia longe communior cum divo Thoma[3] et sancto Alphonso[4] negat, *per se* existere obligationem gravem suscipiendi hoc Sacramentum; esse tamen, si suscipi possit, ejus neglectum peccatum *veniale*, eo, quod homo sine causa sese privet subsidio a Christo Domino specialiter instituto contra spiritualem necessitatem tum temporis maxime urgentem. e) Quoad s. Unctionem.

Per accidens tamen obligatio Extremae Unctionis suscipiendae etiam *gravis* evadere potest, sive propter spirituale aegroti periculum, scandalumve aliorum, sive propter Sacramenti contemptum. Censetur vero contemptus formalis hujus Sacramenti, et proinde grave peccatum, cum infirmus illud recusat, quia parvipendet s. Unctionem; non vero cum recusat ex aliqua repugnantia vel ignorantia. — Praedicta confirmantur Bulla Martini V., ubi dicitur: „Hoc Sacramentum neque negligi sine culpa, nec contemni posse sine peccato mortali." Unde videtur Pontifex satis expressisse, ait s. Alphonsus,[5] quod contemptus hujus Sacramenti gravem culpam importet, negligentia vero non plus, quam levem.[6]

f) ***Quoad Sacramenta Ordinis et Matrimonii*** per se loquendo nulla existit obligatio, illa suscipiendi. Per accidens tamen ille certe ad Ordinem suscipiendum obligatus est, qui se ad sacerdotium vocatum sentit tamquam Aaron; quilibet etenim illum statum eligere tenetur, ad quem a Deo destinatus est. f) Quoad Ordinem et Matrimonium.

Similiter per accidens illis matrimonium quodammodo necessarium est, ut salvi fiant, qui innupti propter specialem labilitatem et miseriam ex consuetudine contractam caste vivere nequeunt. Unde hujusmodi miseris saepe saepius inculcandum ac consulendum est, ut matrimonium ineant, et sic saluti animae provideant; nam „melius est nubere, quam uri".

---

[1]) Cfr. Benedict. XIV. de Synod. dioec. Lib. XI. cap. 14. n. 1.—5. [2]) Cfr. Lehmkuhl P. I. L. II. 1205. [3]) In IV. dist. 23. q. 1. a. 1. q. 3. sol. 3. [4]) L. VI. 733. [5]) L. VI. 733. et H. A. XVII. 12. [6]) Juxta Const. Apost. Sed. Religiosis administratio Viatici vel extremae Unctionis sine licentia parochi extra casum necessitatis, sub excommunicatione prohibita est.

B. Actus Religionis extraordinarii.

Actus Religionis extraordinarii sunt potissimum sequentes: *professio fidei, adjuratio, juramentum* et *votum*. Cum de professione fidei jam alio loco tractatum est, hic solum de tribus ultimis actibus agendum venit. — Isti actus indirecte per secundum Decalogi praeceptum imperantur, ut iisdem divino Nomini debitus honor tribuatur ac reverentia. Et revera, divinum Nomen certe honoratur per *adjurationem*, hac enim divini Nominis potentiam profitemur; item per *juramentum*, jurando enim profitemur, Deum esse primam veritatem; similiter per *votum*, quia vovendo profitemur, Deum esse omni servitio dignissimum.

§. 14. Adjuratio.

I. Notio adjurationis.

I. ***Notio adjurationis.*** *Adjuratio est invocatio Dei aut Sanctorum ad adducendum aliquem ad aliquid.* Ita s. Thomas.[1]) — Adjurare scilicet in genere est invocare nomen Dei, Sanctorum vel alicujus personae excellentis, ob cujus reverentiam vel timorem alter inducatur ad aliquid agendum. Uti per se patet, adjuratio, quae fit per invocationem hominis, e. g. „obtestor te per amorem patris tui“, non est actus religionis, et huc non pertinet.

Adjuratio fieri potest aut *deprecative* aut *imperative*, prout fit precibus vel imperio; aut *solemniter* aut *privatim*, prout fit solemnitatibus ab Ecclesia praescriptis, vel hujusmodi solemnitatibus destituitur; aut *directe* vel *indirecte*, prout fit vel invocando Deum in se, vel invocando creaturam, quae specialem cum Deo relationem habet, atque Deum in illa et per illam invocando.

II. Principia quoad adjurationem: 1. Adjuratio est actus religionis.

II. ***Principia.*** His praemissis quoad adjurationem potissimum haec sunt notanda:

1. *Adjuratio, quae fit per Deum, sive directe sive indirecte, est actus religionis* — actus latriae — scilicet professio divinae excellentiae, quae apta sit ad quemlibet ex reverentia vel timore promovendum ad aliquid agendum vel omittendum. — Habet aliquam similitudinem cum juramento, sed differt ab eo in hoc, quod Deus non inducitur, ut ejus auctoritate assertio vel promissio quaedam confirmetur, sed ut ejus reverentia, timore vel amore alius promoveatur ad aliquid faciendum vel omittendum. Si quis autem per B. V. Mariam vel per Sanctos adjurat sistendo in ipsis, actum hyperduliae aut duliae facit.[2])

2. Conditiones ad adjurationem requisitae.

2. *Adjuratio, utl icita sit, debet fieri ut juramentum, in veritate, in justitia et in judicio. Veritas* sumitur, partim ut fiat per *verum* Deum; cujus conditionis defectus utique mortalis est; partim ut adjurans *verum dicat*, quando alterum ad aliquid inducit; cujus conditionis defectus plerumque venialis est, ut si quis fingens se pauperiorem — modo ne hoc juramento confirmet — alterum

---

[1]) 2. 2. q. 90. a. 1. [2]) Cfr. s. Thom. 2. 2. q. 90. a. 1.

obsecrando et adjurando inducit, ut sibi eleemosyna parva detur. — *Justitia* intelligitur, ut ad rem honestam adjurans tentet inducere; ex cujus defectu certe graviter peccat rem petens graviter malam; imo juxta sententiam probabiliorem etiam graviter peccat petens rem solum leviter malam, quia etiam hoc casu sat gravis irreverentia Deo irrogari censetur. — *Judicium* intelligitur, ut sit res alicujus momenti, in qua adjuratio adhibeatur; cujus conditionis defectus per se venialis est.[1])

3. Quis directe adjurari possit.

3. Directe adjurari possunt: Deus, sed *deprecative tantum,* vel per seipsum (per bonitatem, misericordiam etc.) vel per merita Christi, vel per intercessionem B. V. M. et Sanctorum. Sed quia Deum non possumus inducere ad aliquid nobis praestandum, nisi humiliter ab ipso deprecando, adjuratio Dei non est proprie adjuratio, sed est potius quaedam orationis pars, et *obsecratio* appellatur. S. Thomas. Porro *B. V. M., Angeli et Sancti Dei* item *deprecative* tantum, dum eos exoramus, ut nobis subveniant propter Deum, e. g. quia sanguine Christi sumus redempti. Item *homines viatores,* sive *deprecative,* puta si subditus adjurat superiorem, amicus amicum, pauper divitem etc.; sive *imperative,* quando adjurans habet aliquam potestatem super adjuratum; hoc adjurandi modo injuste, improbe et temere usus est Caiphas, cum ad Christum dixit: „Adjuro te per Deum vivum!“ — et tandem *daemones,* sed tantum *imperative,* nimirum per virtutem divini Nominis eos repellendo et cohibendo, ne nobis noceant corporaliter vel spiritualiter. Non tamen licitum est, ait s. Thomas, eos adjurare ad aliquid ab eis discendum, vel aliquid per eos obtinendum, quia hoc pertinet ad aliquam societatem cum ipsis habendam.

4. Quis indirecte adjurari possit.

4. Indirecte adjurari possunt creaturae irrationales, e. g. aqua, sal etc.; et quidem *deprecative relate ad Deum* vel *Sanctos,* eos nempe exorando, ut illos, qui hujusmodi rebus utuntur, quocunque modo adjuvare velint; vel *imperative relate ad daemonem,* scilicet eum per virtutem Christi compellendo, ut per illas creaturas nobis nocere desistat. His modis exorcizantur aqua, sal, domus nova, locustae, mures, grandines, nubes, tempestates etc. sicut fert communis Ecclesiae usus.[2])

5. Adjuratio solemnis.

5. Adjuratio solemnis in daemonem solis Ecclesiae ministris licita est; unde etiam Exorcistae in collatione hujus Ordinis ab Ecclesia appellantur „spirituales imperatores ad ejiciendos daemones de corporibus obsessis, cum omni nequitia eorum multiformi“. Et quidem adjuratio solemnis illis tantum Ecclesiae ministris licita est, quibus ab episcopo expresse permittitur; ceteris autem in praesenti Ecclesiae disciplina sub gravi prohibetur. Imo in multis locis poena suspensionis statuta est in clericos, qui sine debita episcopi licentia exorcismos facere praesumant, ne videlicet sine discretione necessaria procedatur in re tam gravi, atque scandalum et contemptus Ecclesiae inde exoriatur.[3])

---

[1]) S. Alph. L. III. 193. 2°. [2]) Cfr. s. Alph. III. 193. 3°. [3]) Cfr. Conc. Prov. Viennens. a. 1858. tit. 4. cap. 10.

6. Adjuratio privata.

6. Adjuratio privata daemonis omnibus licita est, et praesertim Ecclesiae ministris; neque ad eam requiritur specialis licentia episcopi; sit tamen et haec adjuratio vestita debitis conditionibus supra relatis. Quid vero exorcista in adjuratione diaboli observare debeat, quaeque sint signa verae possessionis necnon daemonis egressus, videndum est in Rituali Romano.[1])

Ultimo notandum est, quod exorcismus privatus praesertim a confessario fructuose adhiberi potest super poenitentes, quos daemon extraordinariis divexat tentationibus; s. Alphonsus sequentem formulam super tales recitandam suadet: „Ego, ut Dei minister, praecipio tibi, aut vobis, spiritus immundi, ut recedatis ab hac creatura Dei“. Venerabilis servus Dei Vincentius Pallota exorcismo etiam privato utebatur, cum adverteret, poenitentes de peccatis non dolere, vel peccatum quodpiam reticere; atque illius usum etiam commendabat confessariis, subjungens, exorcismum magna cum fiducia et humilitate esse adhibendum.[2])

§. 15. Juramentum.

I. Notio et divisio juramenti.

I. ***Notio et divisio juramenti.*** *Juramentum est invocatio Dei in testem veritatis. Finis et effectus juramenti* est ergo confirmatio veritatis, testante Apostolo: „Omnis controversiae finis (inter homines) ad confirmationem est juramentum“.[3])

Divisio juram.

Distinguitur multiplex juramentum, et quidem:

1. Ex parte rei: uramentum assertorium et promissorium.

1. Ex parte materiae seu rei, quae confirmatur: juramentum assertorium et *promissorium; prius* est, quando divinum testimonium invocatur ad asserendum aliquid ceu verum e. g. testor Deum, me tenere catholicam fidem; *posterius* est, quando inducitur divinum testimonium ad confirmandum aliquid futurum juranti proprium, e. g. testor Deum, me non amplius lusurum. Et hoc juramentum duplex est:

a) Juramentum promissorium simplex et per se stans, quo quis jurat, se aliquid facturum vel omissurum absque promissione aut pacto erga alterum, e. g. juro, me hodie jejunaturum. Huc pertinet etiam *juramentum comminatorium*, quo quis sub attestatione divini Nominis comminatur alteri poenam, e. g. testor Deum, quod te puniam, si hoc vel illud iterum facies.

b) Juramentum promissorium confirmatorium promissionis alteri factae et acceptatae, et est triplex:

α) confirmatorium promissionis Deo factae, et dicitur *votum juratum*, et inducit *duplicem obligationem;*

β) confirmatorium promissionis homini factae, et dicitur *pactum juratum;* inducit etiam *duplicem obligationem;*

γ) confirmatorium promissionis Deo et homini factae, et dicitur *votum cum pacto juratum*, et continet *triplicem obligationem.*

---

[1]) Cfr. etiam Olfers, Pastoralmedizin, pag. 128.—145. [2]) Cfr. Müller II. §. 62. [3]) Hebr. VI. 16.

2. *Ex parte modi jurandi* distinguitur *juramentum contestatorium* et *execratorium*, prout fit vel per simplicem Dei *contestationem*, dicendo e. g.: Sit mihi Deus testis! vel *per execrationem*, dum scilicet aliquis se, vel aliquid ad se pertinens, ad poenam obligat, nisi sit verum, quod dicit, ut e. g.: Deus me damnet, nisi verum sit, quod dico.

2. Ex parte modi jurandi: juram. contestatorium et execratorium.

3. *Ex parte illius, per quem juratur*, distinguitur *juramentum explicitum* et *implicitum;* prout fit vel expresse *per ipsum Deum*, ut e. g.: Deus sit mihi testis! vel *per creaturas*, quatenus in eis relucet divinitas seu veritas divina, ut e. g. juro per Angelum meum custodem, vel per sanctum Petrum; per coelum etc.

3. Ex parte illius, per quem juratur: juram. explicitum et implicitum.

4. *Ex parte notabilis circumstantiae*, distinguitur *juramentum privatum* seu *simplex*, et *solemne*, prout fit forma jure requisita et caeremoniis solemnibus, ut coram judice, Notario, testibus, tactis Evangelii; aut his caeremoniis exclusis. — *Juramentum solemne est* vel *verbale*, quod fit per verba; vel *reale*, quod fit per nutus aut signa tantum, e. g. tangendo crucem vel Evangelium, digitos elevando; vel *mixtum*, i. e. verbale et reale simul, quod dicitur etiam in jure *corporale;* vel *extrajudiciale*, quod fit extra judicium; vel *judiciale*, si fit in judicio.

4. Ex parte notabilis circumstantiae: juram privatum et solemne.

II. ***Liceitas juramenti.*** Hanc negabant Messalani, Apostolici, Albigenses, Pelagiani, Waldenses et Anabaptistae. *At doctrina catholica de fide tenenda docet, licitum esse jurare, sive per Deum, sive per creaturas, si juramentum debitis vestitum est conditionibus.* S. Augustinus dicit: „Invenimus jurasse Sanctos, jurasse primitus ipsum Dominum, in quo non est omnino peccatum; non ergo est peccatum jurare“.[1]) Hinc etiam Concilium Constantiense errorem Wicleffi: „Illicita sunt juramenta, quae fiunt ad corroborandos humanos contractus et commercia civilia,“ ut haereticum damnavit.[2])

II. Liceitas juramenti.

Sed quamvis juramentum secundum se sit bonum et virtuosum, non tamen per se est appetendum, nec frequentandum citra necessitatem. Nam primarius juramenti finis non respicit cultum Dei, sed fidem faciendam, corrigendumque vitium incredulitatis et infidelitatis inter homines.

Licet ergo juramentum non est malum, est tamen „a malo“, quia supponit infirmitatem tum ex parte ejus, qui jurat, tum ex parte illius, cui juratur. Et ideo ait s. Thomas:[3]) „Juramentum est habendum non inter ea, quae sunt per se appetenda, sed inter ea, quae sunt huic vitae necessaria“, sicut medicina, qua non habitualiter, sed raro et caute utendum est.

Ex hisce sequitur, juramentum, ut licitum sit, semper etiam debitis conditionibus vestitum esse debere, praeterquam, quod nemo eo utatur, nisi *ex gravi necessitate.*

III. ***Requisita ad validitatem juramenti.*** Ad verum ac validum juramentum duo requiruntur: *intentio jurandi* et *formula juratoria.*

III Requisita ad validitatem juramenti.

---

[1]) Serm. 180. [2]) Sess. VIII. [3]) 2. 2. q. 89. a. 5.

1. Intentio jurandi.

1. ***Intentio jurandi*** saltem *virtualis;* quia sine tali intentione non est volitum juramentum, ergo nec validum coram Deo.[1]) Et quidem validitas juramenti ita ab intentione jurantis pendet, ut per eam verba ex se ambigua vera juramenta reddantur, imo, ut, licet verba per se apta non sint, in dijudicandis peccatis *commissis* ipsa intentio prorsus respici debeat.[2]) Hinc colliges:

a) Qui positive non vult invocare Deum in testem, quaecumque verba etiam juratoria proferat, non vere jurat; similiter qui negative se habens, vel ignorans vel inadvertens praescindit ab invocatione Dei, etiam non jurat. Unde *non valet juramentum promissorium ficte emissum,* seu *mere externum;* peccat vero sic jurans, sed probabilius venialiter tantum; *nec valet, probabilius saltem, juramentum praestitum cum animo quidem jurandi, sed non se obligandi,* quia hoc nugatorium est. *Econtra valet vero juramentum emissum cum animo jurandi et se obligandi, sed non implendi;* hoc quidem perjurium est.

b) Si de ipsa intentione dubitatur, eruenda erit ex circumstantiis et maxime ex verbis juramento adhibitis, ita ut si jurans verba explicite juratoria adhibuerit, censendus sit voluisse jurare; si formula ambigua usus sit, casus juxta regulas de conscientia dubia solvendus est.

2. Formula juratoria.

2. ***Formula juratoria,*** i. e. formula jurandi per Deum sive *explicite* sive *implicite, saltem pro foro externo.* Ubi notandum:

a) Formula explicita.

a) Explicita est invocatio, quoties Deus, vel ejus attributa, veritas, fidelitas, misericordia, justitia etc. ad fidem faciendam in medium proferuntur; uti e. g.: *„Deum attestor, contestor"; „testis sit mihi Deus"; „juro per Deum", „per Christum", „per veritatem Dei", „per fidem Dei," „per misericordiam Dei"* etc.

b) Formula implicita.

b) Implicita est invocatio, si fit per nobiliores creaturas, in quibus perfectiones divinae singulariter relucent; ut si quis dicat: juro per B. V. Mariam, per Angelos, per Sanctos, per Ecclesiam, per Altare, per Sacramenta, per Evangelia, per crucem, per coelum, per animam meam etc. — Econtra non est jurare dicere: per fidem meam (bei meiner Treue), per meam conscientiam, per fidem sacerdotalem, regalem, militarem etc.[3])

IV. Requisita ad liceitatem juramenti.

IV. ***Requisita ad liceitatem juramenti.*** *Juramentum, ut honestum licitumque sit, fieri debet: in veritate, judicio et justitia;* constat ex verbis Jeremiae Prophetae:[4]) „Jurabis: vivit Dominus, in veritate, et in judicio et in justitia". Unde s. Hieronymus dicit: „Animadvertendum est, quod jusjurandum hos habet comites: veritatem, judicium et justitiam."[5]) — Requiritur ergo:

1. Veritas.

1. ***Veritas,*** eaque *subjectiva,* i. e. *conformitas assertionis cum cognitione et intentione jurantis.* Excludit igitur omne mendacium, non vero omnem errorem.

---

[1]) S. Alph. L. III. 134. [2]) Cfr. Wirthmüller cap. 5. §. 43. [3]) Cfr. plur. form. apud s. Alph., Billuart, Lehmkuhl in tract. de juram. [4]) Jerem. IV. 2. [5]) Cfr. Catech. Rom. P. III. cap. 3.

Ex parte rei juratae veritas sufficiens ad juramentum licitum habetur, si res jurata se habeat *juxta communem et humanam* intelligentiam, sicut juratur; ut e. g. qui jurat, se toto anni tempore quotidie celebrasse, licite jurat et verum, etsi una alterave vice non celebravit.

Ex parte jurantis extrajudicialiter requiritur *certitudo moralis* de veritate rei juratae. *Ad jurandum vero judicialiter* requiritur *notitia experimentalis, sive per visum,* si agatur de facto, *sive per auditum,* si agatur de verbis.

Veritas excludit etiam *fictionem in jurando.* Deficiente veritate in jurando, juramentum falsum, seu mendacium juramento firmatum resultat, quod *perjurium* in sensu stricto dicitur; *est peccatum mortale ex toto genere suo,* quia tali juramento Deo semper gravis irreverentia irrogatur etiam in materia levi. Unde damnata est ab Innocentio XI. propositio n. 24.: „Vocare Deum in testem mendacii levis non est tanta irreverentia, propter quam velit aut possit damnare hominem."

Committitur ergo perjurium:

Perjurium committitur:

a) *Jurando aliquid falsum;* quod est semper grave peccatum; peccat etiam graviter, qui ab altero exigit juramentum, sciens eum esse pejeraturum, nisi justa causa et necessitas excuset, vel nisi exigens sit persona publica, e. g. judex.

a) jurando aliquid falsum;

b) *Jurando cum restrictione pure mentali;* quod itidem semper est grave, ut etiam patet ex propositionibus 26., 27. et 28. ab Innocentio XI. damnatis.

b) jurando cum restrictione pure mentali;

Non est tamen perjurium et nullo modo illicitum, jurare cum restrictione late mentali, gravi urgente causa, prout definivit Innocentius XI. Ratio, quia, ut suo loco dicetur, generatim licitum est, uti restrictione late mentali ex justa causa; hinc idem licet etiam in juramento, cum hac tamen differentia, quod propter reverentiam divini Nominis major adhuc causa requiratur ad jurandum, quam ad simpliciter asserendum vel negandum.

Si desit justa causa, jurare cum tali tergiversatione, licet non sit perjurium, est tamen illicitum et *per se* veniale peccatum; *per accidens vero mortale erit,* nempe: *si inde auditores in aliquod grave damnum inciderent;* vel *si contractus mutui celebrantur;* et *si juramentum fit in judicio, i. e. quando judex vel superior communitatis in rebus sui officii legitime interrogant.* — Juxta sententiam satis probabilem tamen reus, etiam legitime interrogatus, uti potest restrictione late mentali, si ei immineat poena gravissima, e. g. mortis, perpetui carceris etc. Ita Lugo, s. Alphonsus et alii.

c) *Jurando aliquid probabile tantum ut certum,* quia Deus non potest invocari nisi in testimonium rei certae. Est mortale. Certum tantum ut certum jurari potest; probabile ut probabile, et dubium ut dubium.

c) jurando ut certum, quod est tantum probabile;

d) *Jurando promissorie sine animo promissum praestandi;* est semper mortale.

d) jurando promissorie sine animo promissum praest.;

e) juramentum non servando.

e) Jurando quidem cum veritate, sed postea juramentum non servando. Est ex genere suo mortale, admittit tamen parvitatem materiae, uti si quis ex eo, quod juravit, tantummodo parum aliquid non servat. — Modo tamen in hoc casu jurans tempore, quo juravit, intentionem habuit, juramentum implendi.[1]) *Nota:* Perjurium in pluribus Dioecesibus est casus reservatus.

2. Judicium.

2. ***Judicium:*** i. e. *discretio seu rationabilis causa jurandi.* Talis autem causa est *necessitas* vel *utilitas notabilis.* Hinc merito juramentum exigitur ab eis, qui in aliquam communitatem, e. g. Collegium recipiuntur, ut statutis observandis sedulo incumbant; itemque ab eis, qui aliquo publico officio vel ministerio donantur, ut Episcopi, Canonici, Beneficiati, testes, milites etc. Sententia contraria Quesnelli et Synodi Pistoriensis damnata est a Clemente XI.[2]) et Pio VI.[3]) — Nec illicitum est jurare ad roborandos humanos contractus, quocirca propositio Wicleffi, contrarium asserens, a Concilio Constantiensi damnata est.

Hinc peccat, qui jurat sine causa sufficienti, sed *per se* venialiter tantum, ut fert sententia communis, quia sic jurans affirmando rem veram, vel promittendo id, cujus implendi animum habet, non videtur cum gravi deordinatione nomen Dei invocare. — *Per accidens* tamen potest esse mortale, si adsit scandalum aut periculum perjurii; quod periculum communiter incurritur ab iis, qui jurare assueti sunt sine attentione, sintne vera an falsa, quae jurare solent; quibus propterea gravis instat obligatio consuetudinem deponendi.[4])

3. Justitia.

3. ***Justitia.*** Haec in juramento *assertorio* exigit, ut jurans habeat jus asserendi id, quod dicit; et in juramento *promissorio,* ut res promissa sit justa, honesta et licita.

Defectus justitiae in juramento assertorio, si actus in se, juramento confirmatus, venialiter solum malus est, neque veritas deest, censetur malitia contra religionem solum venialis. Imo si actio in se graviter quidem mala est, juramentum autem non promovet finem graviter malum, ut si quis jactando se de peccato gravi juramentum adjungit, nec tale juramentum juxta s. Alphonsum[5]) et alios videtur grave peccatum; secus si quis juramento utitur ad peccaminosam illam actionem promovendam, efficaciorem reddendam; quia divina auctoritate abutitur ad promovendum finem mortaliter malum; uti e. g. si quis detractionem graviter malam juramento confirmat et sic promovet.

Defectus justitiae in juramento promissorio est certe grave peccatum, si malum, volitum grave fuerit, e. g. si quis juramento promittit puellam seducere. Imo juxta sententiam probabiliorem, quam tenet s. Alphonsus, idem valet, si quis jurat se facturum rem quantumvis leviter malam, quia etiam hoc gravis injuria Deo videtur inferri. Contradicunt tamen alii, ut Suarez, Collet, Reiffenstuel, Voit etc.[6])

---

[1]) Cfr. Linzer Quartalschrift, 1888 pag. 24 sqq. [2]) In Bulla „Unigenitus". [3]) In Bulla „Auctorem fidei". [4]) S. Alph. L. III. 145. [5]) L. c. 146. [6]) Cfr. Linzer Quartalschrift, 1888 pag. 292 sqq.

V. ***Obligatio juramenti promissorii.*** *Juramentum promissorium debitis vestitum conditionibus obligat sub peccato mortali ex genere suo; admittit tamen probabiliter parvitatem materiae,* ita, ut in re levi non nisi sub veniali obliget. Prima pars est communis; secunda vero maxime controvertitur; alii negant, alii affirmant; s. Alphonsus[1]) utramque sententiam dicit valde probabilem, affirmantem vero levem obligationem in re levi dicit forte probabiliorem; eandem tenet etiam s. Thomas.[2]) V. Obligatio juram. promissorii.

Ut vero juramentum promissorium inducat relatam obligationem, tam ex parte jurantis, quam ex parte materiae juratae variae conditiones requiruntur:

1. ***Ex parte jurantis requiritur,*** *quod juramentum fiat:* 1. Requisita ad obligationem. 1. Ex parte jurantis: a) Deliberatio perfecta.

a) *Cum deliberatione perfecta,* qualis requiritur ad actum perfecte moralem. Validum tamen est et obligat etiam juramentum metu gravi et injusto extortum, ut communissime docent cum s. Thoma;[3]) ille tamen, qui metum passus est, potest juramenti relaxationem ab episcopo (vel confessario Mendicantium) petere, vel occulte se compensare.[4]) *Excipiuntur tamen juramenta metu extorta super professione religiosa, matrimonio, sponsalibus, renuntiatione fori ecclesiastici;* haec enim a jure nulla et irrita declarantur ob bonum commune.[5])

b) *Quod non fiat ex ignorantia circa substantiam vel accidentia notabilia.* Hinc non obligat juramentum promissorium errore aut dolo emissum, si error aut dolus versetur circa rei substantiam, vel circumstantias essentiales, vel alias circumstantias notabiles, quibus praecognitis juramentum non esset praestitum. Secus vero si error vel dolus tantum circa circumstantias accidentales versetur;[6]) sic e. g. si annulum te daturum alteri jures, putans esse ferreum, cum sit aureus, non obligaris juramento. b) Cognitio perfecta.

c) *Quod fiat cum intentione jurandi;* non tamen necesse est, ut etiam fiat cum intentione se obligandi, nec a fortiori cum intentione adimplendi juramentum. Ille tamen, qui jurat cum intentione jurandi, sed posita intentione expressa se non obligandi, juxta sententiam probabiliorem et communem non tenetur ad servandum juramentum, quia hujusmodi juramentum probabilius non est verum juramentum. Ita s. Alphonsus contra alios, oppositum tenentes. c) Intentio jurandi.

2. ***Ex parte materiae juratae requiritur,*** *ut materia seu res jurata sit honesta;* juramentum enim quodlibet fieri debet, ut Deo gratum acceptumque existat. Unde sequitur: 2. Ex parte materiae juratae: ut res jurata sit honesta.

a) *Omne juramentum, quodcunque sit de re sive mortaliter sive venialiter mala, est invalidum, et non obligat;* imo sic jurans et peccat jurando et peccat juramentum implendo; nam „juramentum non fuit institutum, ut esset vinculum iniquitatis“, dicit regula juris. — Sed hic advertendum, aliud esse

---

[1]) L. III. 173. H. A. V. 13. [2]) 2. 2. q. 80. a. 8. [3]) 2. 2. q. 89. a. 7. ad 3. q. 98 a. 3. ad 1. [4]) S. Alph. 174. et 717. Laymann Lib IV. tr. 3. c. 7. a. 2. [5]) S. Alph. 177. [6]) S. Alph. 175. et 187.

juramentum illicitum, et aliud *juramentum de re illicita;* potest enim juramentum esse illicitum ex parte actus jurandi, de re tamen licita, adeoque validum et obligatorium; e. g. si blasphemando jurasti jejunare, peccasti quidem jurando, juramento tamen teneris.

b) *Juramentum confirmatorium promissionis Deo factae, aut per se stans, solius honoris Dei intuitu praestitum, debet esse de bono meliori;* quia tale juramentum aequivalet voto; unde e. g. non valet juramentum de religione non profitenda.

c) *Juramentum per se stans de re indifferenti qua tali, quod neque in honorem Dei, neque in utilitatem proximi praestatur, ita ut ex nullo honesto fine evadat moraliter bonum, est invalidum;* ut e. g. si vel ex indignatione vel ex levitate juras, te non ambulaturum; est actio otiosa.

Ubi notandum:

α) *Juramentum, quod fuit ab initio de re bona et licita, adeoque validum, si vergat in deteriorem exitum, aut desinat in rem indifferentem, tunc cessat obligare;* sic e. g. juramentum Herodis poterat esse ab initio licitum, intellecta debita conditione, scilicet si puella peteret, quod dare liceret.

β) *Econtra juramentum de re inhonesta vel inutili non convalescit, etsi talis res postea fiat honesta et salubris;* nam juxta regulam juris „non firmatur tractu temporis, quod initio non subsistit". Ita communiter et probabilius. Sic e. g. qui contra fidem primorum sponsalium secunda sponsalia juramento contraxit, priore sponsa ante nuptias mortua, non tenetur ad secunda sponsalia, quippe quae promissionem et juramentum de re illicita continebant, adeoque ab initio erant invalida.

d) *Juramentum confirmatorium promissionis factae homini, aut per se stans, emissum in favorem vel utilitatem alicujus, sive hominis, sive Ecclesiae, sive communitatis, valet et obligat in quacunque materia licita, etiamsi minus bona, etiamsi contra consilia evangelica, aut secundum se indifferenti; nec est in potestate jurantis, illud in aliud opus, quantumvis melius et Deo secundum se gratius, commutare;* nam in jure dicitur: „Omne juramentum in gratiam alterius praestitum, esse servandum, si non vergat in salutis aeternae dispendium, nec redundet in alterius detrimentum." Unde e. g. qui jurat, se daturum summam pecuniae sicario, si occidat inimicum, vel puellae, si faciat copiam sui corporis, opere malo patrato, tenetur solvere hanc pecuniam, quia licet peccaverit sic jurando, cum tamen juramentum non cadat supra ipsum opus malum, sed supra pecuniam dandam sub conditione operis turpis, ejus adimpletio est licita, ideoque servanda.

Interpretatio juramenti dubii.

Ultimo notandum est, quod in dubio juramenti promissorii interpretatio fieri debet juxta duas sequentes regulas:

a) *Juramentum est strictissimi juris et interpretationis, ita, ut servata proprietate verborum, interpretatio fieri debeat in fa-*

vorem jurantis, et quanto minor potest, inducenda obligatio; idque partim propter gravem, quam inducit religionis obligationem, et perjurii periculum, partim quia est in materia odiosa, adeoque restringenda; insuper religio magis promovetur per benignam interpretationem juramentorum, quia tunc frequentius observabuntur.

b) *Omne juramentum interpretandum est secundum conditiones, quae* ***fictione juris*** *tacite subintelligantur.* Sunt autem sequentes:

α) *„Si potuero"*, i. e. si promissio impleri potest sine gravi damno;

β) *„salvo jure Superioris"*, i. e. si Superior executionem non prohibeat;

γ) *„si status rerum non fuerit notabiliter mutatus";*

δ) *„si et altera pars fidem servaverit,"* in mutua obligatione;

ε) *„si promissarius juri suo non cedat";*

ζ) *„si non cessat causa finalis"*, ob quam promissio facta est.[1])

3. ***Cessatio obligationis juramenti,*** hanc quod attinet, illa *per causas intrinsecas* et *extrinsecas* cessare potest. 3. Cessatio obligationis juramenti.

a) *Per causas intrinsecas*, scilicet: a) Per causas intrinsecas:

α) *Si cessaverit causa finalis,* ob quam promissio facta est. α) cessante causa finali;

β) *Si status rerum sit notabiliter mutatus,* aut adsit aliqua circumstantia, qua praevisa juramentum non esset emissum; ut si quod bonum erat tempore juramenti, postea fiat illicitum, vel inutile, vel impeditivum majoris boni; vel si superveniat periculum mortis, infamiae vel gravis damni etc. β) statu rerum notabiliter mutato;

γ) *Si juramentum mutes in opus aliquod aperte melius* et Deo gratius; excipe tamen semper, si quid in favorem tertii jurasses. γ) mutatione in opus aperte melius;

δ) *Si ita ferant conditiones* illae, quae in quovis juramento promissorio tacite subintelliguntur, ut supra dictum est. δ) si ita ferant conditiones.

b) *Per causas extrinsecas,* quae sunt: b) Per causas extrinsecas:

α) *Irritatio*, quae fieri potest a quolibet, cui convenit potestas dominativa in jurantem, ut est: pater, tutor, praelatus, Abbatissa, maritus. α) irritatione;

β) *Dispensatio,* quae potest ab iis concedi, qui habent potestatem ordinariam, vel privilegium dispensandi in votis. Qui autem habet potestatem *delegatam* dispensandi in votis, non ideo potest dispensare in juramentis. — At juramenta in favorem hominis facta et ab illo acceptata, solus potest remittere is, cui juratum est, et sine ejus consensu *per se* a nemine, nec a S. Pontifice in hujusmodi juramentis dispensari potest; *excipiuntur tamen sequentes casus: si jurans sit subditus,* et juramentum sit circa ea, quae Superiorum potestati subduntur; porro: *si juramentum fraude aut metu etiam levi, fuerit extortum;* porro: *in poenam criminis* ab eo, cui juratum est, commissi; porro *si bonum commune relaxationem* β) dispensatione;

---

[1]) Cfr. s. Alph. L. III. 180. 187. H. A. V. 18.

postulet, ut e. g. juramentum de non denuntiando etc.; et *tandem quando dubium est, utrum id, quod juramento promissum est, sit licitum, an illicitum, utile vel noxium.*

γ) commutatione;

γ) *Commutatio;* quoad hanc eadem est ratio, quae de dispensatione; sed notandum, quod, facta commutatione, jurans non tenetur vi juramenti ad opus subrogatum, quia illud non juravit, sed tantum vi pacti, quo illud loco alterius acceptat; secus in commutatione voti, ut infra dicetur.

δ) remissione.

δ) *Remissio* facta ab eo, in cujus favorem facta est promissio, quia juri suo quisque cedere potest.[1])

§. 16. Votum.

I. Notio et divisio voti.

I. **Notio et divisio voti.** *„Votum est promissio deliberata Deo facta de bono meliori et possibili.“* Ita s. Thomas[2]), s. Bonaventura et alii.

Distinguitur multiplex votum, et quidem:

1. Votum personale et reale et mixtum.

1. Votum personale, reale et mixtum; prout aut actio ipsius voventis promittitur, aut res aliqua utcumque danda, aut res danda per ipsam personalem voventis actionem; e. g. jejunare, eleemosynam dare, pauperem ad convivium recipere.

2. Vot. absolutum et conditionatum.

2. Votum absolutum et conditionatum, prout fit simpliciter, e. g. voveo jejunium; vel fit apposita conditione, e. g. voveo eleemosynam, si ex morbo convaluero, ita, ut conditione non impleta, obligatio non urgeat.

3. Vot. purum et ex alio fine factum.

3. Votum purum aut ex alio fine factum; prout solus amor ad rem promissam, et intentio ad Deum re illa promissa honorandum, voti causa motiva est, aut alius finis proxime movens est: e. g. voveo piam peregrinationem ad implorandam sanitatem pro patre meo.

Ad ejusmodi vota etiam pertinent *vota poenalia,* per quae aliquis promittit certum aliquod opus pium pro casu, quod hoc vel illud peccatum commiserit; e. g. voveo jejunium, si temperantiam laesero.

4. Vot. determinatum et disjunctivum.

4. Votum determinatum et disjunctivum: prouti res promissa accurate designatur, e. g. voveo Romam peregrinari; vel unum aliquid ex pluribus per electionem et arbitrium (plerumque ipsius voventis) determinandum promittitur; e. g. voveo hoc anno vel Romam, vel Lourdes, vel Hierosolimam peregrinari.

5. Vot. expressum et tacitum.

5. Votum expressum et tacitum; prout verbo vel scripto sufficienter declaratur, ut solet communiter fieri; vel eo ipso fit, quod quis voluntarie aliquid agit, cui scit votum connexum esse; tale e. g. est votum castitatis in illo, qui ordinem Subdiaconatus suscipit.

6. Vot. solemne et simplex.

6. Votum solemne et simplex; prout votum innititur in solemni consecratione per religiosam professionem Ordinesve sacros, aut in ea non innititur. — Votum solemne efficit personam inha-

---

[1]) Cfr. s. Alphons., Billuart tom. 12. de juram. Reiffenstuel tract. 6. distinct. 2. Müller II. §. 84.—88. Lehmkuhl P. I. L. I. n. 405.—424. Marc P. II. n. 600.—617. [2]) 2. 2. q. 88. a. 1. et 2.

bilem ad actum, qui voto repugnat, et consequenter actum ipsum non solum illicitum, sed etiam invalidum reddit; dum votum simplex actum voto contrarium tantum illicitum, sed non invalidum reddit. Unde e. g. votum solemne castitatis est impedimentum dirimens matrimonii, votum simplex vero perpetuae castitatis tantum impedimentum impediens constituit.[1])

7. *Votum perpetuum et temporaneum;* prout aliquid ad certum tempus tantum promittitur, aut per totam vitam servandum est. 7. Vot. perpetuum et temporaneum.

8. *Votum reservatum et non reservatum;* prout ab ipso solus Papa, vel etiam episcopus aut alius privilegiatus dispensare potest. 8. Vot. reservatum et non reservatum

II. ***Conditiones ad valorem voti requisitae.*** Uti ex definitione voti apparet, ad ejusdem validitatem *tum ex parte voventis, tum ex parte materiae votae* plures conditiones requiruntur. II. Conditiones ad valorem voti requisitae.

1. ***Ex parte personae voventis requiritur:*** 1 Ex parte personae voventis.

a) ***Promissio seria et vera,*** i. e. susceptio obligationis in conscientia sub peccati reatu, *non merum vel simplex propositum.* Non sufficit ergo ad votum, dicere: „promitto", quia hoc saepe solum propositum firmum denotat, quod non obligat sub peccato. Quare inquirendum est, utrum voluerit vere specialem obligationem contrahere, et sub novo aliquo peccato Deo adstringi, an non. Qui dubitat, utrum votum fuerit, an merum propositum, si ex adjunctis res rationabiliter certa fieri nequit, non obligatur; nam ut legis, ita etiam voti existentia probari debet. a) Promissio seria et vera.

b) ***Intentio vere se obligandi ad aliquid agendum vel omittendum;*** nam votum est lex quaedam particularis, quam vovens sibi imponit, et qua Deo se obligat; atqui sine intentione se obligandi lex nulla inducitur. *Sufficit vero intentio virtualis implicita;* non vero intentio habitualis, et eo minus intentio interpretativa. — Unde qui ficte vovet, nolens sese obligare, per se ad votum non tenetur, neque *per se* graviter peccat, sed peccatum ex gravioribus venialibus comittit; attamen ratio gravis scandali, vel contemptus, vel gravis deceptio tertii si accedunt — ut sane accedere possunt, mortalem culpam efficiunt;[2]) ut e. g. in professione religiosa vel susceptione Ordinis sacri. b) Intentio se obligandi.

c) ***Deliberatio perfecta,*** qualis requiritur ad actum perfecte moralem. Requiritur ergo ad vovendum aetas discretionis, in qua gravis peccati committendi homo capax est. At etiam tum nondum eo ipso constat de sufficienti cognitione et deliberatione voti. Verum si post septennium aetatis votum emissum est, ut dicatur invalidum, defectus sufficientis cognitionis probari debet; si ante septennium, econtrario, ut dicatur validum, probari debet, adfuisse sufficientem cognitionem.[3]) Unde valide vovere nequeunt furiosi, amentes, ebrii, semidor- c) Deliberatio perfecta.

---

[1] Cfr. Suarez De virtute et statu relig. tr. 7. L. II. cap. 7. n. 15. Bouix tract. de jure Regular. tom. 1. part. 1. sect. 3. pag. 66. sqq. [2]) S. Alph. L. III. 201. [3]) S. Alph. l. c. 196.

mientes, et pueri nondum septennes, nisi forte illa jam boni ac mali discretione polleant, quae sufficit ad peccandum mortaliter.

d) Libera voluntas.

d) ***Libera voluntas,*** i. e. quod votum non fiat ex ignorantia seu errore, neque ex metu gravi, injuste ab alio incusso ad votum extorquendum. Unde deduces:

α) Non valet votum ex errore et ignorantia emissum, si error et ignorantia versetur circa substantiam rei, vel circa substantiales circumstantias, vel circa circumstantias accidentales magni momenti, quibus cognitis votum non fuisset emissum. — Econtra si ignorantia aut error versetur tantum circa circumstantias accidentales minoris momenti, non excusat a voto, etsi vovens, si illas praevidisset, a voto abstinuisset; e. g. Titus vovet jejunium pro feria IV., verum postea pro illo die invitatur ad convivium ab amico; quod si praevidisset, non vovisset, nihilominus voto tenetur.

In votis tamen, per quae vitae status assumitur, nullus error votum invalidum reddit, nisi versetur de rei substantia, alioquin de vitae stabilitate actum esset.[1])

β) Invalidum est etiam votum ex animi passione elicitum, si passio tollit voluntarium in actu vovendi; secus esset validum, si non tollat voluntarium. Ita communiter.

γ) Invalidum est votum ex metu factum, si metus sit gravis, injustus, et incussus ad votum extorquendum. Quoad vota Religionis id constat ex jure canonico; communiter dicunt, id etiam valere quoad cetera vota. Econtra valet votum ex metu elicitum, si metus est quidem gravis, sed juste incussus, vel non incussus ad extorquendum votum, vel metus intrinsecus, nisi metus tantus sit, ut voventi auferat consensus libertatem. — A fortiori hoc valet, quando metus levis est.

In dubio, an vovens emiserit votum metu coactus, vel an metus fuerit gravis, valet votum, quia, „factum praesumitur, recte factum".

e) Promissio Deo facta.

e) Promissio „Deo facta". Votum enim soli Deo fieri debet, seu in honorem Dei; quare si quis aliquid promittit Sanctis, sistendo in ipsis, est actus voto similis quidem, sed inferior, nimirum actus „duliae"; plerumque autem promissio erga Sanctos ita sumitur, ut ad honorandos Sanctos Deo aliquid promittatur, quod votum est.

2. Ex parte materiae. a) Materia voti sit de bono.

2. ***Ex parte materiae requiritur:***

a) ***Ut materia voti sit bona seu de bono;*** quia finis intrinsecus voti est colere Deum; Deus autem non colitur actione mala aut indifferenti. Ceterum votum potest etiam recte et valide fieri de operibus aliunde jam praeceptis, quia etiam ista libere fiunt, et ea vovendo aliquid novum Deo placens praestamus. — Unde:

α) Irrita sunt vota de rebus malis, quomodocunque malae sint, sive ab intrinseco, sive ab extrinseco; imo gravis injuria

---

[1]) S. Alph. l. c. 198. 7.

atque mortale peccatum est, si quis sciens et volens actum peccaminosum, etsi venialiter tantum, Deo promittere praesumat, vere enim blasphemo modo cum Deo agit.[1])

β) *Irritum est votum emissum de re quidem bona, sed ob finem malum, si finis pravus est totalis voti; si vero finis malus est tantum concomitans,* i. e. si non afficiat ipsam rem promissam, sed ipsum votum, *validum est votum,* sed tamen illicitum, maxime si iste finis malus sit causa principalis vovendi. Sic e. g. invalidum est votum, si quis vovet eleemosynam dare puellae, ut per eam inducat illam ad illicitos amores; sed valet votum, si quis ex corde voveat jejunium, sed id faciat elata voce, ut ab aliis commendetur.

γ) *Irritum ac impium est votum emissum ad impetrandum a Deo rem illicitam qua talem, aut in gratiarum actionem pro obtenta re illicita qua tali; secus si voveas per modum poenae,* ut si consensero fornicationi, jejunabo; *vel etiam si voveas pro re illicita quidem, aut in ejus gratiarum actionem, sed qua parte non est illicita.* Sic e. g. invalidum est votum, si quis promiserit jejunium, ut puellae consensum fornicarium obtineat; valet vero votum ejus, qui vovet eleemosynam, si incolumis ex duello evadat, aut si fornicaria complex infamiam evitet, prole non suscepta.

δ) *Irrita sunt vota de rebus indifferentibus qua talibus,* i. e. de iis rebus indifferentibus, quae non ratione alicujus circumstantiae sortiuntur rationem boni aut mali in genere moris, ut e. g. votum non manducandi carnes assatas in honorem s. Laurentii assati; votum non nendi Sabbato.

b) ***Ut materia voti sit de bono meliori;*** *non quidem hoc sensu, quod sit melius quocunque alio opere diverso, sed hoc sensu, quod melius sit suo contradictorio,* nempe melius facere, quam non facere; sic melius est, non nubere, quam nubere. — *Sed hoc intelligendum est non absolute, sed respective ad voventem.* Sic e. g. coelibatus est bonum melius absolute in se, relate autem ad hominem aliquem potest matrimonium esse melius, quam coelibatus, puta ad carnis peccata vitanda, quum alia media meliora adhibere *nolit,* juxta Apostoli verbum: „Melius est nubere, quam uri."[2]) — b) Materia voti sit de bono meliori.

Hinc e. g. invalida sunt vota, omittendi ea, quae sunt de consilio; ut non ingrediendi Religionem, non jejunandi, non mutuandi, non vovendi; sed validum esset votum non vovendi, nisi scripto, vel ex consilio confessarii, quia vovere cum his cautelis, ne indiscrete et temere voveas, est actus prudentiae, melior suo opposito; qui tamen contra hoc votum vovet, valide quidem, sed illicite vovet.

c) ***Ut materia voti sit de re possibili;*** quia ad impossibilia nulla datur obligatio, ideoque inepta et stulta esset. Unde e. g. invalidum est votum vitandi omnia peccata venialia col- — c) Materia voti sit de re possibili.

---

[1]) S. Alph. l. c. 205. [2]) I. Cor. VII. 9.

lective toto aut longo tempore vitae, quia id est homini moraliter impossibile secluso speciali privilegio.[1]) Secus dicendum de voto vitare omnia peccata mortalia, aut etiam omnia venialia in certa materia, vel etiam venialia perfecte voluntaria; quia hujusmodi peccata ordinario Dei auxilio evitari possunt.

Si vero res vel materia voti sit partim possibilis, partim impossibilis, et dividi possit, tunc votum pro parte possibili valet, nisi constet de contraria intentione voventis, aut ea fundate praesumatur. Sic conjux vovens castitatem, non potest petere, sed tenetur reddere debitum conjugale.

Hoc idem valet, si materia voti postea fiat partim, vel ex toto, inepta, indifferens aut mala.

Qui plura vota incompossibilia et sic impossibilia emisit, tenetur servare illorum dignius, alioquin prius posteriori praefertur. Ita Laymann contra Sanchez, qui dicit, tunc esse in arbitrio voventis, servare, quod malit.

III. Obligatio voti.

III. ***Obligatio voti.*** Votum, uti jam dixi, ad instar legis est, quam vovens sibimet imponit; unde generatim quoad obligationem voti eadem valent, quae de obligatione legis. Hinc sequentia veniunt notanda:

1. Omne votum validum obligat ex virtute Religionis.

1. ***Omne votum validum obligat ex virtute Religionis ad exequendum promissum.*** In s. Scriptura dicitur: „Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere; displicet enim ei infidelis et stulta promissio; sed quodcunque voveris, redde;“[2]) et Proverb.:[3]) „Ruina est homini . . . post vota retractare.“ Concinunt s.s. Patres; id patet quoque ex ratione; omnis enim promissio valida homini facta, obligat jure naturali, ergo a fortiori promissio Deo facta, ipsique accepta. — Ceterum juxta sententiam probabiliorem votorum violationes omnes sunt ejusdem speciei.[4])

2. Votum obligat vel sub gravi vel sub levi.

2. ***Votum obligat sub gravi, vel sub levi pro quantitate materiae et secundum intentionem voventis,***[5]) ut dictum est de lege humana. Dico:

a) Pro quantitate materiae.

a) *„Pro quantitate materiae“*, ita, ut votum in materia gravi, obliget sub gravi, et in materia levi, sub levi, nisi vovens aliud intenderit; nam potest se etiam in materia gravi tantum sub levi obligare, *non vero sub gravi se obligare potest in materia in se levi*, quia Deus talem promissionem, utpote imprudentem, non acceptat; displicet enim ei „stulta promissio“. Posset tamen talis vovens mortaliter peccare in transgressione voti ex conscientia erronea. — Si vero materia secundum se levis, ex fine aut aliis circumstantiis fiat gravis, poterit esse obligatio sub gravi.

Gravitas vel levitas materiae aestimatur in voto sicut in lege humana. Hinc gravis censetur materia, quae vel ex se, vel ex adjunctis, notabiliter confert ad Dei gloriam, utilitatem-

---

[1]) Cfr. Conc. Trident. Sess. VI. can. 23. [2]) Eccles. V. 3. [3]) XX. 23. Cfr. etiam Deuteronom. V. I. Tim. V. [4]) S. Alph. L. III. 34. et 224. [5]) S. Alph. l. c. 211.

que voventis aut proximi, quaeque in praeceptis Dei vel Ecclesiae pro gravi habetur. Unde e. g. votum jejunandi, confitendi peccata, Missam audiendi, communicandi, etiam semel, notabilem pecuniam erogandi in pios usus, obligat sub gravi. — Secus votum erogandi modicam pecuniam, invisendi semel aut iterum ecclesiam propriam, brevesque preces recitandi.[1])

Possunt tamen et materiae leves coalescere et ad gravem pervenire, quando nempe materiae leves voventur per modum *unius*, ut praesumitur in votis realibus; non autem si voventur *separatim* in honorem *diei*, sicut censendum est in votis personalibus. Sic e. g. si vovisti per integrum annum pauperem alere, et hoc pluribus diebus intermittis, materiae censentur coalescere; — econtrario qui vovit, se per plures dies velle jejunare, non peccat graviter, si aliquid leve singulis diebus comedat. Ita communiter.

b) „*Secundum intentionem voventis;*" nam lex non obligat ultra intentionem legislatoris. Hinc potest vovens in materia, quantumvis gravi, se obligare sub levi tantum, non tamen vicissim, uti jam dictum est. — Communiter tamen censetur, voventem se voluisse graviter obligare in materia gravi, nisi constet de intentione contraria. b) Secundum intentionem voventis.

In dubio: quid, quale, quot, quantum intenderit promittere vovens, votum plane eodem modo interpretandum est, ac leges; colligenda est scilicet ejus intentio *tum ex communiter accidentibus*, tum *ex conditione et natura materiae,* tum *ex verbis, quibus usus est vovendo et ex eorum significatione communiter recepta.* Unde: Interpretatio voti in dubio.

α) Qui vovit sine certa quantitate, satisfacit dando, quantum voluerit, dummodo non tam parum tribuat, ut potius sit illusio, quam voti impletio. α) Vovens sine certa quantitate.

β) Qui vovit sine certa qualitate, satisfacit, si donet secundum usum communem; e. g. qui vovit dare calicem, debet dare aureum vel argenteum, i. e. qui habet cupam auream vel argenteam, quia talis est in usu; vovens ingredi ordinem in genere, potest ingredi quemcunque, etiam laxiorem, modo serventur essentialia etc. β) Vovens sine certa qualitate.

γ) Qui vovit sine certo loco e. g. ingredi Ordinem Benedictinorum, satisfacit intrando quodcunque monasterium, in quo servantur substantialia Regulae. γ) Vovens sine certo loco.

Qui vero vovit ingredi Religionem certam, et Religionem aliam, imo laxiorem ingreditur et in ea profitetur, potest quidem in eadem licite manere, pro voto tamen non completo eidem poenitentia imponenda erit, ut decrevit Bonifacius VIII.

δ) Qui vovit indeterminate quoad tempus, e. g. jejunium in Sabbatis, obligatur in perpetuum, nisi aliud ex circumstan- δ) Vovens indeterminate quoad tempus.

[1]) Reuter P. II. 338.

tiis colligere liceat. In dubio, an votum sit temporaneum vel perpetuum, valet regula juris „minimum tenendum“.

3. Votum solum voventem stringit.

3. ***Obligatio voti solum voventem stringit;*** nam haec obligatio ex propria voluntate et intentione enascitur; insuper nulli competit jus, promittendi rem aut actionem alienam. Unde:

α) *irrita sunt vota parentum filios devoventium statui religioso* vel sacerdotio, et filii non tenentur illa servare, nisi ea ratificaverint. — Item si *communitas* aliquid voverit, e. g. jejunium, nonnulla festa celebrandi etc., si posteri non consenserunt, non tenentur haec vota servare; sed interdum ratione pacti, statuti vel longae consuetudinis tenentur.[1])

β) *Vota personalia non implentur nisi per voventem,* unde qui vovit e. g. peregrinationem, non satisfacit, si conducat alium; neque ad id tenetur, si ipse iter facere non possit.

γ) *Vota realia solvenda sunt ex proprio.* Unde qui nequit, non tenetur ab alio mendicare. Quod si possit ex suo, et tamen alius, sive rogatus, sive sponte, pro ipso velit solvere, id valet, quia tunc quod alter dat, fit ipsius. Imo probabiliter satisfacit voto eleemosynae, qui illam ab alio eo fine praestitam, postea ratificat, cum noverit; quia tunc jam impletur votum cum consensu voventis.[2])

δ) *Vota realia, cum rei inhaereant, una cum illa transeunt ad haeredes, qui ea solvere tenentur,* non quidem directe vi voti, sed ex titulo acceptae haereditatis, sicut alia debita; et ideo solvi debent ante legata, sed post debita justitiae.[3])

4. Votum implendum est tempore praefixo aut quam primum commode fieri potest.

4. ***Votum implendum est tempore praefixo; vel si nullum tempus fuerit praefixum, quam primum commode fieri potest.*** Patet ex s. Scriptura, ubi dicitur: „Cum votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus Deus tuus: et si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum.“[4]) Unde colliges:

α) *Certum est, votum negativum,* e. g. non frequentandi popinas, obligare ad statim, quia lex negativa obligat semper et pro semper.

β) *Si nullum tempus fuerit praefixum,* tunc si limites justae dilationis sine causa aliquantulum exceduntur, est peccatum veniale; si notabiliter, peccatum mortale. Dilatio notabilis s. Alphonso aliisque videtur, si *impletio voti temporanei absque justa causa differatur ad duos vel tres annos, et impletio voti perpetui* e. g. ingrediendi Ordinem, *sine rationabili causa, differatur ultra sex menses.*

Certum tamen est, illum peccare graviter, qui votum ita differt, ut incurrat periculum, illud omnino omittendi, sive propter oblivionem, sive propter aliud impedimentum praevisum. Advertit Billuart, juxta sententiam probabilem, in votis, quae nullam ex temporis lapsu patiuntur diminutionem,

---

[1]) S. Alph. L. III. 216; cfr. Gardellini, Decreta auth. S. C. R. n. 1444., 1621., 1871., 1963., 2019., 4152. [2]) S. Alph. l. c. 217. [3]) L. c. 214. [4]) Deuteronom. XXIII. 21.

majorem requiri dilationem ad peccatum mortale, et minorem causam, ut licite differantur, ita, ut secluso periculo omnimodae omissionis, quaelibet dilatio, etiam sine causa, non excederet culpam venialem; haec sententia, quae multis obviat scrupulis, valet ergo quoad vota temporanea.

Certum pariter est, eum non peccare, qui votum sive temporaneum, sive perpetuum, ubi nullum tempus est determinatum, differt sub spe fundata, illud commodius, utilius, et praesertim devotius adimplendi.

γ) *Si tempus fuerit praefixum*, illud est *vel ad finiendam vel ad urgendam obligationem voti*, ubi plane eadem valent, ac de legibus dictum est.

5. Votum conditionatum obligat demum post impletionem conditionis.

5. *Votum conditionatum non obligat, nisi impleta conditione; imo juxta sententiam communiorem nec obligat, si conditio quidem impletur, sed non determinate, sed in simili vel aequivalenti.*

Et hoc valet, etiamsi vovens ipse causa fuerit, cur non impleta sit conditio; imo juxta sententiam probabiliorem, etiamsi malitiose per fraudem, dolum etc. impedimentum attulisset; etenim etiam in hoc casu conditio non impletur. At si *dolose* impedias, *peccas;* e. g. vovisti Religionem ingredi, si pater consentiat; si tu precibus vel rationibus impedis consensum patris, non peccas; secus si impedias vi, vel fraude. Vel vovisti castitatem, si Deus per annum te liberet a mortali; si tu ex fragilitate cadis, non peccas respectu voti; secus, si studiose peccas, ut solvaris a voto. Et sic de caeteris.[1])

In voto *disjunctivo*, etiam electione facta, adhuc in libertate ejus, qui vovit, manet, praestare rem, quam mavult, nisi post electionem factam aut novo voto eam firmaverit, aut alterum opus impossibile evaserit.[2])

Votum poenale est vel *simplex* de solvenda poena, e. g. si lusero chartis: quo in casu sufficit solvere poenam pro prima vice; vel est *duplex*, de non ludendo et de poena solvenda; et in hoc casu, quoties votum violatur, toties solvenda est poena, nisi haec sit gravissima, ut peregrinatio longa, elargitio magnae eleemosynae, quae non soleat communiter repeti; excipe etiam, si talis, ludendo, fuerit penitus immemor voti.[3])

IV. Cessatio obligationis voti.

IV. ***Cessatio obligationis voti:*** Sicut legis, ita etiam voti obligatio potest tum *ab intrinseco*, ob materiae mutationem, tum *ab extrinseco*, ob humanae auctoritatis interventum, cessare.

1. Ab intrinseco. a) Cessante causa motiva.

1. ***Votum cessat ab intrinseco,*** et quidem:

a) *Cessante causa motiva seu principali*, ratio est, quia hujusmodi causa cessante, fundamentum obligationis cessat; hinc e. g. ad nihil tenetur, qui vovit se non ingressurum domum aliquam ob periculum peccati, quod postmodum cessat.

b) Notabili rei promissae immutatione.

b) *Notabili rei promissae immutatione, per quam nempe materia voti fiat vel illicita, vel indifferens aut minus bona, vel impos-*

---

[1]) S. Alph. L. III. 218. [2]) S. Alph. l. c. 224. [3]) S. Alph. L. III. 223. H. A. V. 30.

sibilis aut longe difficilior; ratio est, quia in hujusmodi casibus votum vel nec incipere potuisset vel nec emissum fuisset.

Imo etsi tua culpa materia seu res promissa facta sit impossibilis vel plane inutilis, adhuc cessat obligatio voti, sed poenitendum est de culpa. — Quodsi tamen res sit divisibilis et ex parte remaneat possibilis, ad hanc partem exequendam obligatio remanet; item si impossibilitas voti sit perpetua, omnino exstinguitur obligatio voti; si vero sit tantum temporalis, suspenditur votum, ut ea cessante reviviscat obligatio voti.

Porro nec votum tenet, ubi supervenit circumstantia, quae si fuerit praevisa, votum non esset emissum. Ita s. Thomas et Alphonsus cum aliis. *In dubio, utrum superveniens circumstantia excuset* a voto, juxta regulas generales standum est pro valore et obligatione voti, ergo pro ejus relaxatione ad Superiorem recurrendum.

A regula exposita tamen semper excipiuntur vota castitatis et *vota emissa in professione religiosa,* quae quippe firma manent, quaecunque circumstantia eorum executionem aggravans superveniat.[1])

2. Ab extrinseco.

2. ***Votum cessat ab extrinseco*** per *commutationem, dispensationem* et *irritationem.*

a) Per commutationem.

a) ***Per commutationem:*** quae est substitutio alicujus operis in locum operis promissi, facta sub eadem obligatione voti, i. e. ita facta, ut vovens eodem Religionis vinculo adstringatur operi subrogato, quo tenebatur operi prius per votum promisso. — Haec commutatio triplici modo fieri potest, scil. in *melius,* in *aequale* et in *minus bonum.* Dicitur autem *melius,* quod est tale relate ad utilitatem spiritualem voventis et Deo gratius, ut dicit s. Alphonsus.[2])

Hinc sequentia sunt notanda:

α) Commutatio in opus evidenter melius.

α) *Commutatio voti in opus evidenter* ***melius*** *ab ipso vovente fieri potest, etiam sine speciali causa.* Est doctrina communis; ratio est, quia minus in majori seu meliori continetur; et in jure canonico dicitur: „Non enim propositum aut promissum infringit, qui in melius illud commutat.“ Excipiuntur tamen vota in favorem tertii, et ab illo acceptata; item vota reservata, nisi mutatio fiat in statum religiosum;[3]) nam omnia vota, tam personalia quam realia auctoritate propria commutari possunt in professionem religiosam; hoc quidem non ex natura rei, sed ex speciali juris dispositione in Decretali Alexandri III.

β) Commutatio in opus minus bonum.

β) *Ad validam voti commutationem in opus* ***minus bonum*** *requiritur auctoritas ecclesiastica, et probabiliter etiam justa causa;* nam hujusmodi commutatio species dispensationis est, quae a Superiore concedi debet nomine Dei; minor tamen causa requiritur, quam in omnimoda dispensatione, ut patet.[4])

---

[1]) Cfr. s. Alph. L. III. 225., 226., 255., 192. L. IV. 50. [2]) L. III. 243.
[3]) S. Alph. L. III. 243. [4]) H. A. V. 38.

Hoc bene advertant, qui habent tantum facultatem commutandi vota, et non dispensandi, ut in Jubilaeis conceditur.

γ) *Certe probabilius non potest vovens propria auctoritate votum suum commutare in opus* ***aequale;*** alias inutilis esset in Praelatis aut delegatis facultas commutandi; nam ad commutationem in melius non requiritur, et in minus non potest, ut diximus. Istud „*aequale*" tamen non debet esse mathematicum, difficillimum enim esset illud attingere, sed morale, in quo paulo minus pro nihilo reputatur. Unde possunt quaecunque vota mutari in alia opera disparata, prout magis ad gloriam Dei et voventis utilitatem conducere judicantur, et maxime in frequentationem Sacramentorum. γ) Commutatio in opus aequale.

Insuper notandum est, quod qui potest dispensare etiam ex delegatione, potest similiter commutare vota, nam ut dicit regula juris 53.: „Cui licet, quod est plus, licet utique quod est minus;" sed non viceversa, quia major potestas in minori non continetur.[1]) Qui gaudet facultate commutandi, sed non dispensandi, debet votum commutare in opus *aequale,* quia si in minus mutaret, ex parte jam dispensaret. — Qui potest aliorum vota dispensare vel commutare, idem potest pro semetipso.[2])

δ) *Ad commutationem voti in minus vel aequale bonum, ut sit licita, et probabiliter etiam ut sit valida, semper requiritur justa causa;* si mutatio fiat in aequale, sufficit levis causa, e. g. major devotio voventis; si fiat in minus, requiritur major causa. In dubio, an causa sit sufficiens, vovens potest acquiescere judicio commutantis, ut dicit s. Thomas. δ) Ad commutationem in minus vel aequale justa causa requiritur.

ε) *Voti commutatione, a Superiore legitime facta, votum primum exstinctum est, quare non teneris, ad primum opus redire, ubi secundum evaserit impossibile,* et id etiamsi tua culpa evaserit impossibile. Hoc tamen non valet, si commutatio fiat propria auctoritate, quia in tali casu votum non exstinguitur. ε) Per commutationem votum primum exstinguitur.

Ceterum facta commutatione voventi semper liberum manet, ad primam voti materiam redire.

ζ) *Votum in favorem tertii emissum post acceptationem regulariter non potest commutari, bene vero ante acceptationem.* Dico *regulariter*, quia excipitur casus, in quo bonum Ecclesiae vel reipublicae commutationem vel dispensationem exigeret. Potest tamen semper ille tertius votum remittere. ζ) Votum in favorem tertii post acceptationem regulariter non potest commutari.

η) *Sicut votum, ita etiam poena per transgressionem voti contracta commutari potest;* sed notandum, quod, quando simpliciter commutatur votum aut dispensatur, poena jam contracta non censetur commutata aut dispensata poena, nisi exprimatur. η) Sicut votum, ita et poena commutari potest.

b) ***Per dispensationem:*** *Dispensatio voti est absoluta ejusdem remissio a Superiore legitimo Dei nomine facta.* b) Per dispensationem.

---

[1]) S. Alph. L. III. 246. [2]) L. c. 249.

Ubi haec sunt notanda:

α) Potestas dispensandi ordinaria et delegata.

α) *Potestas dispensandi in votis jure ordinario competit solis Praelatis, qui habent jurisdictionem spiritualem in foro externo. Ex delegatione autem aut privilegio convenire potest etiam aliis, qui jurisdictionem ordinariam non habent in foro externo, sed tantum delegatam.* — Hinc dispensare possunt:

Papa pro tota Ecclesia respectu omnium fidelium in omnibus quibuscunque votis, etiam solemnibus etc. *Episcopi, Vicarii Capitulares, Nuntii apostolici, Abbates*, habentes jurisdictionem episcopalem, cum suis subditis in omnibus votis Papae non reservatis. *Praelati regulares* (non Abbatissae) cum suis subditis, etiam Novitiis, licet vota emissa fuerint in saeculo, aut votum fuerit transeundi in strictiorem Ordinem, dummodo utilius noscatur Religiosum manere in suo. *Confessarii mendicantium* ex privilegio habent jus dispensandi in omnibus votis non reservatis quorumlibet fidelium, sive intra sive extra confessionem; imo possunt etiam dispensare, uti Episcopi, cum conjugibus valido matrimonio junctis, a voto simplici perpetuae castitatis, in ordine ad usum matrimonii, sive post, sive ante matrimonium emisso, uti jam alio loco dictum est.

Speciali autem delegatione indigent tum *Praelati non exempti*, tum *Vicarius Episcopi, Decanus, parochus aliique sacerdotes.*

β) Ad validam et licitam dispensationem voti semper requiritur justa causa.

β) *Ad validitatem et liceitatem dispensationis in votis semper requiritur justa et rationabilis causa;* nam vota soli Deo fiunt, ergo homo in iis dispensare non valet, nisi ut superior secundarius, talis vero sine sufficienti causa nec valide nec licite dispensare potest, uti jam alibi dictum est.

Causae justae et sufficientes dispensandi sunt: Bonum Ecclesiae vel reipublicae vel familiae; major profectus ipsius voventis; notabilis difficultas in voti observatione, etsi praevisa, e. g. si scrupulis vel gravibus tentationibus voti causa opprimeretur, qui voto adstrictus est; *periculum votum transgrediendi; imperfecta deliberatio et libertas in voti nuncupatione,* ut e. g. si votum processerit ex tristitia, ira, metu intrinseco, puta mortis, incendii, aut ex metu extrinseco sed levi; *item si votum esset factum tempore impubertatis;* et *maxime quando tales circumstantiae occurrunt, ut dubium sit, an votum existat aut obliget.* Sed quo majus et excellentius est votum, eo major requiritur causa.

Ubi causa non apparet sufficiens, potius commutandum est votum in aliud opus pium; imo raro utendum est, ad majorem securitatem, pura dispensatione absque aliqua commutatione.

γ) Vota Summo Pontifici reservata.

γ) *Vota Summo Pontifici reservata sunt praeter vota in Communitate religiosa emissa: votum perfectae et perpetuae castitatis; votum ingrediendi Religionem, in qua emittuntur vota solemnia, votum peregrinandi Hierosolymam* ad se-

pulchrum Christi; *votum peregrinandi Romam* ad limina Apostolorum, et *votum peregrinandi Compostellam* ad s. Jacobum.

Ut vero haec quinque vota reservata sint, debent esse perfecta ex omni parte, et quidem:

ratione libertatis, quare non sunt reservata, si sint emissa ex metu, etiam levi, ab alio incusso; porro:

ratione materiae, quapropter votum castitatis non est reservatum, nisi sit perpetuum, et excludat omnem actum venereum, etiam internum,[1]) sic e. g. non sunt reservata vota non nubendi,[2]) non fornicandi, non petendi debitum, aut servandi virginitatem, si vovens non intendit, promittere abstinentiam ab omni actu venereo, et non solum claustrum virginale servandi; porro:

ratione formae, i. e. debent esse facta *soli Deo*, seu principaliter in honorem Dei; insuper debent esse *absoluta* et *determinata;* unde non sunt reservata *vota poenalia aut disjunctiva,* e. g. Religionis aut jejunii, et hoc juxta sententiam probabiliorem, etiamsi electa sit pars reservata (nisi utraque pars sit de reservatis); nec *vota conditionata,* i. e. sub conditione de futuro contingenti, et quidem juxta sententiam probabilissimam etsi conditio sit impleta; porro:

ratione obligationis; non enim vota essent reservata, si vovens se tantum sub levi obligare intendisset. *In dubio,* an vota sint reservata, ab Episcopo et confessariis Regularibus sunt dispensabilia.

Insuper notandum, quod haec vota sunt tantum reservata quoad substantiam, et *non quoad circumstantias;* hinc e. g. si quis vovisset Romam *pedibus* peregrinari, aut Religionem *strictiorem* ingredi, quoad circumstantias „pedibus" et „strictiorem" potest Episcopus aut Praelatus regularis dispensare.

Ceterum Episcopi et similem jurisdictionem habentes possunt in votis reservatis dispensare *exceptive*, *quando necessitas* urget, i. e. si non sit facilis accessus ad Papam et in mora sit periculum gravis damni, vel spiritualis vel temporalis, proprii vel alieni; et *quatenus necessitas urget,* quia, si votum suspendi sufficiat, non potest in eo dispensari.

c) ***Per irritationem:*** Irritatio voti est ejusdem annullatio, vel suspensio, facta ab eo, qui potestatem dominativam habet in voluntatem voventis, aut in materiam voti. c) Per irritationem.

Irritatio voti duplex est, scilicet vel *directa* seu proprie dicta, haec ipsam voventis voluntatem attingit, hujusque votum ita rescindit, ut voti obligatio nunquam reviviscat; — vel *indirecta,* quae tantum in materiam voti tendit alteri subjectam, atque voto remanente, ejusdem obligationem tantum suspendit, ita, ut impedimento cessante reviviscat.

---

[1]) A voto perpetuae castitatis in casu urgentis necessitatis juxta sententiam valde probabilem etiam confessarii Regulares dispensare possunt. Cfr. Aertnis L. II. tr. 11. n. 108. q. 1. [2]) Cfr. Linzer Quartalschrift 1887, pag. 147. sqq.

Quoad irritationem votorum sequentia valent principia:

α) Quis possit directe vota irritare.

α) *Omnis Superior, qui habet potestatem dominativam in voluntatem voventis, omnia ejusdem vota directe irritare potest.* Est doctrina communis et certa. Quamdiu Superior non contradixerit, valida quidem sunt emissa vota, sed infirma, ita, ut Superiore contradicente deleantur, et suscepta obligatio prorsus exstinguatur. Hinc in specie:

Papa potest omnium Religiosorum vota directe irritare; *Episcopus* similiter omnia vota monialium sibi subjectarum. *Praelati regulares*, quo nomine intelliguntur: Generales, Provinciales, Priores, Guardiani, Superiores, Rectores, Abbates, Abbatissae, Priorissae, Matres et alii Superiores immediati, imo illis absentibus etiam Superiores secundarii, ut Vicarii, Subpriores etc., possunt directe omnia vota suorum subditorum irritare; excipitur tantum votum transeundi in Religionem strictiorem, ut Innocentius III. definivit; excipiuntur pariter ipsa vota essentialia et alia ipsis absolute annexa.

Non possunt vero Praelati regulares directe irritare vota Novitiorum, nec personalia nec realia, sive in Novitiatu, sive ante emissa, quia Novitii nondum sunt per votum obedientiae subjecti potestati dominativae Superiorum; possunt tamen cum eis in votis dispensare.

Omnia vota impuberum, tam personalia quam realia, etiam castitatis et Religionis, *directe irritare potest pater* et patris defectu ille, qui jure paterno gaudet, scil. tutor, curator, avus paternus, proavus et ascendentes; his deficientibus mater, avia et ascendentes.

Imo juxta sententiam probabilem mater etiam praesente patre vel tutore potest vota impuberum irritare, modo non contradicat pater vel tutor.

Porro potest pater irritare votum a filio emissum tempore impubertatis, licet filius jam factus sit puber, modo filius non confirmet votum in pubertate, cognoscens illud fuisse infirmum. — In dubio, an votum sit emissum ante vel post pubertatem, adhuc potest pater irritare, quia possidet sua potestas; idem dicendum in dubio, an filius post pubertatem votum ratificaverit.

Probabilius juxta s. Thomam, s. Alphonsum aliosque multos maritus directe irritare potest vota uxoris tempore matrimonii emissa, licet non praejudicent usui matrimonii, vel prolis educationi, vel gubernationi domesticae; etiam vota exequenda post mortem mariti, e. g. religionis, castitatis; ratio est, quia, ut ait s. Alphonsus, expedit valde ad pacem familiae, ad mutuum amorem fovendum, quod uxor voluntatem totaliter a viro dependentem habeat. — Negant tamen alii, dicentes, maritum posse tantum illa uxoris vota directe irritare, quae juribus suis obstant.[1])

[1]) Cfr. Billuart tom. 12. tr. de voto.

Ultimo notandum, quod praeditus potestate vota directe irritandi, potest hoc etiam casu, si ante vovendi licentiam dederit, aut votum emissum approbaverit; ideo enim non desinit esse Superior aut habere potestatem regendi voluntatem subditi etiam quoad hunc actum. Hoc idem valet etiam de eo, qui potest tantum indirecte irritare vota, si expresse intenderit, non cedere juri suo, secus si censeatur cessisse juri suo. Ita Billuart.

β) *Omnis Superior, qui habet tantum potestatem in materiam voti, indirecte irritare potest vota subditorum in iis, in quibus laeditur ipsius potestas.* Est doctrina communis et certa. — Hinc *Papa* vota omnium fidelium, *Episcopus* vota subditorum, in quantum ipsis praejudicant, indirecte irritare possunt. — *Superiores* Ord. religios. indirecte irritare possunt vota Novitiorum in iis, quae impediunt regulae impletionem; *Pater*, *mater*, *tutor* etc. possunt indirecte irritare *vota realia* puberum, in quantum ipsis non competit bonorum suorum administratio. *Nequeunt* autem hi indirecte irritare vota personalia, e. g. castitatis, frequentiae Sacramentorum, nisi quae praejudicant domesticae gubernationi, prout vota longae peregrinationis, jejunii incompatibilis cum modo familiae. — *Herus* indirecte irritare potest vota famulorum, quae obsequium debitum impediunt; — *maritus* indirecte irritare potest vota ab uxore ante matrimonium emissa, quatenus ipsius juribus obstant; et pari ratione *uxor* irritare potest indirecte vota mariti, juribus suis obstantia. β) Quis possit indirecte vota irritare.

In dubio, an Religiosus votum ante professionem, vel an uxor votum ante matrimonium emiserit, Praelatus vel maritus potest hujusmodi votum tantum indirecte irritare, quia est in possessione votum, et non libertas.

Tandem notandum, uti jam dictum est, quod vota indirecte irritata, semper reviviscunt et obligant, quando alteri desinunt praejudicare; dum econtra vota directe irritata nunquam reviviscunt.

γ) *Irritatio voti indirecta invalida est, nisi adsit justa causa; irritatio directa, quae fit sine justa causa, valida quidem est, quia dominus valide disponit de re sua, sed illicita,* quia irrationabiliter impeditur honor aut cultus Dei, et profectus spiritualis subditi; id tamen communiter peccatum veniale non excedit; sufficit vero quaevis rationabilis causa ad excusandum ab omni peccato.[1] γ) Quid requiratur ad validam irritationem.

§. 17. Peccata contra Religionem.

Sicut in ceteris virtutibus, ita etiam in Religione vindicat sibi locum illud vulgatum: „Virtus consistit in medio." Unde ad

---

[1]) Cfr. s. Alph. L. III. 194.—250. Reiffenstuel tr. 6. dist. 3. Billuart tom. 12. dissert. 4. Perrone, Praelect. P. I. cap. 4. Lehmkuhl P. I. L. I. 428.—481. Müller L. II. t. 2. §. 51.—57. Marc P. II. s. 2. 623.—650.

duo suprema Capita revocat s. Thomas[1]) vitia, quibus in virtutem Religionis peccatur: nempe aut *per excessum* aut *per defectum;* per excessum quidem *superstitione,* per defectum vero *irreligiositate* contra Religionem peccatur.

I. Superstitio.

I. ***Superstitio:*** *significat communi acceptione cultum omnem vanum, qui a veritate ac regula deficiat, sive ex parte modi, sive ex parte objecti.* Ex parte quidem *modi,* cum cultus, etsi Deo vero exhibeatur, est tamen Deo indignus: ex parte *objecti,* cum cultus falso numini tribuitur.

Unde sunt duae species, in quas superstitio immediate dividitur, scilicet *cultus indebitus veri numinis,* i. e. cultus, quo colitur Deus modo indebito; et *cultus falsi numinis,* i. e. cultus cujusque rei, quae sicut Deus colitur.

1. Cultus indebitus veri numinis.

1. ***Cultus indebitus veri numinis*** est vel *cultus falsus* (perniciosus) vel *cultus superfluus.*

a) Cultus falsus.

a) *Falsus cultus* est, si Deus colitur modo a se reprobato, aut auctoritate ecclesiastica secundum substantiam reprobato, aut etiam lege naturali vetito; ut e. g. si quis ritu judaico Deum colere nititur; vel si laicus sibi sacerdotales functiones arrogat; vel qui falsis et fictis miraculis cultum Dei promovere studet etc.; qui actionem inhonestam pro divino cultu adhibere vellet, quod prorsus blasphemum esset.

Falsus cultus est *peccatum mortale ex genere suo,* et vix leve fieri potest ex parvitate materiae.

b) Cultus superfluus.

b) *Cultus superfluus* sive inutilis est circumstantia quaedam vana, stulta, inconveniens, quae cultui alioquin vero admiscetur; ad quem pertinet e. g. ex mala devotione caeremoniis Missae quaedam addere; magis etiam in vana aliqua circumstantia, ut certo situ, numero candelarum, vim colendi reponere, sacerdotem certi nominis celebraturum studiose quaerere; die Sabbati in honorem B. V. M. non nere; carnem assatam in honorem s. Laurentii assati non edere etc. Talis cultus quidem etiam est peccatum mortale ex genere suo, si tamen contemptus et scandalum absint, et si ex stultitia et vana apprehensione fiat, plerumque tamen veniale non excedit.[2])

2. Cultus falsi numinis.

2. ***Cultus falsi numinis*** est ille, quo cultus Deo debitus falso deo, vel creaturis defertur, et quinque species includit, scilicet: *idololatriam, vanam observantiam, divinationem, magiam* et *maleficium,* quibus accenseri possunt *mesmerismus* et *spiritismus.* His enim omnibus modis colitur diabolus, vel ut honoretur tamquam numen, et sic est idololatria, vel ut juvet ad certum effectum obtinendum, et tunc est vana observantia, vel ut aliquid occultum manifestet, et sic est divinatio, vel ut dirigat in operando, et sic est magia et maleficium.

Certum est, ad nefanda haec scelera, quibus diabolum coli diximus, ipsum quoque cooperari, quippe qui cum infensissimus sit

---

[1]) 2. 2. q. 92. [2]) Cfr. Concil. Trident. Sess. XXII. de observandis et evitandis in celebratione Missae.

Dei hostis divinaeque gloriae aemulator, homines a Dei cultu avertere, atque ad sui cultum trahere conatur. Imo ut plurimum tunc *pactum aliquod*, sive *expressum*, sive *tacitum*, daemonis inter et hominem intercedit. Nam communis et certa est doctrina, quae absque temeritatis nota in dubium vocari nequit, existere posse commercium seu pactum hominis cum daemone, et hominem ope daemonis vi pacti cum eo initi, plura valere cognoscere ac efficere, quam solis viribus suis. Daemones enim multa cognoscere et efficere valent, quae superant hominum vires; quae autem daemones sciunt et efficere possunt, ea hominibus quoque manifestare possunt, uti s. Thomas dicit.

a) ***Idololatria:*** est superstitio, qua tribuitur adoratio cuicumque creaturae tamquam Deo, sive per sacrificium, sive per genuflexionem, sive per quodvis aliud signum. a) Idololatria.

Distinguitur idololatria *materialis seu simulata*, et *formalis; prior* obtinet, cum quis sine interno affectu, ex metu mortis, cultum idolo defert; *posterior* ac propria est, quae fit scienter et voluntarie, haecque est vel *perfecta*, ut cum quis adorat idolum, quod ex infidelitate putat esse Deum; vel *imperfecta*, cum quis, vel ex odio Dei, vel ex affectu aliquid a daemone aliave creatura obtinendi, ipsi quasi Deo cultum exhibet.

Idololatria, uti per se patet, est *peccatum gravissimum*, ita tamen, ut idololatria simulata per se minus gravis sit, quam formalis; formalis perfecta minus gravis, quam imperfecta. Ultimo scilicet quaelibet idololatria, sicut quaelibet superstitionis species, est daemiolatria; unde Psalmista dicit: „Omnes dii gentium daemonia.“[1])

b) ***Vana observantia:*** est superstitio, qua medio aliquo improportionato, et a Deo non instituto, procuratur aliquis effectus, e. g. sanitas, scientia etc. b) Vana observantia.

Ratione objecti materialis triplex vana observantia distinguitur scilicet: *ars notoria*, seu ars acquirendi scientiam sine labore; *ars sanitatum*, seu ars sanandi variis signis vel rebus sacris tamquam ex opere operato ad id efficacibus; et *observantia eventuum*, qua ex consideratione alicujus eventus fortuiti conjicitur, quid faustum vel infaustum futurum sit. Ars notoria. Ars sanitatum. Observantia eventuum.

Vana observantia est peccatum mortale ex genere suo, quia in ea daemon invocatur saltem tacite et implicite. *Veniale autem esse potest*, tum ob ignorantiam, tum quia joci causa fit, vel levis tantum fides praestatur.

Vana observantia praesertim cognoscitur: ex insufficientia causae adhibitae ad effectum producendum, si nimirum nec habeat naturalem vim ad effectum intentum, nec de supernaturali legitime constet, porro: *ex adjectione falsae vel vanae circumstantiae*, e. g. verborum apocryphorum, certae horae, certi numeri, characterum peregrinorum etc.; dein: *ex infallibilitate, quae tribuitur mediis nullo modo infallibilibus;* et denique *ex ipso effectu*, si hic statim evanescat.

---

[1]) Psalm. XCV. 4. Cfr. etiam Sanchez L. I. c. 37. n. 21.

Hinc vanae observantiae rei sunt: qui gestant amuleta aut ligaturas quibusdam characteribus consignatas; qui certa invocant nomina ignota, aut certum adhibent numerum crucium vel orationum ad sananda vulnera, ad se invulnerabiles efficiendos etc.; qui gestant quasdam orationes ad s. Birgittam, aut alias preces, effectum omnino infallibilem ex ipsis exspectantes; qui dies aliquos habent tamquam faustos, alios vero infaustos, ut e. g. diem Martis vel Veneris, et secundum hanc credulitatem actiones suas ordinant; qui recusant cum tredecim in mensa sedere, quasi id mortis signum esset, etc.

In dubio autem, utrum aliquis effectus a causa naturali, aut a diabolica operatione proveniat, praesumendum est, illum a causa naturali procedere. *Quando vero constat, effectum non posse a causa naturali provenire*, dubiumque vertitur, utrum a Deo sit, an a diabolo, tribuendus est effectus daemoni, nisi vel operantis sanctitas, vel alia urgentissima indicia aliud persuadeant, quia temerarium esset, arbitrari, tunc semper fieri miracula.

c) Divinatio.

c) ***Divinatio:*** est superstitio, quo quis opem daemonis tacite vel expresse invocat, ut noscat res contingentes et libere futuras, aliterve occultas, et naturaliter incognoscibiles.

Omnes quidem divinationes, sive cum expressa sive cum tacita daemonis invocatione, ad unam reducuntur speciem in genere moris; varias tamen obtinent denominationes, et quidem:

α) Divinatio per expressam invocationem daemonis.

α) *Divinatio per expressam daemonis invocationem* dicitur: *Oraculum,* si fit per idola, i. e. si daemon per idola respondet; *Necromantia,* si per apparentem mortuorum resuscitationem; *Pythonismus,* si per homines vivos ab eo arreptos; *Oniromantia,* si per somnia; *Praestigium,* si per fictas figuras; *Aruspicium,* si per signa in visceribus animalium; *Geomantia,* si per figuram in terra; *Hydromantia,* si per figuram in aqua; *Aëromantia,* si per figuram in aëre; *Pyromantia,* si per figuram in igne.

β) Divinatio per tacitam invocat. daem.

β) *Divinatio per tacitam invocationem* dicitur: *Astrologia judiciaria,* si fit ex situ et motu astrorum; *Auspicium,* si ex volatu avium; *Augurium,* si ex earum garritu; *Omen,* si ex casu fortuito, e. g. ex occursu funeris; *Chiromantia,* si ex lineamentis manus (*Chirographiomantia,* si ex scriptura manus)[1]); *Physiognomia,* si ex lineamentis vultus; *Sortilegium,* si ex vanis sortibus, e. g. ex aperitione libri, ex jactu taxillarum. — Nomine tamen *sortilegii* omnia superstitionum genera designari solent; — *Vaticinium,* si ex vatibus et chartis futura praedicuntur.

Divinatio expressa nunquam a mortali excusari potest, nequidem per ignorantiam, quia patet omnibus, pactum cum daemone esse quid maxime horrendum. Divinatio tacita vero aliquando a mortali excusari potest ob simplicitatem et ignorantiam. Dicit Sylvius, si quis divinationem tacitam

[1]) Ita putat auctor hujus opusculi, salvo tamen meliori judicio.

tentat ex joco et levitate, non credens eam utilem, sed potius vanam et inutilem, aut nesciens, ibi esse aliquam daemonis invocationem, non peccat plus, quam venialiter. Idem esto judicium, si ex somnio, augurio et similibus aliquem timorem de futuris concipiat, sed tamen non eis adhibeat fidem, aut si semel vel iterum faciat aut omittat aliquid sibi liberum ex tali timore, non tamen vitam et actiones suas ad talium divinationum normam dirigat.

Nota: Quoad somnia, usum sortium et usum virgae divinatoriae vide plura apud s. Alphonsum.

d) ***Magia et Maleficium:*** *Magia* est nomen genericum, et designat artem, mira et insolita efficiendi. *Est duplex: naturalis seu alba vel artificialis,* est ars operandi mira per causas naturales, sed occultas, e. g. per operationes chemicas, opticas etc.; haec *per se* non est illicita, est tamen periculosa, quia illi se facile immiscet diabolus; et *magia superstitiosa, diabolica, seu nigra,* et est ars, mira opera producendi ope daemonis, vel explicite vel implicite invocati. Coincidit sive cum divinatione (magia divinatrix), sive ut plurimum cum vana observantia (magia operatrix) Haec est graviter peccaminosa, et suspicionem haereseos ingerit; eam exercuerunt magi Pharaonis, Simon magus etc. d) Magia et Maleficium. Magia naturalis seu alba. Magia superstitiosa.

Magia superstitiosa habet duplicem finem; vel enim refertur ad ostentationem, sive aliud commodum proprium vel alienum, et tunc communi nomine dicitur *Magia;* vel refertur ad inferendum nocumentum alteri, et dicitur *Maleficium,* quod qui facit, dicitur *sortiarius* aut *sortiaria.* Est ergo *Maleficium* ars nocendi daemonis cooperatione, per schedulas, ligaturas, herbas etc., quibus diabolicum pactum adnexum est. Maleficium est duplex, unum *amatorium* seu *philtrum,* cujus finis est carnalem amorem, vel odium excitare, daemone hominis phantasiam et humores commovente. Aliud dicitur *veneficum,* quo alicui personae, vel ejus bonis, damnum infertur. Maleficium etiam vocari solet *sortilegium* ex eo, quod per illud sors mala injiciatur iis, contra quos operatione diabolica vindicta exercetur.

Maleficium continet duplicem malitiam mortalem, unam contra Religionem, et alteram contra justitiam, ob injuriam, quae proximo infertur.

Maleficium tolli potest: medicina, oratione, exorcismo, Sacramentis, destructione signi, cui diabolicum pactum erat adnexum, modo non adhibeatur novum maleficium.

Pro praxi adhuc sequentia sunt notanda: Nota pro praxi.

α) Circa magiam et maleficia *interrogandi* sunt opiliones, fabri ferrarii, rustici, qui sanant jumenta vel pecora; item vetulae quaedam suspectae etc. Ita s. Alphonsus.

β) Examinandi sunt praeterquam de variis superstitionibus: *quo fine* tali superstitioni se addixerint, e. g. an ratione vehe-

mentis passionis, tristitiae, vindictae, avaritiae etc.; porro: de *apostasia, idololatria* et *vindicta;* abnegant enim Christum et Deum, renuntiant Sacramentis, habent daemonem pro Deo vel Sancto; porro de *blasphemiis* in Deum et Sanctos et de *sacrilegiis;* abutuntur enim rebus sacris, ut aqua benedicta, Eucharistia etc.; porro de *luxuria* et commixtione cum daemone; et tandem de *damnis* proximo illatis.

γ) Monendi sunt, eos *teneri:* pactum expressum, si quod habent cum daemone, aut commercium *abjurare* et dissolvere; libros suos, schedas, ligaturas, aliaque instrumenta artis *comburere;* item comburere *chirographum,* si habent, necnon damna illata *resarcire.*

e) Mesmerismus.

e) ***Mesmerismus seu magnetismus animalis.*** Antonius Mesmer, medicus, origine et natione germanus (1733—1815) novos medendi modos quaerens arbitratus est et probare voluit, se medium efficacissimum ad omnes morbos sanandos invenisse in magnetismo animali, qui ab ejusdem auctore proinde etiam mesmerismus nominari solet.

Magnetismus nomen habet a quodam fluxu magnetico, seu fluido nerveo, qui meare supponitur e corpore magnetizantis in corpus magnetizati, ope variorum gestuum, vel etiam solius praesentiae, imo et solius voluntatis magnetizantis. — Ex quo oritur in triplici gradu:

α) Status *somni magnetici,* quem nec maximus fragor, nec ferri ignisve ulla vehementia discutere valet.

β) Status *somnambulismi,* in quo patiens, licet omni sensuum usu destitutus, videt tamen, audit, loquitur, et respondet ad omnia, de quibus interrogatur.

γ) *luciditas* tanta occulorum et mentis, ut magnetizatus, etiam rudis ac illiteratus, possit perspicere intima sui alienique corporis arcana, arduissimas solvere quaestiones de arte medica vel physiologia, velatis oculis scripta legere, dictaque et facta ab auditu et visu remotissima fideliter enarrare.

Plura de historia magnetismi animalis necnon de ejusdem phaenomenis videri possunt apud Perrone „de virtute religionis", Müller et alios.

Congregatio S. Officii de his interrogata die 28. Julii 1847 respondit: „Remoto omni errore, sortilegio, explicita aut implicita daemonis invocatione, usus magnetismi, nempe merus actus adhibendi media physica aliunde licita, non esse moraliter vetitus: dummodo non tendat ad finem illicitum, aut quomodolibet pravum. Applicatio autem principiorum et mediorum pure physicorum ad res et effectus vere supernaturales, ut physice explicentur, non est, nisi deceptio *omnino illicita et haereticalis.*"

Decreto autem ejusdem Congregationis, die 4. Augusti 1856 magnetismi usus ea praesertim ratione reprobatus est, quia „somnambulismi et clarae intuitionis, uti vocant, praestigiis, mulierculae illae, gesticulationibus non semper verecundis abreptae, se invisibilia quaeque conspicere effutiunt, ac de ipsa

religione sermones instituere, animas mortuorum evocare, responsa accipere, ignota ac longinqua detegere, aliaque id genus superstitiosa exercere, ausu temerario praesumunt".[1])

Ex quibus concludere licet:

α) Magnetismus animalis *in abstracto,* seu in primo gradu spectatus, non est per se prohibitus; et sic *tolerari* posset.

β) Magnetismus animalis, spectatus *in concreto*, seu prout vulgo usurpatur, est *illicitus,* tum ratione *finis,* ob quem solet exerceri; tum ratione *modi*, ex quo, experientia testante, multa mala, tum spiritualia, tum temporalia oriri solent. — Ergo in praxi, nisi constet, haec omnia longe fieri, usus magnetismi animalis non est permittendus.[2])

f) ***Spiritismus:*** est quodammodo proles Magnetismi animalis, et a tertio ejus gradu vix differt. In principio visae sunt *mensae* in gyrum versari, dum extremis circumstantium digitis connexis tangerentur. Mox spiritus ad propositas quaestiones respondebant quodam numero *ictuum* accommodato ordini alphabetico litterarum. Spiritus percussores postea *graphide* ad pedem mensae alligata responsa scribebant. Ex hinc ab anno 1852 oracula citius fundunt, manu utentes *mediorum* seu personarum, quae sunt tamquam intermedia inter spiritus et eos, qui cum spiritibus, e. g. cum anima patris vel matris, communicare volunt.

Haec spirituum consultatio est *prorsus illicita*, utpote vera divinatio. Impium sane et blasphemum foret asserere, bonos spiritus intervenire puerilibus hominum ludis, eorum vanae voluntati obtemperare, et stultae curiositati satisfacere. Id solus facit diabolus, decipiendi et perdendi homines causa. Quinimo haec superstitio est aliis pejor; subvertit enim dogmata catholica, praesertim dogma de inferni aeternitate.[3]) — Quapropter S. Officium die 2. Aprilis 1864 omnia hac de re scripta gravissime proscripsit.

Nefas quoque est, consultationi spirituum interresse, etiam sola curiositatis causa, propterea, quod nunquam licet animum in evidenter mala relaxare.[4]) II. Irreligiositas.

II. ***Irreligiositas,*** seu *impietas,* est irreverentia specialis, quae Deo vel *immediate* in se, vel *mediate* in personis aut rebus sacris irrogatur. *Immediate Deo irreverentia* irrogatur: *tentatione Dei, vana sanctissimi Nominis usurpatione, blasphemia, perjurio* et *violatione votorum; mediate* vero: *sacrilegio* et *simonia.* Ex his peccatis tentatio Dei, sacrilegium et simonia prohibentur primo decalogi praecepto, reliqua secundo. Cum de perjurio et violatione votorum jam alio loco necessaria dicta sunt, hic reliquae tantum irreligiositatis species considerandae sunt.

---

[1]) Acta S. Sedis Vol. I. pag. 177. [2]) Cfr. Konings n. 342. [3]) Cfr. Perrone, prael. de virt. Relig. P. II. sect. 2. [4]) Quoad magnetism. animal. cfr. Linzer Quartalschrift 1880, pag. 307. sqq. De Hypnotismo cfr. Thomasblätter, Heft 13, 14, 15, 16, 17 etc. Cfr. etiam Zeitschrift für kathol. Theol., Innsbruck 1880, pag. 662 sqq. et 1881, pag. 85 sqq. „Spiritismus u. das Christenthum."

1. Tentatio Dei:

1. ***Tentatio Dei,*** est dictum vel factum, quo quis absque justa causa experiri intendit Dei scientiam vel potentiam per effectum extraordinarium a Deo exspectatum. — *Ex duplici vitio procedere potest: vel ex infidelitate,* quando quis, dubitans de aliqua Dei perfectione, Deum tentat, et haec est *tentatio Dei stricte talis* seu proprie dicta; vel *ex mera praesumptione seu nimia confidentia,* cum quis sine justa utilitatis aut necessitatis causa exspectat a Deo, seu etiam petit a Deo, vel voluntatis suae vel alterius rei miraculosam declarationem; dicitur haec *tentatio Dei minus stricte talis* seu minus proprie dicta.

Utraque Dei tentatio fit duobus modis:

a) Expressa seu formalis.

a) Expresse seu formaliter, cum quis per ea, quae facit aut dicit, intendit expresse experimentum sumere Dei scientiae, potentiae vel voluntatis, ut e. g. si quis in puteum se praecipitaret ad explorandam Dei misericordiam seu erga se providentiam.

b) Interpretativa seu virtualis.

b) Interpretative seu virtualiter, cum quis, etsi non intendat experimentum de Deo sumere, aliquid tamen dicit aut facit ad nihil aliud utile, nisi ad probandam Dei vel bonitatem vel voluntatem etc. Quando vero propter aliquam necessitatem vel utilitatem committit se aliquis divino auxilio in petitionibus et factis, hoc non est Deum tentare; idem valet, si quis ex divina inspiratione tale signum vel auxilium a Deo humiliter exspectat, uti legimus de Abraham.

Tentatio Dei formalis est peccatum mortale ex toto genere suo; interpretativa est peccatum mortale ex genere suo, admittens quandoque parvitatem materiae. Et quidem in individuo tentatio Dei peccatum mortale est:

α) Quando procedit ex crassa ignorantia, vel dubitatione eorum, quae quis scire tenetur, uti Dei potentiae, providentiae, misericordiae etc.

β) Quando est conjuncta gravi periculo vitae aut enormis laesionis; uti si in morbo periculoso recuses omnia remedia, exspectans a Deo vel conservationem vel sanationem miraculosam; vel si potens fuga tueri vitam, te multis invasoribus opponis, sperans a Deo extraordinarium auxilium; vel si te sine causa offers martyrio, i. e. quando nec adest necessitas ad vitandam Dei inhonorationem vel ad exaltandam fidem et Dei gloriam, nec habetur specialis Dei inspiratio.

γ) Si sine necessitate petantur vel exspectentur miracula, e. g. qui absolute petit a Deo miraculum ad convertendos infideles, cum sufficiant fidei nostrae testimonia et auxilia Dei ordinaria. Ex hac ratione etiam peccaminosa erant, et ad Dei tentationem spectabant purgationes vulgares olim adhiberi solitae, sic dicta „Judicia Dei" seu „Ordalia"; nam illas adhibere perinde est, ac indiscriminatim a Deo exspectare miracula. Nec refert, quod Deus olim videatur his purgationibus favisse per miracula; id enim factum est, si factum sit tamen, vel ob simplicitatem illius saeculi, cum multi, etiam Episcopi putarent, eas in aliquibus eventibus esse

licitas; vel ob simplicitatem innocentium, qui ad has purgationes cogebantur; vel denique quia Deo inspirante eas subierunt.

δ) Si adsit scandalum grave aliorum.

Extra hos casus regulariter est tantum peccatum veniale; ut si in morbo periculoso recuses remedia, quia ea putes insufficientia, et potius speras te a Deo servandum, aut confidis in vi naturae et constitutionis tuae, non tamen petens aut exspectans miraculum; item si non praeparatus irreverenter oras, sperans te impetraturum a Deo, quae communiter rogari et impetrari solent; vel si absque praeparatione velis concionari, a Deo sperans speciale lumen, vel confidens in tua loquacitate; etc.

2. ***Vana s.s. Nominis usurpatio:*** est appellatio sanctissimi Nominis Dei, vel Jesu sine rationabili causa, vel sine debita reverentia. Hoc autem praesertim triplici modo fieri solet, scilicet: *ex impatientia* aut *indignatione* in creaturas etiam inanimatas, aut in seipsum; e. g. Deus meus! — vel *ex admiratione* per modum exclamationis, e. g. o mi Deus! vel *superflue* plerumque ex mera formula, seu ex levitate vel ex quadam consuetudine, e. g. si dicitur: Jesus, Maria! Haec vana usurpatio Nominis divini est peccatum contra Religionem, quia in ea sanctum et terribile Nomen Dei veluti quid profanum habetur, adeoque reverentia Deo debita violatur; *non tamen excedit veniale peccatum,* secluso scandalo gravi, contemptu, vel periculo blasphemandi; *imo saepe omni culpa vacare potest* propter inadvertentiam.

2. Vana usurpatio s.s. Nominis.

Idem servata proportione valet etiam de vana usurpatione nominum Sanctorum, quia sane reverentiae Sanctis debitae repugnat, eorundem nomina leviter assumere. Idem denique dicendum de vano usu verborum sacrae Scripturae.[1])

Usurpatio frequens et inutilis nominis daemonis per se peccatum non est, si fiat sine imprecatione, licet plures teneant, esse veniale. Reprobanda tamen est daemonis frequens usurpatio ut minus decens in ore Christianorum, praesertim in sacerdotibus, qui ratione scandali interdum etiam gravius peccare possent.

3. ***Blasphemia:*** *est locutio vel actio contumeliosa in Deum.*[2]) Committi ergo potest non solum verbis, sed etiam mente et opere, seu signis, gestibus, literis, imaginibus etc. — Dicitur autem id Deo contumeliosum, quod vel natura sua, vel ex communi hominum judicio, vel ex modo loquendi vel agendi, vel ex circumstantiis Dei inhonorationem importat.

3. Blasphemia.

Blasphemia varie distinguitur, et quidem:

Distinctio blasphemiae: a) Ratione objecti.

a) Ratione objecti alia est *immediata,* quae Deum in se inhonorat; alia *mediata,* quae Deum inhonorat in Sanctis, vel in aliis nobilioribus creaturis, quae peculiarem ad eum relationem habent. An blasphemia immediata a mediata specie differat, controvertitur, utraque sententia est probabilis.

---

[1]) Cfr. Trident. Sess. IV. Decret. de usu s.s. Libror. [2]) Cfr. August. L. II. de moribus Manich. cap. 11.

b) Ratione intentionis.

b) Ratione intentionis alia est *directa,* quae nempe Deum directe, et formaliter aggreditur, ex intentione ipsum inhonorandi; haec dicitur etiam *diabolica;* alia est *indirecta,* quae advertenter quidem, e. g. in motu irae, profertur, sed absque directa intentione inhonorandi Deum. Prior procedit saepe *ex odio vel contemptu Dei,* quae circumstantia, ut patet, in confessione exprimenda est.

c) Ratione verborum.

c) Ratione verborum blasphemia est vel *haereticalis,* vel *imprecativa*, vel *mere probrosa seu dehonestativa; quae distinctio est specifica*, quia praeter Religionem primus modus blasphemandi laedit etiam fidem, et secundus caritatem; — *haereticalis* est illa, quae continet haeresim, uti e. g. si quis dicat: Deus non vult aut non potest nos adjuvare; B. Virgo est mulier sicut caeterae etc. *Imprecativa* est, qua quis Deo malum exoptat, e. g. si quis dicat: pereat Deus! utinam Deus non esset! maledictus Deus! *Mere probrosa seu simplex* est, qua quis per modum contumeliae et irrisionis aliquid de Deo pronuntiat; talis fuit illud Juliani Apostatae: „Vicisti Galilaee!" et istud irrisorum Christi: „Ave Rex Judaeorum;" item si mors, caput, sanguis, viscera Christi ex ira, vel joco contumeliose nominantur; item velle aliquid agere invito Deo; spuere in coelum, conculcare sacras imagines, coronas etc.

Omnis blasphemia est peccatum mortale ex genere suo, et quidem gravissimum. „Nihil horribilius, ait s. Hieronymus,[1]) blasphemia, quae ponit in Excelsum os suum." Imo blasphemia in Deum non admittit parvitatem materiae; juxta multos vero blasphemia in Sanctos parvitatem materiae admittit, uti e. g. si quis sine contemptu vel odio, ex joco tantum sanctos Crispinum et Crispinianum appellet *sutores.* Uti per se patet blasphemia etiam *venialis* fieri potest ex imperfectione actus, scilicet ex defectu advertentiae, aut perfecti consensus; uti si quis e. g. ex doloris impetu dicat: „Deus est mei immemor;" imo talis non blasphemat formaliter, si desit intentio blasphemandi.

Ceterum ad blasphemiam *non requiritur expressa et explicita intentio Deum inhonorandi,* sed *sufficit virtualis et implicita,* qualis habetur in illo, qui ex joco aut ira profert advertenter verba vere blasphematoria; excipe, nisi jocus tollat omnino rationem contumeliae in Deum.

Ad discernendum, quibusnam, inter varias locutiones, quae usurpari solent, verae blasphemiae ratio insit, juvare possunt regulae sequentes:

α) Si qua locutio, vel ex se, vel ex communi aestimatione habet *sensum contumeliosum in Deum,* semper erit blasphemia; hinc blasphemat, qui dicit: „perdat te Dei sanguis, vulnera, mors Dei, passio, Sacramenta et similia sacra.

β) Si locutio non habet *sensum completum*, non est blasphemia, nisi indignatio directa sit contra Deum; unde e. g. locutiones „nom de Dieu!" „Sacre nom!" per se sunt tantum peccata venialia

---

[1]) In Isai. Lib. VII. c. 18. Cfr. etiam s. Thom. 2. 2. q. 13. a. 3.

propter impatientiam et vanam divini Nominis usurpationem; possent tamen gravia fieri propter periculum incidendi in blasphemiam. — Similiter non est blasphemia, sed vana usurpatio Nominis divini, nude proferre verba sacra, e. g. mortem Dei, vulnera, Sacramenta, si iracundia non in Deum, sed in hominem vel jumentum tendat, quod quidem ex modo loquendi, et ex aliis adjunctis colligendum est. — Nec est blasphemia, verba dimidiata aut corrupta proferre, ut e. g. „Saperment," „Sacra," „Sacradie" etc. — aut dicere contra homines: „sangue di Dio," „corpo di Dio," nisi indignatio sit directa contra Deum.

γ) Maledicere *creaturis, in quantum habent specialem relationem ad Deum*, est blasphemia: secus non. Hinc blasphemia est, maledicere Sanctis, Sacramentis, diebus vel rebus sacris, fidei catholicae, Ecclesiae Dei, aut etiam sacerdotibus, quatenus sunt ministri Dei. — Maledicere autem creaturis, in quantum sunt creaturae, non est blasphemia, nisi addatur vocabulum *Dei*, e. g. „maledicta pluvia Dei"! aut nisi divina potentia modo peculiari in eis reluceat, prout sunt anima, coelum, paradisus, totus mundus etc., quo in casu foret blasphemia, quia in ipsis Deus indirecte contemneretur. — Maledicere homini, vivo vel defuncto, quin proferatur verbum *anima*, non est blasphemia, nisi dicentis intentio maledictionem in animas referat. — Item, in ira imprecari *sibi* vel *aliis* daemonem, fulgura etc., vel dicere: „damnet me, damnet te Deus," non est blasphemia, sed dira *imprecatio*, quae plerumque ob indeliberationem, vel defectum seriae voluntatis, non est, nisi culpa venialis; mortalis tamen est, si subditi Superioribus, filii parentibus sic maledicant, praesertim in faciem, quia debita eis reverentia graviter laeditur.

δ) *In dubio*, utrum aliqua locutio sit blasphematoria, non est per se ut talis habenda, sed attendendum est ad proferentis conscientiam. Generatim inter blasphemias non recensentur locutiones *juratoriae*, etsi vanae, quae vacant omni contumelia in Deum, in Sanctos, aut in Sacra; e. g. „per Deum," „per Sacramenta" etc.

ε) *Qui consuetudine blasphemandi laborant*, tenentur sub gravi operam navare ad eam exstirpandam, alioquin toties peccant, quoties advertenter id omittunt. Si vero operam adhibeant, et tamen interdum relabantur, poterunt a mortali excusari, non vero, saltem *ordinarie*, a veniali, quia vix non aderit aliqua advertentia, saltem confusa, ad malitiam verborum.[1])

4. ***Sacrilegium:*** est violatio, seu indigna tractatio Sacri. Sacrum autem reputandum est id omne, quod ad divinum cultum ordinatur, et triplex est, nimirum persona sacra, locus sacer et res sacra; ergo etiam triplex sacrilegium. 4. Sacrilegium.

a) ***Sacrilegium personale*** est actus, quo persona sacra violatur. Personae sacrae dicuntur, quae sunt Deo dicatae, sive per sacram ordinationem, sive per statum religiosum, sive a) Sacrilegium personale.

---

[1]) S. Alph. L. IV. n. 127. Suarez, De relig. tract. 3. Lib. I. cap. 4.—7.

etiam, saltem probabilius per votum simplex castitatis. Hoc sacrilegium committitur:

α) Percussione clerici vel religiosi, seu qualibet vi, quae iisdem infertur contra privilegium *canonis.*

β) Productione clerici ad tribunal saeculare, contra privilegium *fori.*

γ) Impositione servilis oneris, e. g. militiae, tributi, facta clerico contra privilegium *immunitatis* personalis.

δ) Violatione luxuriosa personae Deo per votum *castitatis* sacratae.

Non autem fit sacrilegium detrahendo sacerdoti, vel ei aliquid defraudando, quia ejus persona tantum est sacra, et non ejus fama, nec ejus marsupium seu crumena.

b) Sacrilegium locale.

b) ***Sacrilegium locale,*** est violatio loci sacri. Loca sacra in *sensu stricto* sunt: Ecclesia (a tecto inferiori usque ad pavimentum) et quivis locus ab Episcopo benedictus et ad officia divina deputatus; dein coemeterium benedictum. In *sensu latiori* prout *jus asyli* eis competit: coemeteria (etsi polluta) ecclesiae nondum consecratae aut benedictae, sacristia, turris, atrium, ambitus ecclesiae contiguus, monasteria, palatium Episcopi, domus parochialis, hospitia auctoritate Ecclesiae erecta. Non vero oratoria privata.

Hoc sacrilegium committitur:

α) Peccatis omnibus, quibus ecclesia vel coemeterium *polluitur* de jure canonico, scilicet effusione sanguinis vel seminis humani illicita, homicidio, sepultura excommunicati vitandi vel infidelis, vel infantis non baptizati. Probabilius etiam omnes actus externi imperfecti graviter turpes, uti tactus, aspectus, sermones in ecclesia habiti, sacrilegia sunt.[1])

β) Peccatis omnibus, quae fiunt contra sanctitatem loci sacri *stricte dicti*, ut sunt effractio, spoliatio, incendium, furtum (probabilius etiam rei non sacrae seu profanae, quia dicitur absolute in jure canonico „sacrilegium committitur auferendo sacrum de sacro, vel non sacrum de sacro, sive sacrum de non sacro“) rixae, stabulationes equorum, hisque similia jam ipso jure naturae prohibita.

γ) Actibus profanis, qui lege *immunitatis* prohibentur, ut sunt deambulationes in loco sacro (stricte sumpto), mercatus, comestiones, conclamationes, strepitus judiciorum saecularium, nisi justa excuset causa, ut e. g. si desit alius locus idoneus. Aliqua autem moderata deambulatio in ecclesia, aut privata comestio, etiam sine necessitate, non videtur grave peccatum, si absit scandalum, clamor et contemptus.

δ) Violatione *juris asyli,* i. e. si violenter aut fraudulenter e loco sacro (etiam late sumpto) extrahantur personae eo confugientes, et legitimo refugio gaudentes.

Notandum tamen est, quod per actus mere internos non violatur sanctitas loci, ideoque non committit sacrilegium, qui

---

[1]) Cfr. S. Alph. L. IV. n. 459. et 461. H. A. tr. 9. n. 22.

e. g. in ecclesia habet desiderium occidendi hominem, vel fornicandi extra illam; secus si quis extra ecclesiam proponit occisionem vel fornicationem in ecclesia. Ita Salmanticenses cum aliis communiter.

c) Sacrilegium reale.

c) ***Sacrilegium reale*** est actus, quo violatur res sacra, quae hic intelligitur ceu distincta a personis et locis sacris. Res sacrae dicuntur ea omnia, quae ad divinum cultum sunt ordinata, et quae quidem vel *sanctitatem producunt*, nempe Sacramenta, imprimis s.s. Eucharistiae Sacramentum; vel *ad sacra peragenda inserviunt*, ut altaria, vasa sacra; vel *sacrum significant*, ut verba s. Scripturae, Hymni, sacra Nomina Christi et Sanctorum, vel *sacrum repraesentant*, ut crux et imagines Christi et Sanctorum; ritus et caeremoniae; vel *ad conservanda loca sacra et ad sustentandos ministros sacros deputata sunt*, uti bona ecclesiastica. S. Thomas.

Committitur ergo hoc sacrilegium:

α) Omni injuria omnique abusu Sacramentorum, cum nempe in peccato mortali administrantur, recipiuntur, aut aliter indigne tractantur; seu si quis infra mediam horam post s. Communionem se polluat, uti communiter dicunt.[1]) Item s.s. Eucharistiam neglectis clavibus non satis custodiendo; corruptionem particularum in ciborio, vel hostiae grandioris in Ostensorio permittendo.

β) Vasa sacra, corporalia, vestimenta, altaria non servando munda et integra, aut adhibendo indecora; vasa sacra aut ornamenta, quae consecrari aut saltem benedici solent, adhibendo in usus profanos aut ad ludrica. Licitum tamen est, vasa et vestes sacras in usum profanum convertere, si res totaliter immutetur, ita, ut ad communem materiam redeat, sicut si calix igne ad communem massam argenti reducatur.[2])

γ) Sacram Scripturam scienter pervertendo e. g. ad stabiliendas haereses, vel eam adhibendo et detorquendo ad jocos, praesertim inhonestos, facetias et amatoria. Huc etiam referri potest, omnis irreverentia, quae committitur in recitando divino Officio, sacris caeremoniis subeundis, in musica lasciva aut profana rebus divinis adhibita. — Item sacras imagines et reliquias indigne tractando, e. g. eas conculcare, conspuere etc., item furando res sacras, e. g. reliquias, vasa sacra etc.

δ) Laedendo bona ecclesiastica, nempe ea, quae pertinent ad fabricam Ecclesiae, vel ad sustentationem ministrorum Ecclesiae, ita, ut de iis pro suo arbitrio disponere nequeant; item defraudando, usurpando jura Ecclesiae.

Sacrilegium est peccatum mortale ex genere suo, quia dum sacra indigne tractantur, gravis in Deum irreverentia redundat. Et quidem sacrilegium, quod fit ex directa et formali intentione res sacras inhonorandi, est semper mortale, propter contemptum for-

---

[1]) S. Alph. L. IV. n. 463. [2]) Cfr. sacrilegium reale quoad paramenta, Linzer Quartalschrift 1877, pag. 21 sqq. et pag. 193 sqq.

malem rei sacrae, qui reducitur in Deum. Si vero fiat ob alium finem, admittit parvitatem materiae, ad quod discernendum tenenda est regula s. Thomae, nimirum: „Tanto sacrilegium est gravius, quanto res sacra, in quam peccatur, majorem obtinet sanctitatem;“ adde: „et quo gravior est profanatio;“ sic e. g. furtum leve in loco sacro, ubusus verborum s. Scripturae ad jocum non inhonestum etc., est veniale; grave autem sacrilegium committit, qui furatur Reliquiam, etiam in parva quantitate, si sciat, dominum ob hoc esse valde contristandum.

Quia alia est sanctitas personae, alia loci, alia rei, ideo sacrilegium specie differt, prouti personam sacram, locum sacrum aut rem sacram afficit.

In nonnullas sacrilegii species a Concilio Tridentino et Constitutione „Apostolicae Sedis“ gravissimae poenae statutae sunt, uti dicetur in jure canonico.

5. Simonia.

5. ***Simonia*** (a Simone Mago sic dicta), est studiosa voluntas emendi aut vendendi pretio temporali aliquid spirituale vel spirituali annexum. Ita s. Thomas.[1]) — Dicitur:

α) *„Studiosa voluntas,“* i. e. actus deliberatus voluntatis.

β) *„Emendi vel vendendi,“* quod significat quemcunque contractum onerosum, seu pactum sive explicitum seu expressum, sive tacitum, alium obligandi ad dandum spirituale pro temporali, vel vice versa.

γ) *„Pretio temporali,“* sub quo comprehenditur non solum omnis pecunia, sed etiam quidquid pecunia est aestimabile, ut est *munus a lingua, munus a manu* et *munus ab obsequio.*

δ) *„Aliquid spirituale,“* per quod intelligitur omne id, quod vel ex se, vel ex institutione Dei aut Ecclesiae ad salutem spectat; ut Sacramenta, sacramentalia, consecratio ecclesiae, altaris, calicis etc., benedictiones, functiones sacrae, dispensationes.

ε) *„Vel spirituali annexum,“* i. e. temporale, quod cum re spirituali adjungi potest, et quidem vel *antecedenter*, vel *concomitanter*, vel *consequenter.*

Distinguitur *simonia juris divini*, quae prohibetur jure naturae ob malitiam suam intrinsecam, et est ipsa venditio vel emtio rei spiritualis quatalis; et *simonia juris ecclesiastici*, quae ideo mala est, quia vetatur jure canonico, et est quaevis pactio, datio et acceptatio prohibita ab Ecclesia, quatenus simoniacam labem redolet, vel simoniae habet periculum.

Utraque haec simonia est vel *mentalis*, si fiat interne, absque pacto externo manifestato; vel *conventionalis*, si pactum externum, saltem implicitum, intervenerit, sed a neutra parte executioni mandatum est; vel *realis*, si pactum effectu completum sit, saltem inchoate, et ex utraque parte; In materia beneficiaria datur simonia *confidentialis*, quae fit in provisione beneficiorum, et quidem vel *per accessum*, vel *per ingressum*, vel *per regressum*, vel denique *stipulatione pensionis.*

---

[1]) 2. 2. q. 100. a. 1.

a) ***Simonia juris divini:*** ad hanc requiritur, ut adsit materia spiritualis aut spirituali annexa; ut pretium sit temporale; et ut habeatur permutatio rei spiritualis cum pretio seu re temporali. — Hinc simonia juris divini est:

a) Simonia juris divini.

α) *Dare aliquid temporale tamquam pretium rei spiritualis.* — *Non autem est simonia,* permutare res spirituales inter se; vel dare gratis aliquid temporale pro spirituali; vel dare eleemosynam pauperi, ut pro dante oret; vel alicui beneficium ob carnalem affectionem conferre, modo collator non intendat aliquod temporale; vel ludere precibus etc.

β) *Dare principaliter, etsi non unice temporale ob spirituale, vel contra.* — *Econtra non est simonia,* si quis serviat patrono vel episcopo primarie ad conciliandam ipsius benevolentiam, et *secundarie* ad obtinendum beneficium.

γ) *Si datur temporale, per quod directe et proxime via ad obtinendum spirituale paratur;* e. g. dare pecuniam competitori, ut desistat a concurrentia ad beneficium. — *Secus autem, si temporale valde remote sternit viam ad obtinendum spirituale;* sic e. g. si quis per diffamationem patronum impediat, quominus te eligat ad beneficium, potes diffamatori dare pecuniam, ut ab illa cesset diffamatione.

δ) *Dare pro pretio temporali temporale annexum spirituali concomitanter;* hinc nefas est e. g. pro administratione Sacramentorum, pro concione etc. aliquod pretium exigere. — *Non vero simonia est, et proin licitum, accipere aliquid in s. ministerio pro labore extrinseco,* seu sine quo ministerium et functio spiritualis in se adhuc fieri potest; *item ratione stipendii seu sustentationis,* ut ex praxi Ecclesiae constat.[1])

ε) *Dare pro pretio temporali temporale annexum spirituali consequenter*; hinc nefas est, vendere jus ad reditus beneficii. — *Econtra non est simonia, pro pretio temporali dare temporale annexum spirituali antecedenter, modo pretium ratione spiritualis annexi non augeatur;* hinc licet vendere et emere ceram benedictam, sacras reliquias pretiosis capsulis inclusas, vasa sacra etc.

b) ***Simonia juris humani*** adest, cum res spiritualis aut huic annexa datur pro alia itidem spirituali, seu huic annexa, prout contingit in permutatione beneficiorum absque superiorum auctoritate; vel etiam cum res per se temporalis datur pro pretio temporali, prout accidit, si quis emat officium oeconomi, thesaurarii etc. Ecclesia istius modi permutationes, emptiones et venditiones interdixit ex motivo religionis et reverentiae erga sacra, necnon ad speciem et periculum irreverentiae erga res sacras praecavendum.

b) Simonia juris humani.

Simonia juris humani committi potest:

α) Beneficia commutando, in alterius favorem resignando, aut pensiones reservando sine licentia Episcopi.

---

[1]) S. Thom. 2. 2. q. 100. a. 2. S. Alph. L. IV. n. 55. et 96.

β) Aliquid dando vel accipiendo occasione examinis pro munere parochiali.

γ) Vendendo oleum benedictum aut s. chrisma, etiam secundum speciem suam physicam; nisi consuetudo contraria invaluit.

δ) Vendendo aut emendo partem coemeterii; sed ex consuetudine pro loco materiali aliquid exigi potest; licitum etiam est, emere jus sepulchri.

ε) Vendendo aut emendo officia procuratoris, sacristae, oeconomi aut defensoris ecclesiastici.

ζ) Exigendo pecuniam pro admissione in ordinem religiosum, nisi lex vel consuetudo, vel paupertas monasterii excuset. Moniales vero ab ingredientibus indiscriminatim dotes accipere possunt.

Simonia est peccatum gravissimum, speciem sacrilegii realis habens, et si sit juris divini et naturalis, materiae parvitatem non admittit, simonia juris humani tamen parvitatem materiae admittit; imo juxta Ballerini parvitas oblati muneris etiam in simonia juris divini a gravi peccato excusare potest.

Ob gravitatem hujus criminis Ecclesia in simoniacos, qui simoniae realis et confidentialis rei sunt, etiam gravissimas poenas statuit, ut in jure canonico, ubi de simonia fusius tractatur, videndum est.[1])

Caput II.

Officia erga nosmetipsos.

Praenotanda.

In capite praecedenti breviter exposuimus, quomodo amor Deo debitus, fide fundatus et spe firmatus, manifestari ac comprobari debeat. In praesenti capitulo officia, quae nobismetipsis debentur, paucis lustraturi sumus. Quia caritas juxta principia religionis nostrae est summa et quasi compendium reliquarum virtutum, ideo officia erga propriam personam non sunt, nisi exhibitiones et manifestationes dilectionis secundum christianam doctrinam nobismetipsis debitae, adeo, ut omnia, quae nos circa nostram personam agere vel omittere oportet, ad justum sui amorem referantur. Unusquisque enim semetipsum non propter se, sed propter Deum, ut aliquid ipsius Dei, ex caritate diligere debet. Suntque

---

[1]) Cfr. de peccatis contra religionem: S. Alphons. L. III. 2.—130. Reiffenstuel tr. 5. q. 1.—6. Billuart tom. 12. diss. 7.—11. Müller II. §. 68.—80. Lehmkuhl I. 351.—404. Marc P. II. 554.—599. et plur. alios.

omnia officia caritatis erga nosmetipsos partim *generalia*, partim *specialia*. Hinc materia hujus capitis in duos articulos dispescitur.

Articulus I.

Officia generalia erga nosmetipsos.

§. 18. Caritas erga nosmetipsos generatim.

1. ***Obligatio nosmetipsos diligendi*** patet ex verbis Christi: „Diliges proximum tuum, sicut teipsum.“[1]) Ut vero haec dilectio seu amor suiipsius rationem caritatis habeat, nosmetipsos propter Deum, et in Deo, et quasi Deum in nobis diligere debemus. S. Thomas dicit: „Quisque debet seipsum diligere propter Deum sicut propter finem.“[2]) — 1. Obligatio et natura caritatis erga nosmetipsos.

Caritas divina seu theologica, uti dictum est, verus amor amicitiae est, quo Deum tamquam amicum propter se dilectum amplectimur, eaque in intima illa conjunctione seu communicatione fundatur, per quam Deus nos suos familiares suaeque naturae participes, adeoque filios adoptivos atque membra familiae divinae constituit. Quoniam autem amicitia cum amico omnia, quae ad amicum pertinent, omnemque ejus familiam eodem amicitiae affectu prosequitur, facile patet, nos posse tum proximum tum nosmetipsos tamquam aliquid Dei atque partem divinae familiae diligere.

Et quia Deus ipse hanc sublimem elevationem et unionem secum habendam pro fine nobis constituerit, manifestum est, non solum nos *posse*, sed nos *debere* nosmetipsos caritate diligere.

Nosmetipsos autem propter Deum et in Deo ex caritate diligimus, si omnia ea diligimus et aestimamus, quae Deus ipse in nobis diligit et aestimat; ea autem odio habemus et exstirpare conamur, quae Deo in nobis displicent. Hinc verus et genuinus suiipsius amor sibi conjunctum habere debet justum odium suiipsius, quantum ad ea, quae Deo et saluti animae nostrae contraria sunt. In hoc sensu s. Augustinus dicit: „Si male amaveris, tunc odisti; si bene oderis, tunc amasti.“[3])

2. ***Ambitus caritatis erga nosmetipsos*** est amplissimus; illa etenim exposcit, ut nosmetipsos secundum omnia bona, nobis a Deo concessa aut concedenda diligamus. Cum vero ista bona diversi ordinis sint, recta ratio semetipsum diligendi exigit, ut nosmetipsos magis diligamus secundum bona superioris ordinis, quam secundum ea, quae inferioris ordinis sunt. Hinc nosmetipsos praeprimis diligere debemus quoad animam, et quoad ea omnia, quae ad salutem animae spectant; deinde quoad bona corporis nostri; denique quoad bona externa, scil. quoad famam et fortunam nostram. — 2. Ambitus hujus caritatis.

a) Amor suiipsius quoad animam in eo se manifestare debet, ut bona spiritualia, scil. gratias et virtutes prae ceteris bonis desideremus, atque ad ista bona acquirenda et custodienda — a) Amor suiipsius quoad animam.

---

[1]) Matth. XXII. 39. [2]) 2. 2. q. 44. a. 7. [3]) In Joann. tr. 51. n. 10.; cfr. Joann. XII. 25.

vires nostras quam maxime intendamus; nam hoc omnium primum et gravissimum officium est, ut animam nostram salvemus. „Quid enim prodest homini, si mundum universum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur?"

b) Amor suiipsius quoad corpus.

b) Amor suiipsius quoad corpus in eo se manifestare debet, ut bona corporalia, scil. vitam et sanitatem, debito modo aestimemus, et prudenter custodiamus.

c) Amor suiipsius quoad bona externa.

c) Amor suiipsius quoad bona externa in eo se manifestare debet, ut etiam bonae famae moderate consulamus, nec reliqua bona temporalia negligamus, ita tamen, ut haec omnia ad salutem animae nostrae et ad gloriam Dei referre studeamus. S. Bernardus dicit: „Diligatur corpus et universa corporis bona tantum propter animam, anima propter Deum, Deus autem propter semetipsum."[1])

Ex dictis patet, quod nosmetipsos modo prorsus perverso diligere possimus. Hoc autem contingit, si in nobis aliquid diligimus, quod haud diligendum, sed potius odio est habendum; vel si bonum aliquod ordinis inferioris diligimus cum manifesto damno alicujus boni, quod altioris ordinis est.[2])

Ut ergo homo semetipsum rite et recte diligere queat, praeprimis opus est, ut *se cognoscat;* per rectam suimet cognitionem ex una parte exoritur *aequa sui aestimatio*, ob dignitatem et nobilitatem naturae suae; ex altera parte *christiana sui abnegatio,* ob corruptionem suae naturae; quae corruptio constat potissimum *superbia* et *sensualitate,* quae proinde refrenandae et coercendae sunt.

§. 19. Recta sui cognitio.

1. Notio rectae suiipsius cognitionis.

1. ***Notio rectae suiipsius cognitionis:*** Recta suiipsius cognitio in eo consistit, ut in lumine veritatis intelligamus, quales simus et quales esse debeamus, considerato fine, ad quem destinati sumus.

Recta igitur suiipsius cognitio requirit, ut cognoscamus finem, ad quem creati sumus, unacum mediis, quae Deus ad consequendum istum finem homini praeparavit; ut cognoscamus naturam humanam, per peccatum lugubriter corruptam, sed Dei miserentis consilio denuo restauratam, ita tamen, ut ipsis spiritu sancto renatis prava concupiscentia cum agmine copioso illecebrarum peccandi inhaereat; ut denique cognoscamus individualem indolem nostram et qualitatem moralem, quaeque propensiones et infirmitates nobis propriae sint; seu breviter, per rectam suimet cognitionem intelligimus summam earum notionum, quas homo de naturae et personae suae indole, conditione ejusque statu integro attenta satis contemplatione sibi comparavit.

2. Necessitas hujus cognitionis.

2. ***Necessitas hujus cognitionis*** adeo ex rei natura illucescit, ut ipsi philosophi gentiles nihil, quod homini prius esse debeat, arbitrati sint, quam „γνωθι σεαυτον". Et sane, justa cognitio

---

[1]) De dilig. Deo c. 14. [2]) Cfr. Staller I. tr. 1. §. 13.

sui est reliquorum erga se officiorum primum, atque horum rite explendorum basis et necessaria conditio, quin et officiorum, quae Deo et proximo debentur, subsidium praestantissimum. Quomodo enim quis seipsum, sicut oportet, diligere, dotes suas rite excolere, naevos et menda sua corrigere, officia sua rite adimplere et semet convenienter ad finem suum disponere poterit, ubi sibimetipsi terra incognita est?

3. ***Subsidia rectae sui cognitionis.*** At, quam maximi momenti sit haec sui cognitio, propter naturam nostram per peccatum lugubriter corruptam, tamen res *difficillima* est; nam licet sat perspicaces simus in deprehendendis aliorum defectibus, ad propria vitia tamen advertere aut negligimus, aut reformidamus. Hinc praecipua subsidia ad rectam sui cognitionem conducentia adhibeamus necesse est, quae sunt potissimum sequentia: 3. Subsidia rectae sui cognitionis.

a) Sedula ac deliberata observatio naturae humanae, quam partim attendendo ad eorum, quibus arctiori societate jungimur, sentiendi agendique modum, partim historiae monumenta scrutando eventuumque inter homines causas indagando ac comparando haurire licet.

b) Frequens et seria attentio ad ea omnia, quae animo aguntur nostro; ad cogitata, ad sensa, ad arcana etiam desideria, ad momenta actionum, recondita saepe et fallaci honestatis velo non raro obtecta, ad propensiones etiam animi ac passiones, quarum maxime imperiis voluntas obedire assuevit, ut ex hac curata et severa investigatione vitae non tantum appareat, quid cavendum, quid emendandum, sed etiam quid roborandum, quid perficiendum sit. Ex quo patet, quam maxime necessarium sit examen tum *generale,* tum *particulare,* de quo fusius Ascetae loquuntur.

c) Diligens ac severa probatio judiciorum, quae alii, tum amici, tum inimici de nobis ferunt. Illud enim satis compertum est, quemlibet facilius multo defectus observare aliorum, quam suos.

d) Severa nostri cum aliis probatae vitae et virtutis hominibus comparatio, quae scilicet fiat, ut praeclara aliorum exempla, quae sive experimur, sive descripta legimus, nobismetipsis adhibentes vitae morumque discrimina facilius observare valeamus.

e) Studium assiduum parta quoquo modo sui cognitione utendi, tum ad honestatem augendam, tum ad vitia corrigenda. Quod enim si quis neglexerit, in toto semet pernoscendi studio incassum desudat, et „assimilatur viro, consideranti vultum nativitatis suae in speculo: consideravit enim se, et abiit et statim oblitus est, qualis fuerit.“[1])

f) Frequens oratio, ut detur nobis „de collyrio coelesti, quo inungantur oculi nostri.“[2])

Per rectam sui cognitionem quilibet in se *lumen* et *umbras* deteget; *lumen:* scilicet quam maximam dignitatem et nobilitatem naturae suae, Dei miserantis consilio restauratae; et *umbras:* scil.

---

[1]) Cfr. Jac. I. 23. sqq. [2]) Apoc. III. 18.

ingentem proclivitatem et corruptionem, pravam concupiscentiam cum agmine copioso illecebrarum peccandi, ipsius naturae inhaerentem. Unde quilibet ex una parte *ad sui aestimationem*, ex altera parte ad continuam *sui abnegationem* inducitur.[1])

§. 20. Aequa sui aestimatio.

1. Essentia aequae sui aestimationis.

1. ***Essentia aequae sui aestimationis:*** Recta sui aestimatio in eo consistit, ut bona a Deo nobis concessa magni habeamus, eaque conservare ac tueri studeamus, omnia repudiando, quae homine christiano indigna sunt, atque imaginem Dei in nobis deturpare possint.

Objectum formale.

Objectum formale, seu titulus hujus virtutis est ergo immensa dignitas hominis, quippe qui quoad animam secundum Dei imaginem est creatus, Christi sanguine redemptus, Spiritus Sancti gratia sanctificatus, et capax existit beatitudinis aeternae. — Ejusdem Corpus est instrumentum animae ad obsequium et honorem Deo praestandum,[2]) templum Spiritus Sancti, per baptismum sanctificatum, et capax quoque beatitudinis coelestis per redundantiam ex anima gloriosa in illud, uti s. Thomas dicit.

Objectum materiale.

Objectum materiale hujus virtutis est partim *negativum*, partim *positivum*. *Prius* consistit in eo, ut homo omnia vitare conetur, quae suae dignitati adversantur; ergo praeprimis quamlibet indignam sui abjectionem. — *Posterius* est ipsa sui aestimatio juxta dictamina rationis et fidei, ita, ut quilibet se tantum aestimet in bonis veris, et in iis etiam non ut in suis, sed ut in Deo: „In Domino gloria ejus.“

Oppositum.

Oppositum hujus virtutis est, uti ex dictis patet, *indigna sui abjectio*, dum nempe quis dignitatis suae oblitus, semetipsum contemnit, aut dignitatem suam per luxuriam, avaritiam, ebriositatem aliaque vitia degenerat; vel aliis turpiter adulatur, aut instrumenti instar impiis ipsorum consiliis famulatur. — Absit igitur illud, quod Psalmista dicit: „Homo, cum in honore esset, non intellexit; comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis.“[3])

2. Magnanimitas.

2. Ex recta sui aestimatione, quae est actus intellectus, in voluntate exoritur desiderium, naturae dignitatem et excellentiam conservare, tueri, imo et augere; et in eo consistit sic dicta ***magnanimitas***, quae est pars integralis seu potentialis fortitudinis, et definitur: „Virtus inclinans ad magna et heroica in omni genere virtutum opera magno honore digna.“ S. Thom.[4])

Objectum formale.

Finis principalis et objectum formale hujus virtutis est, tendere ad magna, magno honore digna, non quidem propter honorem, sed propter eorum excellentiam, ratione cujus sunt honore digna, et qua talia decent excellentiae naturae humanae.

Momentum hujus virtutis.

Momentum hujus virtutis per se patet, nam per magnanimi-

---

[1]) Cfr. Stapf. II. §. 260.—262. Staller II. tr. 4. §. 3. [2]) Rom. VI. 13.
[3]) Ps. XLVIII. 13. [4]) 2. 2. q. 129. a. 1. etc.

tatem ex una parte conatus diaboli elidantur, siquidem juxta s. Theresiam „diabolus potissimum timet magnanima corda;" ex altera parte Deus copiosissimis gratiarum divitiis talia corda adimplet.

Peccata opposita magnanimitati sunt: Peccata opposita.

a) *Per excessum: praesumptio*, quae et *praefidentia* dicitur, qua quis aggreditur vel aggredi contendit, quae sunt supra vires illius. Hoc peccatum est mortale, quando provenit ex errore culpabili circa fidem, aut quando fit cum damno notabili proprio vel alieno, ut in medicis, advocatis, confessariis etc., item in his, qui sine causa rationabili se occasionibus proximis graviter peccandi ingerunt, de suis viribus praefidentes. Extra hos casus praesumptio est tantum peccatum veniale. a) Per excessum.

b) *Per defectum: pusillanimitas*, qua quis refugit aggredi vel facere aliquid, quasi nimis magnum et superans ejus vires, cum revera non superet vires, quas habet, aut praesto habere potest per se vel per alios, praesertim per Deum. Est ex genere suo veniale; sed fit mortale, si quis detractat id, ad quod tenetur sub mortali. Hinc reprobatus est servus piger, qui deficiendi metu pecuniam domini sui absconderat in sudario.[1]) b) Per defectum.

3. Complementum magnanimitatis est sic dicta ***magnificentia***, quae itidem ad partes integrales seu potentiales fortitudinis pertinet. Est virtus inclinans voluntatem ad magna et sumptuosa opera facienda. S. Thom. Differt a magnanimitate ut species a genere, quia magnanimitas intendit magnum in omni materia, magnificentia vero in determinata et speciali materia, nempe in opere factibili. 3. Magnificentia.

Objectum formale seu motivum hujus virtutis est dignitas hominis. Objectum formale.

Objectum materiale sunt magna opera facienda, et quidem primo loco opera magnifica ad cultum divinum spectantia; dein opera magnifica, quae spectant ad bonum publicum, et tertio, quae pertinent ad bonum et usum proprium. Objectum materiale.

Peccata opposita magnificentiae sunt: Peccata opposita.

a) ***Per excessum:*** graece dicta *βαναυσια*, i. e. consumptio seu inepta operositas, cum scilicet aliquis excedit debitam proportionem expensarum ad opus, plus expendens, quam dignitas operis secundum rectam rationem exposcat; ut si quis e. g. convivis ignem ex cinamomo strueret, aut aureis clavis caligariis uteretur, aut tabacum fumigandum cum „Banknota" incenderet etc. a) Per excessum.

b) ***Per defectum*** sic dicta *parvificentia.* Parvificus intendit parvitatem operis, quia intendit parvitatem sumptus; opus quidem non recusat, dummodo parvum sumptum faciat; sicut si quis eleganti aedificio, puta templo, tectum stramineum b) Per defectum.

---

[1]) Cfr. s. Alph. L. II. n. 6. 67. S. Thom. 2. 2. q. 129.—133. Billuart tract. de fortitudine diss. 2. a. 2. et 3. Müller II. §. 160. Marc I. n. 405.

imponi velit, ut parcat sumptibus. Hoc vitium non est plusquam veniale; fieret vero mortale, si quis ex alio titulo, e. g. ex voto, poenitentia, vel vi testamenti ad opera magnifica obligaretur.[1])

§. 21. Christiana sui abnegatio.

1. Notio et necessitas abnegationis suiipsius.

1. ***Notio et necessitas abnegationis suiipsius.*** Abnegatio sui est studium perdurans et dominans, appetitiones naturales secundum normam voluntatis divinae moderandi; seu est ille habitus, quo appetitus inferiores spiritui, spiritum vero ipsum in omnibus Deo subjicere adnitimur.

Necessitas abnegationis suiipsius tam ex ejus notione, quam e testimonio s. Scripturae liquet. Scilicet postquam originaria tum directio tum harmonia stimulorum et appetituum disrupta et turbata fuit, aliud non restat, nisi ut illam adjuvante divina gratia omni conatu redintegrare studeamus. Ideo haec abnegatio sui cum studio virtutis plane coincidit nexuque inseparabili cohaeret; estque verissimum, quod venerabilis Thomas de Kempis dicit: „Tantum proficies, quantum tibi vim intuleris.“[2]) Unde etiam s. Scriptura hanc virtutem incessanter inculcat, ita quidem, ut haec sui abnegatio tamquam criterium discipuli Christi distinctivum proponatur.[3])

2. Ambitus hujus officii.

2. ***Ambitus hujus officii*** latissime patet. Scilicet haec sui abnegatio non solum appetitus inferiores, sed omnes omnino facultates nostras, omnes pravos affectus, et quidquid est hominis veteris, complectitur, ideoque petit, ut, quidquid ex libero nostro arbitrio pendet, ad normam divinae voluntatis restringere satagamus. Unde non sufficit, more Stoicorum, in sola subjugatione sensualitatis subsistere, sed oportet etiam spiritum humiliter Deo devovere, quia tumor animi superbientis non minus Deo nos exosos reddit, ac pruritus naturae animalis.

Hinc, quia ingens illa proclivitas ad nosmetipsos, *superbia* imprimis ac *sensualitate* constat, christiana sui abnegatio duo officia principalia in se comprehendit, scilicet refrenationem et coërcitionem superbiae et sensualitatis.

3. Exhibitiones abnegationis sui.

3. ***Exhibitiones abnegationis sui*** variae sunt et multiplices. *Superbia* nimirum refrenatur per *humilitatem* quoad partem rationalem, et per *obedientiam* quoad voluntatem. — *Sensualitas* seu appetitus sensuales refrenantur et coërcentur per sic dictam *continentiam.* „Qui autem sunt Christi,“ Apostolus ait, „carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis.“[3]) Totum hoc negotium ad formulam antiquis usitatam reducitur: *„abstine“! „sustine“!*

Virtus illa generalis, quam vox *„abstine“* indicat ac exigit, dicitur *continentia in sensu latiori*, quae est virtus moralis, qua

---

[1]) Cfr. s. Thom. 2. 2. q. 117. a. 3. ad 1. Billuart tract. de fortitudine a. 4. Lehmkuhl I. n. 704.—708. [2]) De imitat. Christ. L. I. c. 25. [3]) Cfr. Matth. XVI. 24. [4]) Gal. V. 25.

concupiscentia carnis voluptatibus sensualibus inhiantis, ad legem christianae honestatis refrenatur. Sub hoc respectu continentia exposcit:

a) ut oblectamenta, quae vel absolute vel hypothetice honestati repugnant, evitentur, quod fit per *temperantiam* et *castitatem;*

b) ut in usu oblectationum, quae permittuntur, quilibet ita se cohibeat, ut ratione intentionis, temporis, modi et mensurae etc. omne illud excludatur, quod vel christianae modestiae, vel cuicunque alteri officio adversatur; quod fit per *liberalitatem, modestiam, eutrapeliam* et *studiositatem;*

c) demum continens non tantum ab illicitis abstinet, sed etiam aliquando jucunda, quibus frui liceret, sibi subtrahit, quo facilius a prohibitis sibi temperare valeat. Haec tamen appetitionis moderatio plerumque consilii, non praecepti est.

Ad alterum, scilicet ad „*sustine*" pertinet, ut inter adversa quoque inordinatus naturae impetus, seu concupiscentia irascibilis, coerceatur. Ad hoc negotium homini inserviunt et necessariae sunt tres virtutes, nempe: *fortitudo, patientia* et *mansuetudo*. *Prima* res difficiles constanter vincit, et moderat motus animi circa quaecunque terribilia; *altera* coercet appetitum repulsivum quoad audaciam et tristitiam in adversis; *tertia* moderat iram.

Sic ergo tum vis concupiscibilis, tum vis irascibilis rite compescitur. Sed de omnibus his virtutibus, necnon de vitiis eisdem oppositis jam singilatim disserendum est.

§. 22. Humilitas et peccata opposita.

I. ***Humilitas.*** 1. ***Notio humilitatis:*** *Humilitas est abnegatio suiipsius quoad inordinatum appetitum propriae excellentiae;* et definiri potest: „Habitus animi, quo tum omnimodam nostram a Deo dependentiam, tum propriam miseriam in lumine fidei cognoscimus et sincere agnoscimus;" seu, ut s. Bernardus[1]) dicit: „Est virtus, qua quis verissima sui cognitione sibi ipsi vilescit." I. Humilitas. 1. Notio humilitatis.

Humilitas supponit ergo cognitionem, quam habet homo de seipso, suaque vilitate, suisque defectibus, et moderat refraenatque appetitum propriae aestimationis et honoris, ne homo se plus aestimet, quam oportet. Justa sui aestimatio humilitati nequaquam adversatur; potius una alteram perficit, atque ambae tam arcte sibi cohaerent, ut absque dispendio genuinae virtutis a se invicem divelli nequeant. Hinc qui neglecta humilitate solam suiipsius aestimationem depraedicant, hominem de propria dignitate tumidum, arrogantem et superstitiosum sui cultorem faciunt; atvero qui destinationis dignitatisque suae immemor, nonnisi ea cogitat, quibus confunditur, non tam humilis, quam potius dejectus, atque indignum aliorum mancipium fiet. Ubi vero justa sui aestimatio cum humilitate amice jungitur, mens nostra pulcherrimam indolem manifestat.

---

[1]) De grad. humil.

2. Divisio humilitatis.

2. ***Divisio humilitatis.*** Duplex a Doctoribus humilitas distingui solet, scilicet *humilitas cognitionis* et *humilitas voluntatis. Prior* consistit in „verissima sui cognitione", videlicet hominem a se ipso nihil esse, cum bona, quaecunque habeat, sive naturae, sive gratiae, a Deo accepit; mala autem, quae ex se habet, defectus bonorum, adeoque nihil sunt; unde Apostolus dicit: „Si quis existimat, se aliquid esse, cum *nihil* sit, ipse se seducit."[1]) *Posterior* consistit in sui vilipensione, per quam nimirum homo quoad ea, quae ex se ipso habet, nihil se aestimat.

3. Objectum humilitatis.

3. ***Objectum materiale humilitatis*** est generatim vilipensio suimet ipsius quoad omnia, quae homo ex se ipso habet. — *Objectum formale* seu motivum est specialis honestas hujus vilipensionis; siquidem apprime congruum est ordini recto, ut homo non se aestimet plus, et non efferat supra id, quod est.

4. Actus humilitatis.

4. ***Actus humilitatis*** sunt juxta Lessium[2]) et alios potissimum sequentes:

a) *Vilipensio et contemptus sui,* per quem homo se quoad ea, quae ex seipso habet, nihil aestimet.

b) *Reputare se omnibus Dei donis indignum, et ad omnia ineptum;* idque sine falsitate, quia homo talis revera est secundum ea, quae ex seipso habet.

c) *Non cupere ab aliis magni aestimari, honorari, vel laudari;* humilis enim sibi persuasum habet, id sibi non congruere, sed ei, a quo omnia habet. Non enim imago vel pictura laudem meretur, sed pictor.

d) *Desiderare vilis haberi et contemni.* St. Bernardus[3]) dicit: „Verus humilis vilis vult reputari, non humilis praedicari." Sed notandum, quod non semper expedit, ut alii defectus nostros noverint, aut nihili nos aestiment.

e) *Dolere de magna aestimatione et honore.* Vere humilis non cupit honorem, imo nec admittit, nisi forte ratione officii, aut doni divini, quod habet, et ita honorem in Deum, saltem implicite, refert.

f) *Se aestimare aliis viliorem.* Nam hoc est ingenium humilitatis, in se intueri sua mala, in aliis eorum bona, ita ut sub certo quodam respectu quasi caeca sit pro bonis et dotibus propriis et pro defectibus alienis: quisque autem secundum sua deterior est, quam sunt alii secundum ea, quae ex Deo habent.[4])

g) *Subjicere se Deo;* quae subjectio in eo sita est, quod homo omnimodam dependentiam Deo sincere confitetur, ad omnia bona se ineptum donisque divinis indignum reputat, et Deo se tradit sicut opus suo factori, ut de eo Deus disponat pro suo beneplacito in omnibus, praesertim in iis, quae ad hanc vitam pertinent.

h) *Subjicere se hominibus propter Deum,* ita, ut homo super alios non inordinate se extollat; alios honore aequare vel superare

---

[1]) Galat. VI. 3. [2]) Lib. IV. cap. 3. dub. 7. [3]) Serm. 16. in cant. n. 10. [4]) Cfr. s. Thom. 2. 2. q. 161. a. 3. et 6.

non concupiscat; vituperationem et contemptum tranquille perferat, seque ab illis tamquam Dei instrumentis gubernari sinat.

i) In rebus aut functionibus externis amplecti, quod est abjectius, nisi ratio decoris, officii et conditionis propriae aliud exposcat.

Omnes praedicti humilitatis actus competunt etiam Superioribus erga subditos, quatenus sunt actus interiores, juxta illud s. Augustini: „Coram Deo Praelatus sit prostratus pedibus vestris.“ Quantum vero ad actus exteriores opus est discretione, „ne,“ ut idem s. Augustinus dicit, „apud eos, quos oportet esse subjectos, dum nimium servatur humilitas, regendi frangatur auctoritas.“[1])

5. ***Gradus humilitatis:*** communiter tres distinguuntur, quos eleganter sic exprimit s. Bernardus:[2]) „Humilitas, alia sufficiens, alia abundans, alia superabundans. *Sufficiens*, subdi majori, nec praeferre se pari. *Abundans*, subdi pari, nec praeferre se minori. *Superabundans*, subdi minori.“ — Vere humilis ergo omnibus se subjicit, et omnibus se viliorem reputat, quod etiam quilibet absque omni falsitate facere potest, nam: 5. Gradus humilitatis.

a) Potest aliquis, ut dicit s. Thomas,[3]) reputare, aliquid boni esse in proximo, quod ipse non habet; vel aliquid mali in se esse, quod in alio non est;

b) vel potest judicare, quod alii, si easdem gratias accepissent, quas ipse accepit, melius Deo serviissent, quam ipse, uti seraphicus Pater Franciscus palam confessus est;

c) vel potest perpendere, quod si Deus eum non custodiisset, peccata, quae videt ab aliis commissa, atque illis etiam graviora ipse patrasset: „nullum enim est peccatum, quod facit homo, quod non possit facere et alter homo, si desit rector, a quo factus est homo“, dicit s. Augustinus.

6. ***Rationes, quibus ad studium humilitatis potissimum incitamur,*** sunt sequentes:

a) *Attenta et verissima consideratio conditionis nostrae in ordine tum naturali, tum supernaturali.* — Jam ex titulo creationis et conservationis toti quanti a Deo dependentes, ipsique in omnibus subjecti sumus; nam ipse est auctor, conservator et absolutus Dominus omnium bonorum, quae nobis sive per nativitatem, sive per educationem, sive prospero rerum nostrarum cursu obtigerunt. Praeterea „natura filii irae sumus“; sed et peccata vitae praeteritae, praesentes infirmitates nostrae, summa in exequendis propositis inconstantia, omnimoda insufficientia ad opera vere salutaria, nisi speciale gratiae auxilium nos praeveniat, maculae animae occultae et pluribus naevis scatentia etc., continuam erubescendi et nosmetipsos humiliandi materiam praebent.

b) *Frequentes ad humilitatem cohortationes s. Scripturae, ipsiusque divini Salvatoris tum praeceptum, tum exemplum.* „Discite a me,“ ait Christus, „quia mitis sum, et humilis corde.“[4]) —

---

[1]) Cfr. Lehmkuhl I. n. 729. Müller II. §. 81. [2]) Sententiae s. Bernardi n. 37. [3]) 2. 2. q. 161. a. 3. c. [4]) Matth. XI. 29.

Exemplum Christi proponit Apostolus in Epistola ad Philippenses: „Hoc enim sentite in vobis, quod et in Christo Jesu, qui „cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo: sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo.“[1])

c) *Necessitas hujus virtutis:* humilitas enim summe necessaria est tum per se, tum quia fundamentum totius perfectionis constituit. — *Per se* summi momenti est, quia per ipsam maximum nostrae salutis impedimentum tollitur, scilicet superbia, quae imam et intimam praesentis corruptionis nostrae venam constituit, et qua obstante „sanctificationem nostram in timore Dei“ nunquam perficiemus. Imo ubi humilitas deest, non datur genuina virtus, quia genuinae virtutis idea exposcit, ut non solum appetitus inferiores spiritui, sed etiam spiritum nostrum Deo subjiciamus.

Porro humilitas est fundamentum aedificii spiritualis seu totius perfectionis, *non quidem directe,* seu per quod jam ad Deum acceditur; sic enim sola fides est supernaturalium fundamentum virtutum, quia per eam primus accessus ad Deum est; sed *indirecte* fundamentum est, quatenus nempe removet impedimentum gratiae accipiendae, quae est origo et custodia virtutum. „Deus enim superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.“[2]) Humilitas est ergo conditio gratiae, gratia conditio virtutis. Ita s. Thomas[3]) et alii communiter.[4])

7. Subsidia humilitatis.

7. ***Subsidia humilitatis*** sunt potissimum sequentia:

a) Vera et sincera sui ipsius cognitio, quae est fundamentum, imo pars quaedam humilitatis.

b) Frequens meditatio motivorum, quibus ad humilitatem inducimur; ac praesertim exempli Christi et Sanctorum, maxime B. V. Mariae.

c) Actualis exercitatio hujus virtutis quavis data occasione, et quidem non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus; neque verbis tantum et cogitatione, sed etiam opere; nam sicut reliquae virtutes ex frequentatis actibus enascuntur, sic nec humilitas acquiritur, nisi via humiliationis.

d) Fervens praecatio, qua sine intermissione hanc virtutem adeo necessariam a Deo efflagitemus.[5])

II. Peccata opposita. 1. Per excessum: inordinata sui abjectio.

II. ***Peccata opposita humilitati:*** Humilitati opponitur:

1. ***Per excessum: inordinata sui abjectio seu vilipensio,*** quae fit cum neglectu muneris sui, vel damno aliorum, quibus prodesse quis deberet. Haec sui vilipensio inordinata esse potest tum quoad objectum — peccata fictitia sibi adscribendo, — tum quoad circumstantias — contra honorem status seu dignitatis

---

[1]) Philipp. II. 5. [2]) Jac. IV. 6. [3]) 2. 2. q. 161. a. 5. ad 2. [4]) Cfr. s. Bernardus, In cant. Serm. 36. n. 5. S. August. Serm. 69. n. 2. S. Chrysost. Homilia 35. in Genes. [5]) Plura ac fusiora de hac virtute vide apud Ascetas, e. g. Rodericius et aliós.

agendo, e. g. sacerdos simul rusticus, — tum demum quoad finem — ex hypocrisi. Est per se veniale; per accidens tamen etiam mortale esse potest ob damnum proprium vel aliorum.

2. ***Per defectum: Superbia***, est appetitus inordinatus propriae excellentiae super alios. Dicitur „excellentiae super alios"; nam superbia proprie dicta involvit affectum inordinatum excellentiae suae relate ad alios, quibus aliquis praeesse cupit, aut antecellere, prout desumitur ex ipso nomine superbiae; etenim *superbire* sic dicitur a *super* et *ire*, quia nempe superbus super alios et super suam mensuram ire vult. 2. Per defectum: superbia.

Distinguitur superbia perfecta seu completa, et *superbia imperfecta.*

a) Superbia perfecta seu completa est, quando quis adeo se effert, ut bona, quae possidet, non Deo, sed sibi attribuat, Deo et superioribus subesse nolit, alios graviter contemnat. Haec superbia est formalis et directa aversio a Deo, et proinde *peccatum mortale ex toto genere suo*, imo est gravissimum et vere diabolicum peccatum, pessimis tantum hominibus proprium; est enim aperta rebellio contra Deum, quia divinae voluntati se opponit; est simul peccatum capitale, quia „initium omnis peccati",[1]) necnon „caput et regina vitiorum", ut s. Augustinus dicit,[2]) et praesertim „luxuriae seminarium".[3]) a) Superbia perfecta.

b) Superbia imperfecta est illa, qua homo solum plus justo se aestimat et effert, quin subjectionem Deo et superioribus debitam recuset, vel alios graviter despiciat. Haec *per se tantum est veniale*, per accidens tamen et mortale esse potest, ut si gravis injuria inferatur proximo per contemptum, vel infamationem; vel si aliud grave damnum ex ea vel sibimetipsi, vel proximo eveniat; vel denique si materia superbiae sit propria aut aliena iniquitas. b) Superbia imperfecta.

Formae superbiae imperfectae sunt sequentes: Formae superbiae imperfectae.

α) Praesumptio (prouti humilitati, non spei opponitur) quae est appetitus aggrediendi aliquid supra vires; e. g. potestatem Ordinis sacri, officium confessarii, sine debita peritia. *Est mortale vel veniale,* prout damnum exinde vel sibi vel proximo eveniens est grave vel leve. α) Praesumptio.

β) Ambitio, quae est inordinatus appetitus honoris non debiti, vel modo et medio non debito. *Est secundum se peccatum veniale* tantum, cum sit tantum inordinatus appetitus rei secundum se indifferentis; *fit vero mortale,* si quis in honore ponat ultimum finem, vel si honorem quaerat ex aliquo peccato mortali, vel propter eum sit paratus peccare mortaliter, vel denique, si quaerat honorem cum gravi alterius damno vel injuria. β) Ambitio.

γ) Audacia et temeritas, qua quis vel ob solam ostentationem γ) Audacia.

---

[1]) Eccli. X. 15. [2]) Enarr. in Ps. XVIII. n. 15. [3]) S. Gregor. M. Lib. XXVI. Moral. c. 17. n. 18.

virium et dexteritatis opus aggreditur, quod cum manifesto periculo proprii vel alieni damni conjunctum est; vel dum quis negotium grave praeter necessitatem aggreditur, cui est impar. *Est ergo grave vel leve pro* rata damni.

δ) Vana aestimatio etc.

δ) *Vana et immodica aestimatio et delectatio quoad ea, quae quis habet, vel valet.* Hujusmodi objecta sunt: venustas et dexteritas corporis, materia et forma vestimentorum, rerum opulentia, splendor natalium, scientiae et artes etc. *Est per se veniale* tantum, *licet per accidens mortale fieri possit;* uti si quis alios omnino sperneret, vel se magno periculo in peccatum mortale labendi exponeret.

ε) Vana gloria.

ε) *Vana gloria seu inordinata aliis placendi cupiditas*, i. e. inordinatus affectus laudis humanae. Vana gloria est peccatum per se seu *ex genere suo tantum veniale*, ut docet s. Thomas,[1]) eo, quod hoc vitium ex genere suo et secundum se spectatum, nec Deo nec proximo gravem inferat injuriam; uti e. g. concionari, vel alias actiones sacras facere ob vanam gloriam. Quo tamen non obstante vana gloria *saepe fit peccatum mortale per accidens;* idque vel ratione materiae, si nimirum gloriatio fit de re mortaliter mala e. g. fornicatione, duello etc.; vel ratione notabilis damni proximo illati; ut si quis prorumpat in gravem ejusdem contumeliam, qualis fuit jactantia Pharisaei: „Non sum sicut ceteri hominum: raptores, injusti, adulteri; velut etiam hic publicanus,“[2]) aut hujusmodi; vel etiam, si quis ex vana gloria recuset retractare errorem, quem docuit, aut medicus nolit in morbo periculoso, cui est impar, assumere socium, vel confessarius de re gravi dubitans, non consulat alios, etc.

Filiae vanae gloriae.

S. Gregorius M.[3]) septem assignat filias vanae gloriae: *jactantiam*, qua laborat ille, qui inordinate tendit ad manifestationem suae excellentiae *per verba; praesumptionem novitatum,* si quis inordinate tendit ad manifestationem suae excellentiae *per facta admirabilia*, seu per novitates, quas excogitat; *hypocrisin*, quae occurrit, si praedicta facta falsa sint; *pertinaciam*, per quam homo nimis innititur suae sententiae, nolens meliori credere; *discordiam*, si quis non vult a propria voluntate recedere, ut aliis concordet; *contentionem*, dum aliquis clamorose verbis contra alium litigat; *inobedientiam*, dum quis non vult exequi superioris mandatum.

Sed omnia haec peccata per se sunt tantum venialia. Praedictis vanae gloriae filiabus adhuc adnumerari possunt: ostentatio, gloriatio, vanitas, coquetta, fastus, singularitas, supercilium, aemulatio, neglectus et contemptus proximi, arrogantia, insolentia, dominandi cupido; quae omnia peccata per se sunt venialia; per accidens tamen aliquo ex supradictis modis etiam mortalia fieri possunt. Remedia

---

[1]) 2. 2. q. 132. a. 3. [2]) Luc. VIII. [3]) Lib. XXXIV. Moral. c. 22. sq.

contra superbiam, sicuti permulta alia de hoc infensissimo virtutis et perfectionis hoste, pertractat Ascesis.[1])

§. 23. Obedientia et peccata opposita.

I. ***Obedientia.*** *1.* ***Notio obedientiae:*** *Obedientia* est virtus, per quam aliquis sui Superioris praecepto obtemperat, ex intentione satisfaciendi ejus praecepto. Reddit ergo obedientia hominis voluntatem promptam ad implendum voluntatem alterius, scilicet praecipientis, et sic eam humiliat et ejusdem superbiam refraenat. I. Obedientia. 1. Notio obedientiae.

II. Distinguitur: obedientia materialis seu generalis, et *obedientia formalis; prior* est quaedam generalis virtus, seu potius circumstantia cujuslibet actus boni praecepti, et consistit in ejusdem executione; *posterior* vero est specialis virtus, et sumitur pro executione actus boni praecepti, quia praeceptus est. Distinctio obedientiae.

Ratione Superioritatis, a qua procedit praeceptum vel consilium, distinguitur obedientia *civilis, ecclesiastica* et *sacramentalis,* quae tamen omnes obedientiae juxta s. Thomam[2]) sunt ejusdem speciei.

2. ***Objectum materiale obedientiae*** est praeceptum Superioris, sive expressum, sive tacitum. 2. Objectum obedientiae.

Objectum formale seu motivum est specialis honestas, relucens in eo, quod quis servat praeceptum, quia praeceptum est; secundarie est abnegatio suiipsius, i. e. refraenatio voluntatis superbae.

Sed potest obedientia etiam ex motivo alterius virtutis praestari; quod si fiat ex affectu erga excellentiam Dei, erit actus religionis; si fiat ad colendos parentes, erit actus pietatis; si ideo, quia id postulat dignitas Pontificis ut Vicarii Christi, actus observantiae religiosae; si fiat, quia placet Deo, actus caritatis etc. Si vero praecise ideo obedientia praestatur, quia honestum est, obtemperare praecepto Superioris, est actus obedientiae formalis.

3. ***Praestantia obedientiae.*** Obedientia formalis inter virtutes morales, Religione excepta, *praestantissima est;* obedientia enim impellit ad actus exercendos omnium virtutum, quando sub praeceptum cadunt, per quos subinde virtutes generantur, augentur et custodiuntur; insuper per obedientiam propria relinquitur propter Deum voluntas, quae est bonum animae et praecipuum quidem homini, quatenus homo est. Itaque hoc ipsum propter Deum abdicare, profecto majoris pretii est, et excellentiae, quam bona quaecunque alia propter Deum relinquere; unde dicitur: „Melior est obedientia, quam victima."[3]) 3. Praestantia obedientiae.

4. ***Obligationem obedientiae*** quod attinet, haec valent: 4. Obligatio obedientiae.

a) Tenentur omnes Deo obedire in omnibus, quia ipse est supremus Dominus omnium.

b) Tenentur subditi obedire Superioribus suis in eis, in quibus

---

[1]) Cfr. Reiffenstuel tr. 3. de peccat. q. 1. Billuart tom. 13. Müller II. §. 81. 82. Lehmkuhl I. n. 728.—735. Marc I. n. 410. et 360.—363. Staller II. tr. 4. §. 4. [2]) 2. 2. q. 104. a. 2. ad 4. [3]) I. Reg. XV. 22.

subjiciuntur eis, nisi sint contra Dei voluntatem, quia Superiores vi potestatis sibi divinitus datae dominantur et imperant subditis. Excepti sunt ergo duo tantum casus, in quibus homo non tenetur homini superiori obedire; scilicet: *si aliquid praecipiat, ad quod se non extendit ejus potestas*, uti e. g. si agatur de matrimonio contrahendo, de Religione profitenda, de virginitate servanda; vel *si superior aliquid praecipiat contra mandatum majoris Superioris*, nam „obedire oportet Deo magis, quam hominibus.[1]) Sed notandum, quod non est subditi, examinare, sitne licitum vel illicitum id, quod praecipit Superior, teneturque ipsi obedire, nisi constet aperte, esse contra Dei aut superioris potestatis mandatum; neque etiam si dubitet, an sit licitum, dispensatur ab obedientia, quia jus Superioris est in possessione, quo spoliari non debet propter dubitationem subditi.

5. Gradus obedientiae.

5. ***Gradus obedientiae*** praecipue tres enumerantur: *Primus* est, opere tantum praeceptum tempore et modo determinato implere; et tanto quidem exactior videtur obedientia, quanto expressum praeceptum obediendo praevenit, voluntate tamen Superioris intellecta.[2]) Hujusmodi autem obedientia externa virtutis nomen haudquaquam meretur, nisi ad voluntatis submissionem pertingat.

Secundus et altior gradus est, non operis tantum executione, sed voluntatis simul submissione Superiori obedire, sicque idem velle, idem nolle cum Superiore praecipiente. Haec est vera obedientiae virtus.

Tertius demum gradus est, non solum operis executione et voluntatis submissione, sed etiam judicii oblatione Superiori obtemperare, sicque absque discussione idem sentire, quod ille, nisi manifeste appareat, iniquum esse mandatum. Haec est perfecta obedientia, *coeca* etiam dici solita, quam merito laudibus extollunt s.s. Patres et Doctores, cum per eam homo totum abneget semetipsum, atque offerat holocausti instar Deo suo. Hanc obedientiam Deo, hanc Ecclesiae magisterio praestare stricte tenemur, id, quod confirmatur ex eo, quod Clemens XI. in Bulla „Vineam Domini" 16. Julii 1715. damnavit opinionem quorundam existimantium, ad obedientiam Apostolicis Constitutionibus editis contra quinque Jansenii propositiones debitam non requiri, ut quis Jansenii libri sensum in quinque illis propositionibus damnatum, interius ut haereticum damnet, sed satis esse, de hac re *obsequiosum silentium* tenere.

Plura de hac excellentissima virtute, quae praesertim, sicuti humilitas, pro Religiosis eminentissimi est momenti, jam in Ascesi dicta sunt, alia suo loco, ubi de statibus particularibus, dicentur.

II. Peccata opposita. 1. Per excessum.

II. ***Peccata opposita:*** Obedientiae opponitur:

1. ***Per excessum: servilitas*** seu ***obedientia indiscreta,*** quae etiam in illicitis obtemperat. Est peccatum mortale vel veniale, prout materia est gravis vel levis.

---

[1]) Act. Apostol. V. 29. [2]) Cfr. s. Thom. 2. 2. q. 104. a. 2. c.

2. ***Per defectum: inobedientia***, quae non secus ac obedientia, dupliciter accipi potest: *materialiter et late* pro transgressione cujusvis praecepti absque contemptu, et haec inobedientia non est speciale peccatum, sed generale quoddam, seu generalis circumstantia omnis peccati; et *formaliter seu stricte* pro transgressione praecepti ex ejus aut praecipientis contemptu; et sic est *speciale peccatum,* formali obedientiae oppositum, et quidem *peccatum mortale ex genere suo*, quia adversatur divinae dilectioni et Dei ordinationi resistit. Potest tamen fieri veniale tum ob inadvertentiam, tum ob parvitatem materiae seu potius ex imperfectione contemptus. 2. Per defectum.

Duplex scilicet contemptus distingui debet, perfectus et *imperfectus; perfectus* est, quando quis renuit in toto subjici Superiori, ex quovis contemptu, sive praecepti, sive potestatis, sive praecipientis, procedat illa pervicacia; et inobedientia ex tali contemptu perfecto procedens, etiam in re levi, est semper mortale peccatum.

Imperfectus contemptus est, quando quis renuit subjici Superiori in aliqua re tantum, sive gravi, sive levi, paratus ipsi obedire in aliis, et haec inobedientia in re gravi est grave peccatum, et in re levi, veniale; excipe nisi forte Deum ipsum praecipientem, aut ejus praeceptum tamquam inutile et vanum contemneret, id enim foret blasphemum.[1])

§. 24. Temperantia et peccata opposita.

I. ***Temperantia***, ut ex ipso nomine patet, significat quandam temperiem seu moderationem. *Generice seu late sumpta* importat moderationem rationis in quacunque materia morali, in omnibus affectibus et actibus humanis, et sic est communis omni virtuti. I. Notio temperantiae.

Specifice vero seu in sensu strictiori sumpta, importat moderationem in materia aliqua, quae maxime allicit appetitum, i. e. in materia delectabili; et haec est autonomastice temperantia, et definitur: „Virtus moralis, moderans appetitum circa delectationes sensuum.“ Et quidem temperantia potissimum versatur circa delectationes ex cibo potuque necnon venere orientes, quas juxta rectam rationem refraenat; ac proinde *abstinentiam*, *sobrietatem* et *castitatem* veluti partes integrales complectitur.

In hoc sensu accepta temperantia est virtus specialis, et quidem virtus cardinalis. Illa scilicet virtus dicitur principalis seu cardinalis, cui inest excellenter una ex quatuor conditionibus omni virtuti communibus, quae sunt: discretio, rectitudo, firmitas et moderamen, ut dicit s. Thomas. Atqui temperantiae excellenter inest moderamen, quia per eam coërcentur illae passiones, quae difficillime refraenantur, scilicet concupiscentiae et delectationes gustus.

Attamen hic temperantiam in sensu adhuc strictiori seu stric-

---

[1]) Cfr. Billuart tom. 13. Müller II. §. 83. Marc I. n. 690.—963. Staller II. tr. 4. §. 5.

tissimo sumimus, qua virtutem scilicet, quae moderat appetitum concupiscibilem in delectationibus gustus, seu quae percipiuntur ex esu et potu, et qua talis *abstinentiam* et *sobrietatem* complectitur.

1. Abstinentia.

1. ***Abstinentia:*** Moderatio in sumendo cibo dupliciter concipi potest. Scilicet virtus moderans concupiscentiam usumque alimentorum, convenienter ad bonum rationis, *frugalitas* dicitur. Subtractio vero alimentorum, quae major sit, quam ratio temperantiae per se exposcit, *abstinentia* est, quae proin ad virtutem poenitentiae pertinet. Hic tamen non de abstinentia stricte sumpta, sed quatenus identificatur cum frugalitate, sermo occurrit, et proinde abstinentia juxta nostrum sensum idem significat ac frugalitas.

a) Mensura abstinentiae.

a) Mensura abstinentiae seu frugalitatis est *necessitas vitae* et *officiorum;* nam omnia delectabilia, ut docet s. Thomas, quae in usum hominis veniunt, ordinantur ad aliquam hujus vitae necessitatem, quae tamen necessitas non stricte, sed latius est accipienda; etenim cibo potuque frui licet non tantum, ut absolute, sed etiam ut commode et tuo statui convenienter vivere officioque obire possis, uti omnes Doctores catholici tradunt.

b) Objectum materiale.

b) Objectum materiale hujus virtutis est moderatio; moderandus autem est appetitus et usus, necnon concomitans delectatio; et quidem tum quoad finem, qui est bona corporis valetudo, atque idonea mentis ad suas functiones dispositio, — ergo: ne cibus sumatur mere ob voluptatem; — tum quoad objectum, i. e. ne sumantur cibi nocivi; tum denique quoad circumstantias, i. e. debito loco et tempore. — Regulariter ergo qui plus aut minus comedit, vel saepius, vel alio modo, vel alias res, quam congruit valetudini et mentis functionibus, non servat temperantiae regulam; sicut nec qui solius voluptatis causa comedit, quia istud motivum non est per se honestum, sed brutis commune, nec cibus est ex natura institutus propter voluptatem, sed voluptas propter cibum.

c) Objectum formale.

c) Objectum formale seu motivum hujus virtutis, est abnegatio sui. Sicut ergo plus cibi sumere, quam ad finem supra relatum expediat, peccatum est, ita minus sumere ob piam causam, e. g. ob carnis mortificationem vel satisfactionem pro peccatis, laudabile est, etiamsi vires corporis imminuantur, modo tamen valetudo non nimis frangatur, nec mens ad suas functiones ineptior reddatur. Ea quippe optima est corporis valetudo, quae optime ad animae salutem et ad Dei gloriam servit.

2. Sobrietas.

2. ***Sobrietas:*** est virtus moderans appetitum et usum potus juxta rationem et fidem. Quoad mensuram, objectum materiale et formale sobrietatis plane eadem valent, quae de abstinentia seu frugalitate dicta sunt.

Momentum horum virtutum.

Praedictas virtutes, abstinentiam scilicet et sobrietatem *summi momenti esse,* per se patet. „Haec virtus,“ ait s. Prosper de sobrietate, „si in animo habitat, libidines frenat, affectus temperat, desideria sancta multiplicat, vitiosa castigat, — animi teporem desiderio futurae retributionis accendit, mentem placida tranquillitate

componit, et virtutem semper ab omni vitiorum tempestate defendit."[1]) Quae verba relative etiam quoad frugalitatem valent, nam „plenus venter non studet libenter", nec orat libenter, sed potius peccat libenter.

II. ***Peccata opposita:*** Tum contra abstinentiam seu frugalitatem, tum contra sobrietatem multiplici modo peccari potest, et quidem: II. Peccata opposita.

1. ***Contra abstinentiam*** vel *per defectum* vel *per excessum* peccatur. 1. Contra abstinentiam.

a) ***Per defectum:*** per *insensibilitatem* seu *stuporem;* cum nempe quis ita aversatur delectationes sensuum, maxime tactus et gustus, ut nolit eis uti, ubi, quando, quomodo aut quantum recta ratio dictat esse illis utendum; in specie ergo, si quis minus cibi sumat cum magno detrimento valetudinis. Est secundum se veniale; erit tamen mortale, si quis omittat cibum sumere vitae necessarium; vel si quis ex eo fiat ineptus ad suas functiones et officia gravia implenda, uti e. g. si mulier tali modo inepta fieret ad debitum reddendum; vel denique si quis ex errore Manichaeorum hujusmodi delectationes refugiat tamquam in se malas. a) Per defectum: insensibilitas.

b) ***Per excessum*** contra temperantiam est generatim *intemperantia,* quae per modum excessus ultra normam rationis istas delectationes quaerit. Sicut temperantia virtus cardinalis, ita intemperantia vitium capitale est, unde mala quam plurima exoriuntur; est insuper vitium maxime probrosum et infame, quia maxime repugnat excellentiae hominis, quatenus eum quasi servum subjicit delectationibus, quae sunt ipsis et brutis communes. b) Per excessum intemperantia.

Intemperantia quatenus praecise abstinentiae adversatur, specialius dicitur *gula,* seu intemperantia in cibo, licet gula etiam intemperantiam in potu comprehendat, quatenus sola adest *gustus* intemperies. Gula.

Praecipuae species gulae, quatenus commessationem seu excessum in cibo significat, et etiam *ingluvies* dicitur, sunt: Species gulae:

α) Cupedia, qua quis palato inordinate deserviens, alimentis exquisitis et delicatioribus inhiat (Feinschmeckerei). *α)* cupedia;

β) Liguritio, qua intempestive et identidem huic appetitui indulget (Nascherei). *β)* liguritio;

γ) Voracitas seu gastrimargia, qua homo, ductus pruritu animali, debitum quantitatis modum longe excedit, uti e. g. si quis comedat usque ad vomitum (Vielfresserei). *γ)* voracitas;

δ) Lautitia, complectens omnia supra relata peccata simul (Schlemmerei). *δ)* lautitia.

Vitia haec tum per se sunt detestanda, quia hominis naturam valde inhonestant; tum propter sequelas, quas attrahunt, cujusmodi sunt: destructio sanitatis, dissipatio bonorum, furta domestica, aliorum defraudationes. Praesertim gastrimargia

---

[1]) De vit. contempl. L. II. c. 19.

ipsi naturae adversatur et pessimos effectus infert; haec enim praeter abusum alimentorum vires corporis et ipsius animi vigorem pessumdat, naturam animalem ad libidinem disponit atque sensum humanitatis vix non penitus exstinguit.

Gravitas gulae.

Gula, licet inter peccata capitalia numeretur, per se tamen non est, nisi veniale peccatum, quia versatur circa res per se indifferentes et honeste appetitibiles. *Per accidens* tamen facile *mortale fieri potest.* Gravitas horum peccatorum scilicet dimetienda venit *tum ex gravitate excessus* in casibus occurrentibus; *tum ex reliquis officiis; quae exinde neglecta sunt; tum denique ex malis consectariis,* quae aliquatenus saltem praevisa fuerunt, *necnon ex dispositione hominis gulosi* graviter vel leviter mala.

Hinc mortaliter peccant:

α) Qui finem ultimum in cibi et potus delectatione constituunt, veluti Epicurei tum antiqui tum moderni, „quorum Deus venter“ est.

β) Qui grave damnum exinde praevident, sive quoad corpus, sive quoad animam. Unde multi dicunt, comedere usque ad vomitum, si vomitus ex quantitate cibi assumpti proveniat, difficile excusari posse a mortali; juxta alios tamen probabile est, generatim, secluso scandalo, id veniale tantum esse; si tamen quis ideo vomitum provocet, ut iterato possit comedere vel bibere, talis juxta Holzmann[1]) et Wigandt graviter peccat.

γ) Qui ob hoc impotentes se reddunt implendi gravia praecepta, e. g. alendi familiam, solvendi debita, restitutionem faciendi etc.

δ) Qui grave scandalum praebent: e. g. si clericus commessationibus in loco publico nimis indulget. Cave tamen, ne statim ac semper peccati gulae arguas, qui cibos lautos aut accurate praeparatos manducant; id enim quandoque exigit vel sanitatis, vel hospitalitatis, vel festi ratio, aut si offeruntur, vel alii desunt.

ε) Qui gulae causa graviter violat praecepta Ecclesiae de je junio vel abstinentia; item qui ideo parati sunt furari, au aliam quamcunque obligationem gravem violare.

ζ) Qui praevident inde orituram libidinem cum periculo consensus.

Extra hos casus relatos, gula veniale non excedit juxta s. Thomam et s. Augustinum.

2. Contra sobrietatem ebrietas.

2. ***Contra sobrietatem:*** peccatur per *ebrietatem seu crapulam,* quae in sensu latiori sumitur pro excessu sive in cibo sive in potu, in sensu obvio autem pro excessu in potu tantum. — Ebrietas dupliciter accipi potest, scilicet vel prout significat ipsum defectum rationis, qui accidit ex multo potu inebriante, vel prouti nominat actum, quo quis in hunc defectum rationis incidit; quique actus dupliciter potest causare ebrietatem, nempe vel ex nimia fortitudine vini, praeter intentionem et opinionem bibentis, et sic etiam ebrietas potest accidere sine peccato, praecipue si non ex

---

[1]) Theol. Moral. I. tr. 3. n. 730.

negligentia hominis contingat; vel ex inordinata concupiscentia et usu potus inebriantis, et sic ebrietas ponitur esse peccatum. Et qua talis ebrietas definitur: *voluntarius excessus in potu inebriante usque ad defectum usus rationis.*

Distinguitur ebrietas perfecta et imperfecta.

a) Ebrietas perfecta ea est, quae pertingit usque ad totalem rationis perturbationem, et hominem omnino privat usu rationis. Haec ebrietas, si sit plene voluntaria, etiamsi semel tantum admissa, est secundum se peccatum mortale ex genere suo, admittit ergo parvitatem materiae; sic docent communiter Theologi, ebrietatem non esse mortalem, si per modicum tempus privet ratione; dicit autem Lacroix, longum tempus jam videri *unam horam*;[1]) quod patet tum ex s. Scriptura,[2]) tum ex ratione; nam homo sic graviter violat ordinem ad semetipsum, et ultra se projicit ad brutorum conditionem; insuper ebrietas perfecta exponit ebrium periculo, plura et gravia mala perpetrandi, quod si non sequantur, sunt tamen nata sequi ex illa. a) Ebrietas perfecta.

Malitia intrinseca ebrietatis perfectae in eo consistit, ut quis ob voluptatem, sciens et volens, privet se usu rationis, et quidem violenter et modo innaturali, ita ut imaginem Dei in se deturpet, seque ad conditionem brutorum dejiciat. Et quia ebrietas intrinsece mala est, *nunquam licet, vel se vel alios directe et destinato consilio inebriare,* nec ad morbum expellendum, nec ad mortem vitandam, eo minus ad sopiendos sensus, ne quis dolores morbi vel operationis chirurgicae sentiat. Illicitus tamen non est usus Opii, Aetheris, Chloroformii ad sensus sopiendos, quia horum virtus primaria est soporifera aut nervorum sedativa, non inebriativa, uti Gousset et alii recentiores communiter dicunt. Similiter mortale est, alium provocare ad aequales haustus cum intentione inebriandi, aut advertentia secuturae ebrietatis in se aliove.

Licitum tamen est, aliquem ad ebrietatem inducere, ut ille impediatur a graviori malo, puta sacrilegio vel homicidio committendo, quia licitum est, paratum committere majus malum, inducere ad minus patrandum, ut infra dicetur; s. Alphonsus hanc sententiam probabilem dicit, licet alii non pauci contradicant.

Prohibitum tamen non est, se vel alios ex gravi causa indirecte inebriare, ita, ut ebrietas non intendatur, et privatio rationis per accidens et indirecte tantum eveniat. Sic licitum est, ad morbum depellendum sumere potum, quamquam ebrietas ex ea secutura praevideatur; quia tunc rationis perturbatio per accidens et indirecte evenit, et ideo gravi existente causa licite permitti potest. Ita probabilius s. Alphonsus et alii communiter.

b) Ebrietas imperfecta: ea est, qua ex potu vini usus rationis non totaliter amittitur, sed tantummodo perturbatur, ita, ut b) Ebrietas imperfecta.

---

[1]) Lacroix Lib. V. 75. [2]) I. Cor. VI. 10. Gal. V. 21. Rom. XIII.

quis adhuc discernere possit inter bonum et malum. Haec ebrietas est peccatum ex genere suo *veniale;* non enim graviter adversatur rectae rationi, ut communiter docent. Saepe tamen est *mortale per accidens, ratione scilicet vel scandali,* quod e. g. sacerdos daret, licet semel tantum imperfecte ebrius foret, aut paterfamilias, si saepe; *vel pravi finis intenti,* ut si quis biberet ad vehementiorem in se libidinem excitandam; *vel damni,* quod infert sanitati vel familiae; *vel gravis tristitiae,* quam creat uxori, filiis, parentibus etc.

Nota pro praxi. *Ut Confessarius ebrium rite taxare, et dignoscere possit, an homo ita sit ebrius, ut peccet mortaliter, ad duo potissimum advertat,* scilicet:

α) Ante omnia debet diligenter perpendere, *an ebrietas sit plene voluntaria, saltem indirecte.*

β) Supposito, quod ebrietas sit plene voluntaria, diligenter inquirat, *an fuerit perfecta vel imperfecta tantum. Certiora ebrietatis perfectae et mortalis indicia sunt:* si quis non valeat distinguere inter bonum et malum; vel si quis domum deductus, non meminerit, quomodo, vel quando id factum sit; vel si rerum principalium, quas gessit, sequenti die non recordetur; vel si officia et opera communia vix aut ne vix peragere possit; vel si quis plane insolita agat, ut si vir aliunde modestus et probus, blasphemet, turpia dicat aut faciat, rixas moveat, vasa confringat, uxorem, liberos verberet et similia.

Gravitas peccatorum, quae ab homine *in ipso ebrietatis statu* committuntur, juxta mensuram advertentiae et voluntarietatis illorum in causa dijudicari debet. Mala, ab homine plene inebriato commissa, ad culpam imputari non possunt, si nullo modo, ne in confuso quidem, praevisa fuerint. Si autem aliquo saltem modo praevisa fuerint, ad culpam merito imputantur, etiam tunc, si per accidens reapse secuta non fuerint. Hoc saltem valet quoad peccata operis, sive per commissionem, sive per omissionem talia sint. Etiam peccata oris ad culpam imputantur, si Deo graviter injuriosa sint, aut gravem proximi diffamationem contineant, aut grave scandalum aliis praebeant. Verba autem mere contumeliosa, in hominem prolata, nihil aestimari et simpliciter irrideri solent.[1])

§. 25. Jejunium ecclesiasticum.

Ecclesiae praeceptum II. et III. Hactenus dicta spectant naturalem abstinentiae legem. Ecclesiastica autem lege adhuc alia mensura cibi, certis anni diebus servanda, praescribitur. Ecclesia catholica scilicet etiam speciali praecepto moderationem appetentiae nutrimentorum suffulsit, dum

---

[1]) Cfr. Reiffenstuel tr. 3. q. 6. Müller II. §. 169. Billuart tom. 13. Lehmkuhl I. n. 741.—746. Marc I. n. 757.—761. Staller II. tr. 4. §. 7. et 8. etc.

praescripsit sic dictum *jejunium ecclesiasticum.* Jejunii praeceptum tanta severitate antiquitus observatum esse constat, ut quae in praesenti ab Ecclesia in hac re exiguntur, vix antiquae severitatis reliquiae dici possint.

Ex moderna Ecclesiae disciplina *duplex quoad jejunium praeceptum existit, unum de sola abstinentia a certa qualitate ciborum,* seu de *abstinentia a carnibus; alterum de abstinentia a certa quantitate et qualitate ciborum,* seu *de jejunio in sensu strictiori.* Hinc *dies abstinentiae* et *dies jejunii* distinguendi sunt.

I. Dies abstinentiae. 1. Essentia praecepti de abstinentia.

I. ***Dies abstinentiae:*** *1.* ***Essentia praecepti de abstinentia.*** Legem ecclesiasticam vigere, certis diebus per annum abstinendi a carnibus, ex universali praxi, omnibus catechismis et variis Pontificum constitutionibus evidens est. Et quidem universaliter viget lex a carnibus abstinendi omnibus feriis sextis, excepto festo Nativitatis D., si in feriam sextam incidit, in quo die ii soli abstinere debent, qui voto aut regulari observantia ad id tenentur, quod Billuart sumit pro iis, qui ad regulam *sub peccato* obligantur.

Romanus usus, imo ut videtur, lex primis jam saeculis formaliter lata et pluries confirmata, abstinentiam etiam diebus Sabbati servandam constituit; at quum *universalis* lex hac de re non exstet, usum regionis, ubi versetur unusquisque, servare debet. Quamquam scilicet in plerisque locis haec lex vigebat, nunc tamen dispensatio in multis dioecesibus eam obligandi vi destituit. — Si qua abstinentia in aliis diebus extra jejunii tempore viget, id ex sola *particulari* lege vim habet. Praedictis diebus ergo Ecclesia esum *carnis* interdicit. Nomine autem *carnis* intellige non solum animalium substantiam, sed etiam sanguinem, adipem vel sagimen, laridum, imo et jusculum ex carne expressum. Pro Germania tamen circa horum ciborum usum non raro universalis dispensatio quotannis datur; atque etiam sine dispensatione pauperes operarii, qui condimenti causa aliquid laridi sumant in materia parva, saepe ob inopiam ab omni peccato excusari debent, melius tamen faciunt, si petunt dispensationem, quae certe concedenda est.

Non vero in hac Ecclesiae prohibitione comprehenduntur carnes animalium, quae potius ad piscium genus revocantur. Sed ad discernendum, *utrum ad piscium genus animalia revocanda sint,* attendendum est, an illa diu extra aquam vivere soleant, magis tamen attendenda est communis aestimatio fidelium ac judicium medicorum, si reputent carnes vel pisces.

Communiter non censentur prohibitae *limaces, testudines, ranae, locustae, cancri, ostreae, conchae,* quia aequiparantur piscibus. Idem dicunt de *viperis, lutris, castoribus, fibris* et de *anatibus cujusdam generis.* Aves tamen, licet aliquae nutriantur in aquis, habentur ut verae carnes, prouti sunt: fulicae, corvi marini et similes.[1]) Ita s. Alphonsus.

In dubio, et deficiente consuetudine, examinandum est, utrum

---

[1]) Cfr. Linzer Quartalschrift 1878, pag. 61. sqq.

animal sit simile aut dissimile iis, quorum usus interdictus est, et an illius carnes humano corpori validius nutriendo et corroborando idoneae dignoscantur. Et si adhuc nihil certi definiri queat, res ad judicium Sedis Apostolicae deferatur. In praxi tamen, et in dubio *invincibili*, an cibus appositus vel apponendus sit caro, necne, potes ex eo manducare; quia lex abstinentiae est lex negativa, adeoque, nisi constet de prohibitione, non ligat tuam libertatem.

Gravitas hujus praecepti.

Praeceptum ecclesiasticum abstinendi a carnibus *obligat sub gravi*, et quidem omnes baptizatos rationis compotes, saltem si septennium compleverint; admittit tamen materiae parvitatem; juxta Salmanticenses, Diana et Roncaglia (contra alios benigniores) quantitas excedens *octavam partem unciae* ($3^1/_2$ gram.) est materia gravis.

2. Causae excusantes.

2. ***Causae excusantes:*** *Sicut* quaelibet lex humana, ita et obligatio abstinentiae a carnibus cessare potest. Suntque causae excusantes ab hac lege potissimum sequentes:

a) Dispensatio.

a) ***Dispensatio legitima:*** et quidem dispensare possunt:

- *α) Summus Pontifex* cum omnibus fidelibus.
- *β) Episcopus* cum suis subditis in particulari, non vero cum tota Dioecesi, nisi ex speciali facultate.
- *γ) Parochus* in particulari casu ad unum alterumve diem, vel etiam longius, si alicubi consuetudo legitima ipsis hanc facultatem tribuit.
- *δ) Superiores Regularium* cum suis subditis; id tamen nequeunt nisi in singulis causis, et non possunt cum tota Communitate dispensare.[1]
- ε) In nonnullis dioecesibus etiam confessariis quoad suas oviculas facultas dispensandi ab Episcopis tribuitur.[2]

b) Impotentia.

b) ***Impotentia physica et moralis:*** Hinc excusantur:

- *α) Pueri*, usum rationis nondum adepti, et *perpetuo amentes*.
- *β) Pauperes mendicantes*, quippe qui edere possunt, quidquid eleemosynae accipiant; e. g. Studiosi pauperes; necnon *operarii pauperes*.
- *γ) Aegrotantes ac stomachi debiles*, qui nimirum cibis esurialibus vesci nequeunt *sine gravi incommodo;* ex qua ratione etiam *mulieribus praegnantibus aut lactantibus* esus carnium quandoque licitus esse potest. Sed ad removendum hallucinationis periculum medicus timoratus consulendus, imo etiam quandoque dispensatio petenda est.
- *δ) Operarii duris laboribus continuo vacantes*, qui aegrotantium instar cibos esuriales respuunt; cujusmodi sunt: qui in officinis vitreis vel ferrariis, aut in fodinis carbonariis, metallicis et similibus vitam degunt.
- *ε) Uxores*, quae secus gravem maritorum paterentur indignationem, modo abstinentia a marito non prohibeatur in contemptum legis vel religionis.

---

[1]) Cfr. S. C. Congreg. 15. Dec. 1725. [2]) Cfr. Schmid solut. cas. Conferent. ex Direct. Brixinensi 1887. cas. 7.

ζ) *Famuli et operarii,* quibus non praebetur cibus licitus, si dominum nequeunt relinquere sine gravi incommodo; sedulo tamen aliud servitium quaerere tenentur, in quo possint abstinentiae legem observare.

η) *Viatores,* qui praeter cibos vetitos nihil in cauponis inveniunt, neque alio facile divertere possunt; serio tamen et instanter cibos licitos petere tenentur.

ϑ) *Rhedarii et aurigae* illi, qui itinera longa et difficillima, praesertim hyemali tempore, peragunt; item qui currus publicos diu noctuque pluribus continuis diebus dirigunt, quibus vix tempus buccellam unam vel alteram festinanter degluttiendi suppetit. Non vero excusat sola itineris ratio, timor humanus, irrisio, aliaeque hujus generis difficultates.

ι) *Milites,* qui in castris vel contuberniis versantur et expensis gubernii in communi nutriuntur. Secus autem dicendum de militibus iter agentibus privatim et propriis sumptibus, saltem *per se;* item de militibus in domo paterna degentibus, licet ad breve tempus.

Nota: In imperio austriaco per modum dispensationis Vicario Apostolico castrensi potestas est delegata: „Iis, quorum curam habent, concedendi licentiam vescendi ovis, caseo, butyro et aliis lacticiniis, ac etiam carnibus in Quadragesima et aliis anni temporibus, ac diebus, quibus eorum usus est prohibitus. Et quidem militibus a decurione, vulgo „Feldwebel“ deorsum ita, ut ad abstinentiam a carnibus solum teneantur singulis diebus Veneris in Quadragesima, et tribus ultimis diebus hebdomadae sanctae; officialibus vero ita, ut ad abstinentiam a carnibus solum teneantur omnibus diebus Veneris per annum totum, diebus quoque sabbatinis in Quadragesima, et tota hebdomada sancta.“[1]) Nota.

II. ***Dies jejunii:*** sunt illi, in quibus non tantum abstinentia a certa qualitate, sed etiam a certa quantitate ciborum praescripta est. Generatim *jejunare* dicitur, qui sponte appetitui nutrimentorum eum usum cibi subtrahit, qui ex lege naturali licitus esset. II. Dies jejunii.

Juxta Cardinalem Bellarminum quadruplex jejunii genus distinguitur, scilicet: *jejunium spirituale,* quod est abstinentia a vitiis et peccatis; *jejunium naturale,* seu *jejunium jejunii,* quod consistit in abstinentia absoluta ab omni cibo et potu, uti requiritur a media nocte ad sumptionem Eucharistiae; *jejunium morale* seu *philosophicum,* sub quo intelligitur abstinentia cibi et potus secundum regulas communes temperantiae; et *jejunium ecclesiasticum,* quod est abstinentia cibi, Ecclesiae praeceptis definita; et de hoc jejunio hic est quaestio. Notio jejunii.

Jejunium, prout aliquam carnis mortificationem importat, jam lege naturali praecipitur; quatenus vero certo tempore et modo servandum est, sub praecepto Ecclesiae cadit.

---

[1]) Cfr. Stapf, Epitome Theol. Moral. II. §. 197.

Juxta Ecclesiae praescriptum, quod de Apostolica traditione prodire a. s. Leone M. perhibetur, jejunium servari debet: *tempore Quadragesimae* — exceptis Dominicis hujus temporis; *Quatuor temporibus feria IV. VI. et Sabbato; quibusdam Vigiliis*, scilicet apud nos: *Vigilia Pentecosten*, *S.S. Apostolorum Petri et Pauli*, *Assumptionis B. V. M.*, *Omnium Sanctorum* et *Nativitatis D. N. J. C.*; denique in nonnullis regionibus, uti in regno Austriaco, ad compensanda jejunia quarundam Vigiliarum suppressa, indictum est jejunium *tempore Adventus, bis in hebdomada, nempe feria IV. et VI.* servandum.

Jejunium ecclesiasticum hisce diebus secundum se *obligat sub gravi.* Constat ex praxi Ecclesiae communique Doctorum sententia. Unde proscripta est ab Alexandro VII. haec propositio 23. „Frangens jejunium Ecclesiae, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu vel inobedientia hoc faciat.“ Admittit tamen hoc praeceptum parvitatem materiae, ut infra dicetur.

1. Essentia seu partes jejunii.

1. ***Essentia seu partes jejunii.*** *Jejunium ecclesiasticum tribus quasi partibus constat*, quae sunt: *abstinentia a quibusdam cibis*, *unica refectio in die*, et *hora competens* hujus refectionis.

a) Abstinentia.

a) ***Abstinentia diebus jejunii servanda:*** Ecclesia singulis diebus jejunii *esum carnis interdicit* omnibus fidelibus ratione utentibus. Constat ex universali consuetudine.

Quid sub nomine carnis intelligi debet, jam supra dictum est; similiter quaenam sit parvitas materiae quoad esum carnis.

Tempore Quadragesimae, et in hoc quidem solo, praeter carnem prohibentur simul ova et lacticinia, uti constat ex praxi Ecclesiae et ex propositione 32. ab Alexandro VII. damnata: „Non est evidens, quod consuetudo non comedendi ova et lacticinia in Quadragesima obliget.“ Obligatio extra Quadragesimam quoque ab his abstinendi, jure communi probari nequit, ait s. Alphonsus cum sententia communi; quodsi tamen alicubi talis vigeat consuetudo vel lex specialis, observanda est sub gravi, cum materia sit gravis, ut idem sanctus Doctor addit. — Abstinentia a lacticiniis, ut a carnibus, servari etiam debet diebus Dominicis Quadragesimae, qui quippe nulla lege eximuntur, licet pro his diebus unica refectio non praecipiatur. — In Germania tamen ova et lacticinia non prohibentur, quod idem valet in regionibus septentrionalibus, in quibus vi consuetudinis, vel semper renovatae dispensationis, illa lex abolevit. Imo in multis Dioecesibus Episcopi obtenta facultate a Summo Pontifice, etiam in esu carnis pro tempore Quadragesimae — exceptis nonnullis diebus — dispensationem concedunt, ita, ut semel in die, scilicet tempore refectionis, non vero alio tempore, nisi id expresse concedatur, esus carnis licitus sit.

Adhuc notandum, quod dispensati ad carnes, sub gravi vetantur, diebus jejunii pisces, cum carnibus in eadem mensa comedere. Constat ex tribus Constitutionibus Benedicti XIV. Et quidem praeceptum hoc dispensatos ad carnes obligat *non tantum in Quadragesima* (Dominicis Quadragesimae non ex-

ceptis), *sed etiam omnibus aliis jejunii diebus per annum,* ut idem Summus Pontifex declaravit in Bulla „In suprema“. Illis vero, quibus indulgetur esus carnium diebus Veneris et Sabbati per annum, in quibus obligatio jejunii non habetur, haec permixtio carnis et piscium non est prohibita, ut declaravit S. Poenitentiaria 15. Februarii 1834.

Lege vetitae permixtionis piscium cum carnibus comprehenduntur etiam pisces sale siccati (vulgo salumi, i. e. accinghe, mosciame, caviale, aringa, tarantella aliaque his similia), item testacea marina, austricae (limaces, testudines, ranae, cancri (uti declaravit S. Poenitentiaria 16. Januarii 1834.) Possunt tamen illi simul pisces edere, qui dispensationem a carnibus eatenus tantum utuntur, ut vescantur jusculo aliisve cibis cum carne coctis. Ita S. Poenitentiaria 8. Februarii 1828.

Praeceptum de non permiscendis carnibus cum piscibus obligat etiam eos, qui ratione aetatis vel laboris vel infirmitatis jejunare non tenentur — cum per indultum carnes permittuntur, uti declaravit S. Officium 23. Junii 1875.[1])

b) ***Unica refectio.*** Ad essentiam et naturam jejunii spectat praesertim *unica refectio per diem,* adeo quidem, ut, hac sublata, nemo unquam jejunare dici queat. Praeceptum unicae refectionis *obligat sub gravi,* cum versetur circa opus virtutis in genere suo gravi; sententiam contrariam Alexander VII. damnavit. Hinc graviter peccat, qui secunda refectione utitur; reliquis autem comestionibus supra secundam venialiter tantum peccat juxta Laymann, Durandum, Cajetanum, Navarrum, Lessium et alios; ratio, quia hoc fini tantum legis, qui est mortificatio, repugnat; etenim lex ipsa hac tertia refectione violari non amplius potest, eo quod praeceptum jejunii indivisibili modo urget, proin si semel graviter laesum est, de tota jam actum est. Billuart tamen cum aliis, inter quos Sylvius et Natalis Alexander, ut probabilius tenet, quod etiam refectio tertia, quarta etc. peccatum mortale est. b) Unica refectio.

Ille vero, qui inadvertenter duplicem in die refectionem sumsit, errore detecto, probabilius a tertia tenetur abstinere, quia jejunium materialiter tantum, non formaliter laesit, ideoque legi manet adhucdum subjectus esse. Alii tamen probabiliter id negant.

Imo nec licet, ordinarie loquendo, extra refectionem (et coenulam, de qua infra) *in die jejunii parum cibi sumere,* nec semel quidem, uti patet ex propositone 29. ab Alexandro VII. damnata: „In die jejunii, qui saepius modicum quid comedit, non frangit jejunium.“ Unde parvae comestiones, quae interdiu fierent, seorsum sumptae, peccata venialia forent — toties, quoties —; ast saepe repetitae eodem die, in materiam gravem coalescerent, ideoque grave peccatum constituerent; et quidem gravis

[1]) Cfr. St. Thomasblätter, 1889. Heft IV, pag. 222.

procul dubio censenda est illa materia, quae, vespertinae coenulae addita, alteram efficeret refectionem.

Quantitas duarum unciarum quoad cibos esuriales, et octavae partis unciae quoad carnem ut materia levis communiter habetur.

Permittitur autem sumere parum cibi, e. g. unciam, ad depellendam debilitatem, ut communiter docent.

At non interdicitur die jejunii pluries sumere ea omnia, quae habent rationem veri potus vel medicinae. Notum est axioma: „Liquidum non frangit jejunium.“ Per „*Liquidum*“ autem id solum intelligitur, quod ex communi sensu sumitur per modum potus, ad sedandam sitim; non vero quod sumitur per modum cibi, ad sedandam famem et ad nutriendum corpus, ut lac, succus fructuum, jusculum etc.

Hinc non prohibetur: *vinum*, licet bibatur ad famem sedandam; intentio enim non mutat naturam actus, nec cadit sub praecepto; similiter *cerevisia*, potus *cafaei*, vel *theae*, vel etiam *aquae saccharo immixtae*, vel e *succis aureorum aut citreorum malorum effectae*, nisi nimia lactis, sacchari etc. copia admisceatur; quia, posita restrictione, haec et similia non habent naturam cibi, sed potus vel medicinae; nec refert, si *congelata* sint, congelatio enim naturam rei non mutat. Item *serum lactis* habetur ut potus.

Similiter non prohibentur *electuaria* seu *cupedia* ex electis rebus, e. g. saccharo et junipero etc. confecta, si sumantur in modica quantitate ob causam rationabilem, e. g. ad juvandam digestionem, ad vocem conservandam, ad auferendum oris foetorem, et hujusmodi. Ita communiter cum s. Thoma.[1])

An prohibeatur potio *chocolati*, controvertitur; negat quidem s. Alphonsus, chocolatum posse pro potu reputari, eo quod vere nutriat; sed nihilominus permittit ejus potionem ratione consuetudinis, semel in die et in modica quantitate, si nempe una uncia cum dimidia (44 gramm.) chocolati cum aqua in cyathis ordinariis immittatur; non vero lac admisceri potest, nisi id concedatur per dispensationem super lacticiniis, quo in casu ejus ratio in pondere cibi habenda est. S. Poenitentiaria ad quaesitum: „utrum permitti possit . . . ut mane, diebus jejunii in parva quantitate sumatur *cafaeum* aut *chocolatum* cum frustulo panis, respondit: eos, qui talem usum sequuntur, non esse inquietandos“ (21. Nov. 1843).

Ex dictis patet, compositum ex potu et aliis rebus, quae naturam cibi habent, tunc sumi licite posse, quando principale est potus, accessorium, quod rationem cibi habet, in parva tantum quantitate illi admixtum, atque in illud prorsus dissolutum est, ita, ut propriam naturam amisisse videatur, tunc enim totum rationem potus habet. Ita s. Alphons.

Collatio serotina et jentaculum.

Praeter unicam refectionem vespere etiam modicam refectiunculam seu collationem, et mane parvulum jentaculum juxta consuetudinem locorum sumere licet.

---

[1]) 2. 2. q. 147. a. 6. ad 3.

Sed in hoc debet attendi, quid *consuetudo* permittat, tam circa *quantitatem*, quam circa *qualitatem* ciborum.

a) Quod attinet *quantitatem* cibi in coenula permissam communiter dicunt, octo circiter uncias apponi posse etiam iis, qui illas accipiendo ad satietatem reficiuntur, saltem, si de cibo non admodum nutritivo, sed leviori agatur. Ceterum regula omnino fixa statui nequit, cum etiam ad diversam corporis complexionem, ad diversa munera, ad durationem jejunii attendi debeat. Generatim tantum licet sumere, quantum quis prorsus necessarium ducit ad evitandam indispositionem, quae ipsum impediat, quominus officia sua convenienter obeat. a) Quantitas.

Excessus in collatione est vel mortale, vel leve peccatum; juxta s. Alphonsum excessus duarum unciarum est tantum veniale; juxta Billuart ad peccatum mortale requiritur talis excessus, qui seorsum sumptus sufficeret ad alteram collationem. — Ex consuetudine in quibusdam locis, etiam apud nos inducta, quantitas duplo major permittitur in Vigilia Nativitatis D. et Sabbato Sancto = „jejunium gaudiosum".

b) Quod attinet *qualitatem* ciborum in coenula permissam, haec observanda sunt. Ex disciplina rigidiori cibi dumtaxat frigidi et leviores in coenula apponi deberent, uti sunt panes, fructus, olera et dulciaria varii generis. Attamen consuetudo locorum, hac in re quam plurimum valet, quae proinde sicut praxis piorum et doctorum tenenda est. „In Germania, prout Lehmkuhl animadvertit, circa qualitatem cibi, si carnes excipias, non est multum distinguendum; consuetudo enim permittit quoslibet cibos esuriales, lacticiniis inclusis imo et ovis. Id tamen moneam, neque cibi totam permissam quantitatem ex solidioribus cibis sumi posse; et laxius forsitan fuerit duo ova permittere, quae, si mediocris magnitudinis sint, pondus quatuor unciarum adaequant. Quodsi ea tandem sumantur, eo magis reliquum ex levioribus tantum cibis addi potest." b) Qualitas.

Similiter nemini jam interdici potest mane sumptio parvi frustuli, modo alias, maxime in collatione serotina, justos limites non excedat. Frustulum istud tum potione earum rerum, quae aliquid nutrimenti habent, ut chocolati, cafeae etc. cum mixtione sacchari, tum parva panis quantitate consistere potest; ita tamen, ut quantitas rerum nutrientium pondus duarum unciarum haud excedat.

Tempus coenulae quod attinet, dicendum, quod collatio ordinarie sumenda est vespere, ita etiam habet consuetudo; quapropter ille, qui sine causa notabiliter eam anticiparet, peccatum committeret, sed probabilius tantum veniale, quia haec transmutatio non est violatio jejunii quoad substantiam, sed quoad circumstantiam non multum gravem. Occurrente autem aliqua causa rationabili, quae non debet esse multum gravis, e. g. itineris, studii, lectionis aut concionis habendae, alicujus negotii peragendi, amici adventuri etc., nulla est culpa. Ita communiter. Tempus collationis.

Qui inadvertenter die jejunii jentaculum sumpserit, quod fere consuetae refectioni par fuerit, tenetur, omisso prandio, vespertinam tantum coenulam sumere, eam tamen maturius, si absque nimia difficultate exspectare nequeat; hanc insuper coenulam pro necessitatis ratione augere potest.

c) Hora refectionis.

c) ***Hora refectionis:*** Hora refectionis duodecim saeculorum spatio quoad jejunium Quadragesimale fuit vespere post solis occasum; quoad alia jejunia erat hora nona, i. e. tertia post meridiem. Saeculo XIII. cibus in omnibus jejuniis ad horam nonam adhiberi coepit; saeculo tandem XIV. ad meridiem consuetudo sumendi cibum invecta est, quae nunc communi usu probatur. Quare hora refectionis plenae non est notabiliter ante meridiem collocanda; verum num hujus temporis observatio ad jejunium *sub gravi* etiam nunc pertineat, minime constat. S. Alphonsus quidem putat, sine causa longe ante meridiem prandere, grave peccatum esse; at quoniam permulti alii scriptores contrarium sentiunt, et ipse s. Doctor antea id probabilius dixerat, cuique licitum est, id, quod benignius est, opinari.

Excusat tamen causa levis brevem — per spatium hora minus, — *causa gravis*, e. g. quia aliquis ex familia proficisci debet, *notabilem anticipationem* ab omni culpa. Sed notandum, quod hora jejunii moraliter mensuranda est non mathematice, ut docet s. Thomas; hinc communiter assignant tamquam notabilem anticipationem vetitam, illam unius integrae horae.

Differre econtra refectionem ad vesperam, licitum est et laudabile, quia ad finem jejunii melius conducit, et magis accedit ad antiquam Ecclesiae consuetudinem. Porro licite potest sumi collatio intra horam decimam et undecimam matutinam, refectio vero differri ad quartam vel quintam horam vespertinam, „si rationabilis aliqua extet causa," ut declaravit S. Poenitentiaria 19. Jan. 1834.

Insuper non licet refectionem nimium protrahere; at tempus, *ad quod prandium protrahi potest, non est absolute determinatum;* juxta s. Alphonsum tamen prandium non absque culpa aliqua *ultra duas horas* ad summum protrahi potest. Elbel concedit usque ad tres vel quatuor horas saltem pro Germanis, juxta eorum morem; sed Lacroix merito dubitat, an haec consuetudo sit approbata, nisi, ut ait, post duas circiter horas apponantur sola bellaria (Desert) vel cibi leviores, maxime si postea vesperi omittatur collatio; s. Alphonsus ad haec dicit: „Hoc ego nec approbo, nec reprobo."

Nec prandium sine causa notabiliter interrumpi potest, quia secus multiplicatae haberentur refectiones; si vero interruptio sit levis, e. g. unius quadrantis, omni culpa vacat, etiamsi absque ratione fiat; si autem interruptio sit notabilis, e. g. unius horae sine causa, non caret culpa saltem veniali; quodsi valde notabilis, ut duarum horarum sine causa, nequit excusari

a gravi peccato. Si vero interruptio gravi de causa fiat, nullum est peccatum, ad mensam redire, etiam mora notabili interposita, ut refectio sufficiens habeatur, quia Ecclesia non intendit obligare ad diem sine sufficiente refectione transigendum. Imo probabiliter ille, qui a mensa surrexit animo non amplius quid manducandi, iterum potest ad mensam redire, si convivae adhuc comedant, vel in mensa cibus apponatur novus, quem ille ignorabat apponendum, quia adhuc moraliter idem prandium censetur. Ita s. Alphons.

Ultimo notandum, quod ad jejunium hucusque descriptum quoad abstinentiam a carnibus, uti jam dictum est, tenentur *omnes baptizati rationis compotes*, etiamsi septennium non attigerint, uti sententia probabilis tradit; *quoad unicam refectionem vero omnes Christiani, vigesimum primum aetatis annum completum adepti usque ad sexagesimum annum inchoatum,* nisi in eis fuerit aliquod speciale impedimentum a jejunio excusans. Ante 21. aetatis annum completum nemo tenetur integre vi legis ecclesiasticae ad unicam refectionem. Ita mentem Ecclesiae interpretatur consuetudo a s. Thoma asserta et Doctorum ac piorum praxi prope generali firmata; ratio est, quia in pueris ante assignatam aetatem est evidens ratio non jejunandi, tum propter debilitatem naturae, ex qua provenit, quod indigeant frequenti cibo et non simul assumpto, tum etiam quia multo indigent nutrimento propter necessitatem augmenti, quod fit de residuo alimenti. Conveniens tamen est, ut etiam hoc tempore se ad jejunandum exerceant plus vel minus secundum modum suae aetatis, quod est tamen consilii tantum, non praecepti. Quandoque tamen magna tribulatione imminente in signum poenitentiae arctioris etiam pueris indici possunt jejunia; similiter a confessariis ipsis imponi possunt, si id neccessarium visum fuerit ad coercendam carnis petulantiam, sicut et ipsi possunt ultro se voto adstringere ad jejunandum. Obligatio ad jejunium.

Ex iisdem fere rationibus etiam senes sexagenarii, etsi anno 60. nondum completo, ad unicam refectionem non tenentur, quia ob virium imbecillitatem egeant cibo frequentiori; et hoc valet juxta sententiam probabilem, etiamsi senes certe robusti inveniantur, ut fert universalis consuetudo.

2. ***Causae excusantes a jejunio:*** Praeter causas, quae totaliter eximunt a jejunio, ut amentia, et aetas septennio minor, quatuor sunt causae excusantes, videlicet: *dispensatio, impotentia, labor* et *pietas*. 2. Causae excusantes a jejunio.

a) ***Dispensatio:*** Quoad facultatem dispensandi a jejunio idem valet, quod supra de dispensatione ab abstinentia dictum est. — Causam dispensandi quod attinet, s. Alphonsus dicit: „Quod si causa, quae a jejunio eximit, fuerit evidens, potest subditus a se eximi, praesertim cum sibi non esset facile Superiorem adire. Sed si causa est dubia, debet tunc sine dubio ad Praelatum confugere.“ a) Dispensatio.

Hinc confessarii, quamvis potestate dispensandi in lege jejunii non gaudeant, in casu tamen particulari, in quo datur

causa evidenter excusans, poenitenti declarare possunt, eum ad unicam refectionem vel ad abstinentiam a carnibus non teneri. Item medici declarare possunt, quaenam causa ad dispensandum vel excusandum sit vere sufficiens. Advertit tamen Gousset, non esse inquietandos fideles, qui se dispensatos censent, quando medicus ob valetudinem consulit vesci carnibus vel repetita refectione uti, quia sunt in bona fide, et aliqua consuetudo pro ipsis allegari potest, nec parochus pro nimia medicorum indulgentia responsabilis est.

Sed hic notandum, quod dispensati a carnibus, non ideo etiam ab unica refectione dispensati sunt, et vice versa. Illi, qui ratione *aetatis*, vel *laboris*, vel *infirmitatis* jejunare non tenentur, seu ab unica refectione eximuntur, illis diebus jejunii, cum esus carnis omnibus ad unam refectionem permittitur, licite vesci possunt carnes *pluries in die*, seu toties, quoties; nisi Episcopus, auctoritate apostolica dispensans, restrictionem adjecerit. Constat ex decisionibus S. Poenitentiariae 16. Jan. 1834, 27. Maji 1863 et 16. Martii 1882.

Adhuc notandum, quod propter dispensationem, quam paterfamilias in lege abstinentiae tulerit, reliqua familiae membra non eo ipso habeant dispensationem, possunt tamen aliquando ex impossibilitate servandae legis excusari, tunc nempe, si paterfamilias aut non vult, aut non potest cibos utriusque generis, esuriales scil. et carnes parare; constat ex declaratione S. Poenitentiariae 27. Maji 1863.

b) Impotentia. *b)* ***Impotentia aut physica aut moralis:*** *Ob impotentiam physicam excusantur:*

α) *Infirmi,* quibus jejunium potest esse notabili nocumento; et ita pariter reconvalescentes et debiles, qui nequeunt alimento sufficienti in unica refectione se reficere.

β) *Mulieres praegnantes aut lactantes,* quibus ne licet quidem jejunare (nisi semel aut bis, si mulier sit robusta); si qua autem sit debilis, vel habeat prolem infirmam, eximitur etiam a lege abstinentiae.

γ) *Pauperes*, qui destituti sunt cibo unicae comestioni sufficienti, ut dicunt omnes cum s. Thoma, qui excusat eos, „qui non possunt simul habere, quod eis ad victum sufficiat.“[1])

Ob impotentiam moralem excusantur in genere omnes, qui jejunare nequeunt sine gravi incommodo aut difficultate extrinseca; hinc in specie excusantur:

α) *Adolescentes,* qui annum 21. nondum expleverunt, ex rationibus supra relatis. Ille vero juvenis, qui die quodam jejunii e. g. hora octava vel nona matutina annum 21. complet, ab hac hora probabilius tenetur ad jejunium, quia praeceptum obligat statim, ac tempus obligationis advenit. Ita s. Alphons.

β) *Senes sexagenarii,* licet adhuc robusti sint, quia robur eorum

---

[1]) 2. 2. q. 147. a. 4. ad 4.

inconstans est et „senectus, ut fert axioma, ipsa morbus est“. Excipe Religiosos, vel alios, qui voverint jejunare usque ad mortem.

γ) *Illi, qui nunc quidem sunt sani, sed quibus ex certis aut probabilibus indiciis imminet morbus;* e. g. ii, quibus jejunium grave affert capitis dolorem vel notabilem somni privationem.

δ) *Uxores,* si jejunando gravem paterentur virorum indignationem, modo jejunium a viro non prohibeatur in contemptum Religionis vel praecepti Ecclesiae; idem valet de filiisfamilias ex eadem ratione; porro *viri,* qui ob jejunium debitum conjugale, ex justitia vel etiam ex sola caritate reddendum, reddere non possent.

ε) *Militaes,* sive in castris, sive in stationibus morentur; tum quia ipsi magnos labores perferunt, tum quia statutis horis non possunt comedere.

c) ***Labor:*** Secundum jus novum, in declaratione quadam Eugenii IV. fundatum, omnis labor honestus cum jejunio incompossibilis, etsi non necessarius, modo non sit in fraudem jejunii susceptus, eximit a jejunio. Hinc excusantur: c) Labor.

α) *Operarii,* qui labores cum notabili corporis defatigatione exercent, ut agricolae, fabri, figuli, textores, lanarii, fullones, bajuli, aurigae, fabrilignarii, murarii, sutores, fossores, coqui, qui multas dapes multis personis parant, si fere per diem laborant; typographi praelum versantes, pistores. Item famuli et alii, qui tot tantisque occupantur laboribus, ut unicam refectionem absque magna difficultate observare non valeant. Non autem famulae, lanam aut linum nentes, aut similia levia officia domi exhibentes. Item ornantes templa, scalas circumferendo.

Sed hi omnes intelliguntur tunc excusari, cum majorem diei partem consumunt in hujusmodi laboribus, non vero, si per duas vel tres horas tantum. Et isti etiam excusantur a jejunio uno alterove die, quo labores intermittunt ratione reficiendae lassitudinis.

Econtra illi, quorum labor absque gravi difficultate potest cum jejunio componi, ab ejus lege non eximuntur, uti e. g. pictores, acu pingentes, cantores, musici, mercatores, medici, chirurgi, pharmacopolae etc., ordinarie etiam barbitonsores non excusantur, nisi quia aliqui ob laboris quantitatem, aut ob debilitatem complexionis, jejunando suam artem exercere non possent; idem valet de sartoribus, notariis, scriptoribus, pictoribus et horologiorum artificibus, sed de illis nimirum, qui horologia parva conficiunt, nam pro magnis labore magno opus est; item de molitoribus, argentariis et sculptoribus. — Non excusant ergo *artes liberales,* nec officia, quae levi exercentur labore. Huc spectat propositio 30. ab Alexandro VII. damnata, utpote nimis generalis: „Omnes officiales, qui in republica corporaliter laborant, sunt excusati ab obligatione jejunii;

nec debent se certificare, an labor sit compatibilis cum jejunio."

In dubio, an aliquis ob laborem a jejunio eximitur vel non, distinguendum est, scilicet *ubi labor per se excusat,* uti sunt labores serviles proprie tales, uti arare, triturare, fodere, secare etc., in dubio praesumptio stat pro exemtione a jejunio; *e converso ubi labor non per se, sed per accidens,* nempe ob aliquam circumstantiam debilitatis personae, vel gravitatis rei excusat, ut e. g. concionari, confessiones audire, literas tradere etc., in dubio praesumptio stat pro obligatione jejunii. Ita s. Alphonsus.

β) *Itinerantes:* scilicet iter pedibus agentes per notabile tempus (per 5 horas vel per 4 horas cum magna fatigatione); attamen „si peregrinatio commode differri potest, non sunt propter haec Ecclesiae jejunia praetermittenda", ait s. Thomas. Sed si quis jam iter inceperit, et interim dies jejunii contigerit, non tenetur iter interrumpere, ut jejunet, ut dicunt communiter. Non excusantur vero, qui equo vel curru iter agunt, ut patet ex propositione 31. ab Alexandro VII. damnata: „Excusantur absolute omnes illi, qui iter agunt equitando, utcunque iter agant, etiamsi iter necessarius non sit, et etiamsi iter diei conficiant." Ceterum communiter excusant eos, qui per plures dies cum notabili incommodo itinerantur, e. g. in via ferrea, et iterata refectione opus habent, imo etiam iter unius diei potest excusare aliquem, qui illud magno labore conficere deberet, aut esset viribus debilis.

Ultimo notandum, quod etiam illi, qui non ex necessitate aut officio, sed honestae recreationis causa, aliove fine honesto iter aut laborem suscipiunt, e. g. venantur, piscantur, invisunt amicos aut urbes, qui iter agunt pedibus, licet possint rheda, et similes, etiam eximuntur a jejunio, ubi defatigatio est gravis; item qui laborem magnum aggreditur ob magnum lucrum.

Econtra sola defatigatio ex labore inhonesto et illicito non eximit a jejunio, cum praesumi non possit, Ecclesiam relaxare legem suam in favorem peccantium; secus tamen, si ex labore illicito sequeretur aut immineret infirmitas, tunc enim postulat lex naturalis conservationem vitae.

Ille denique, qui iter vel aliud opus incompossibile cum jejunio absque justa causa et in fraudem legis suscipit, postquam graviter est defatigatus, ad jejunium quidem non tenetur, quia jam est factus moraliter impotens ad jejunandum, ast peccavit contra jejunii praeceptum operando in fraudem praecepti, quia, ut fert regula juris: „Fraus et dolus nemini patrocinantur," et quia non licet sine gravi ratione apponere etiam indirecte causam proxime impedientem, uti jam alio loco dictum est. Sed si quis sine ratione opus aggreditur cum animo jejunandi, iste postea non pec-

caret, si illo defatigatus jejunium solveret. Ita s. Alphons. cum aliis.

d) ***Pietas:*** sub hac ratione a jejunio excusantur, qui talia pietatis opera sustinent, quae praestantiora Deoque gratiora sunt, quam ipsum jejunium, quocum ista opera, moraliter loquendo, conjungi non possunt. Ecclesia enim intendit ad jejunium obligare, prout medium boni, non autem prout impedimentum majoris boni est. Hinc a jejunio excusantur concionatores, qui tempore quadragesimali aut Missionis quotidie, aut saepius per hebdomadam conciones habent; cantores, si jejunando vocem amittant, seu officium non possent exercere. Lectores scientiarum, qui magno studio et labore indigent, ut muneri suo satisfaciant, secus vero, si dictent lectiones jam prius ordinatas et saepius repetitas; magistri grammaticae, si per 4 aut 5 horas doceant; idem valet de judicibus, medicis, advocatis et similibus, qui animum valde intentum habere debent, ut officio suo rite defungantur. Similiter excusantur, qui aegrotis sive in hospitalibus, sive in domibus privatis inserviunt, atque jejunantes muneri suo difficilius satisfacere possunt. Confessarii excusari possunt, si extraordinarium laborem sustineant, e. g. si pluribus diebus succedentibus confessiones audire debeant, ut in Missionibus fieri solet, vel etiam si in uno die per octo et decem horas confessiones audire debent, et ita debiles sint, ut sine gravi incommodo poenitentium frequentiae satisfacere nequeant. Sed omnes praedicti tunc tantum a jejunio eximuntur, quando aliter non valeant suis muneribus satisfacere. Ita s. Alphons. In dubio de sufficientia causae a jejunio excusantis recurrendum est ad Superioris dispensationem.[1]

d) Pietas.

§. 26. Castitas et peccata opposita.

Decalogi praecept. VI. et IX.

1. ***Castitas.*** *1.* ***Notio castitatis:*** Castitas (a castigando, nempe concupiscentias) dupliciter sumitur, *uno modo improprie seu metaphorice* pro puritate ab omni dilectione et delectatione inordinata creaturarum; et sic sumpta est generalis virtus. *Secundo modo proprie seu in sensu strictiori*, et est „virtus moderativa delectationum in venereis juxta dictamen rationis“; ita s. Thomas; et sic sumpta est virtus specialis, et species seu pars temperantiae, uti supra dictum est.

I. Castitas. 1. Notio castitatis.

Materia proxima castitatis sunt motus interiores circa venerea; *materia remota* sunt actus externi, puta coitum, tactus, oscula etc., nam officium hujus virtutis est, hos actus, tam internos, quam externos, vel comprimere, vel secundum normam rationis componere.

2. ***Species castitatis:*** *Distinguitur triplex castitas*, scil.

2. Species castitatis.

[1] Cfr. s. Alph. L. III. Billuart tom. 13. de jejun. Reiffenstuel tr. 10. Müller II. §. 165.—168. Marc P. II. n. 1218.—1248. Lehmkuhl I. n. 1207.—1222. Staller II. tr. 4. §. 9.—11. Linzer Quartalschrift 1883, pag. 271 sqq.

castitas conjugalis, quae abstinet a voluptatibus carnis illicitis, et utitur moderate licitis in matrimonio; *castitas vidualis,* quae post solutum matrimonium abstinet in posterum ab illicitis et licitis in matrimonio, i. e. ab omni delectatione venerea; *castitas virginalis,* quae nunquam has voluptates experta, ab omnibus omnino, tam licitis, quam illicitis abstinet in perpetuum. Prima est de praecepto, secunda et tertia de consilio, nam „bona est castitas conjugalis, melior continentia vidualis, sed optima perfectio virginalis," ait Beda Venerabilis.

Pudicitia.

Castitas vocatur etiam *pudicitia;* attamen quamvis castitas et pudicitia saepe pro uno eodemque sumantur, stricte loquendo pudicitia non est castitas, sed specialis ejusdem circumstantia. Pudicitia scilicet dicitur a pudore, in quo verecundia significatur. Unde pudicitia est proprie circa illa, de quibus homines maxime verecundantur, qualia sunt venerea, propter rebellionem membrorum genitalium, et quasi absorptionem rationis, adeo, ut concubitus ipse conjugalis, qui tamen honestate nuptiarum decoratur, verecundia non careat, et erubescerent conjuges, illum coram aliis exercere.

Verecundatur autem homo non solum de ipso concubitu, sed etiam de quibusdam ejus signis, ut sunt aspectus impudici, oscula, tactus etc. Et quia haec solent magis deprehendi, ideo pudicitia magis respicit hujusmodi exteriora signa; castitas autem magis ipsam veneream commixtionem. Ergo pudicitia pertinet ad castitatem ut ejus circumstantia specialis.

Virginitas.

A castitate communi distinguenda est ***virginitas,*** quae est virtus specialis, habens se ad castitatem sicut magnificentia ad liberalitatem.

Virginitas dicitur a *virore;* sicut enim illud dicitur virens, et in suo virore persistere, quod importat, quod nimio calore non est adustum; ita virginitas hoc importat, quod persona, cui inest, immunis sit a concupiscentiae adustione, quae esse videtur in consummatione maximae delectationis corporalis, qualis est venereorum delectatio.

Distinguitur duplex virginitas:

a) Virginitas formalis.

a) Virginitas formalis seu moralis, quae consistit in firmo voluntatis proposito, abstinendi ab omni venerea voluptate, et corporis integritatem et puritatem in perpetuum servandi. Unde vere virgines non sunt parvuli, quantumvis carne integri, quia hujusmodi propositum non habent, neque adulti, volentes aliquando nubere, eo, quod propositum perpetuo servandi virginitatem non habeant; nec etiam illi, qui mentaliter consentiunt in rem veneream sine opere subsecuto, ob rationem proxime dictam. Sed si virginitas formalis tantum violatur per peccatum internum, perditur quidem ejus praerogativa, sed *reparabiliter*, ita nempe, ut per poenitentiam et reassumptum propositum virginitatem perpetuo servandi, jus iterum ad aureolam habeatur.

b) Virginitas materialis.

b) Virginitas materialis seu naturalis (physica), quae consistit in immunitate ab omni experimento delectationis venereae,

et in quadam integritate membri vel organi genitalis in utroque sexu. Et haec virginitas intelligitur in communi modo loquendi, juxta quem illae puellae dicuntur virgines, quae hanc integritatem servant, quamvis aliunde sint pollutae. Hunc usum sequitur Ecclesia in Virginum consecratione, a qua non repelluntur variis modis voluntarie pollutae, modo claustrum virginale integrum servaverint. „Est ergo haec virginitas res corporis, ut s. Augustinus dicit, pudicitia res animi."

Virginitas naturalis amittitur irreparabiliter in viro per externum peccatum luxuriae completae, i. e. per pollutionem vel copulam perfectam, in muliere per reserationem claustri virginalis, sive haec reseratio fiat per copulam voluntariam vel involuntariam, sive per aliam turpitudinem. — Sed nihil obest virginitati, quoad ejus praerogativam, si integritas carnis *mere materialiter* violatur per stuprum vel pollutionem involuntariam, si desit consensus in ipsam, nam Aureola amittitur tantum per peccatum turpe mortale.

Nota: Omnimoda ignorantia quoad res venereas dicitur: *Innocentia.*

3. ***Praestantia castitatis:*** *Castitas virtus admodum praeclara est,* prout jam ex rei natura cognoscitur. Etenim ipsa ratio summam laudem illi attribuit, qui appetitus inferiores, quos cum brutis communes habemus, ad normam legis altioris dirigit et coercet. Ipsi quoque gentiles, quantacunque eorum caecitas et depravatio fuit, homines vere castos non potuerunt non admirari; cujus rei exemplum ipsae quoque virgines Vestales exhibent. Eadem omnium populorum persuasio fuit, ad has pugnas, quas caro et sanguis excitant, feliciter sustinendas singulare prorsus animi robur requiri. Hinc etiam in s. Scriptura haec virtus magnis encomiis celebratur: „O quam pulchra est casta generatio cum claritate." Spiritus Sanctus dicit: „Immortalis est enim memoria illius; quoniam et apud Deum nota est, et apud homines"[1]) etc. 3. Praestantia castitatis.

Praesertim *virginitas* quae est heroica quaedam castitas, plane angelica virtus est; angelis enim similes reddit homines, qui in carne viventes, non secundum carnem, sed secundum spiritum vivunt. Talis tantaque est virginitatis pulchritudo, ut propter eam s. Maria mater Dei esse mereretur, s. Josefus nutritius Christi eligeretur, s. Joannes Apostolus ampliore dilectione dignus a Domino haberetur.

Unde etiam virginitas castitatem vidualem et conjugalem longe perfectione excellit, quod est de fide, ut Concilium Tridentinum definivit: „Si quis dixerit, statum conjugalem anteponendum esse statui virginitatis vel coelibatus; et non esse melius ac beatius manere in virginitate aut coelibatu, quam jungi matrimonio, ana-

---

[1]) Sapient. IV. 1.—2.

thema sit."[1]) Hinc virgines speciali laureola in coelesti patria condecorantur.[2])

4. Subsidia castitatis.

4. ***Subsidia castitatis.*** Quam pulchra est casta generatio, quam praestans castitas, tam difficile est, eam illibatam servare, quia hunc thesaurum in vasis fragilibus portamus. Sunt tamen quaedam subsidia, quae ad illam servandam maxime conducunt, et quidem potissimum sequentia:

a) *Vita laboriosa et moderate severa;* etenim *otium* est fons omnium malorum. Idem dicendum de *victu et cultu corporis* delicatiore; caro enim molliter tractata recalcitrat. „Libido gravis ignis est," ait s. Ambrosius, „et ideo non demus illi alimenta luxuriae; pascitur conviviis, nutritur deliciis, vino accenditur, ebrietate inflammatur."[3]) Idcirco studendum est virtuti *sobrietatis* et *mortificationis,* juxta exemplum Apostoli: „Castigo corpus meum, et in servitutem redigo."[4])

b) *Fuga occasionum,* seu eorum omnium, quae *ab extrinseco* ad libidinem illiciunt, uti sunt: consortium cum liberioribus et lascivis, qui sermones turpes proferunt, familiaris conversatio cum sexu altero, periculosi conventus, choreae, spectacula inhonesta, lectio turpium etc. Hinc una omnium vox est, in hoc pugnandi genere salutem *in fuga* reperiri, est enim luxuria vitium blande, a quo nemo securus, nisi longe distans.

Sed quoad pollutionistas notandum est, quod ipsis *solitudo,* alias virtuti amica, speciale periculum afferre solet. Hinc illis suadendum, ut, insurgente graviori tentatione de cubili se proripiant, honestamque quaerant conversationem. Generatim consulitur, ut iidem graviter tentati *orent* et *situm loci mutent.*

c) *Pugna fortis* in iis tentationibus, quae per fugam nequeunt declinari.

d) *Vigilantia* et accurata custodia tum sensuum exteriorum, tum phantasiae.

e) *Frequens oratio* pro impetrando dono continentiae. Ad orationem pertinent: recordatio novissimorum, aliarumque religionis veritatum, viva et non intermissa memoria Dei praesentis, recordatio Passionis Domini, pia frequentatio Sacramentorum Poenitentiae et Eucharistiae, necnon constans cultus et invocatio B. V. M. immaculate conceptae, angeli tutelaris, et s.s. Patronorum hunc in finem specialiter electorum e. g. s. Josefi, Aloisii, Berchmans etc.

f) *Profunda humilitas et diffidentia de nobismetipsis,* unacum fiducia invicta erga Deum. Verissimum est, quod ajunt, scil. saepe fieri, ut occulta superbia per apertam luxuriam puniatur. Idcirco nemo, in praeterita castitate confidens, temere periculis se exponat; nullus alios, qui misere corruerunt, contem-

---

[1]) Sess. XXIV. can. 10. [2]) Cfr. Apocal. XIV. 3.—4. [3]) Lib. I. de poenit. c. 14. [4]) I. Cor. IX.

nere vel exsibilare audeat, sed unusquisque semetipsum consideret, ne et ipse tentetur.

g) *Sollicita cura pudoris naturalis,* quia is est munimen illud, quo Deus ipse castitatem circumvallavit. Res haec praesertim in educatione summi momenti est; maxima enim puero reverentia debetur.

h) *Portum denique quemdam periclitantis castitatis honestum matrimonium praebet,* nec desunt homines, qui ex miserrimo istius virtutis naufragio per matrimonium tandem salvati sunt. Hinc aliquando suadendum est matrimonium iis, qui nubere possunt, tamquam unicum, vel saltem tamquam efficacius remedium, quo se ab habitu masturbationis liberare valeant; unde Apostolus dicit: „Dico autem non nuptis et viduis: bonum est illis, si sic permaneant, sicut et ego. Quodsi non se continent, nubant. Melius enim est nubere, quam uri.“[1]

II. ***Peccata opposita.*** Jam acturi sumus de materia castis oculis et auribus taedio plena, sed Confessariis omnino necessaria, ne aut indulgentiores peccatis conniveant, aut rigidiores peccata adaugeant. Unde lutulentum hoc caenum, mortiferum spirans foetorem, ingressuri, dilectissimi Confratres, orate mecum: Ure igne sancti Spiritus renes nostros et cor nostrum, Domine, ut tibi casto corpore serviamus et mundo corde placeamus, per Christum Virginem, Virginis filium et Virginum Sponsum. Amen. II. Peccata opposita.

1. Peccata contra castitatem generali nomine ***luxuriae*** significantur. *Luxuria est inordinatus appetitus vel usus delectationis venereae.* 1. Luxuria.

Delectatio venerea (libidinosa, luxuriosa, carnalis) est illa, quae oritur (in utroque sexu) ex commotione spirituum generationi inservientium, et sentitur circa partes genitales. Dicitur *venerea,* quia naturaliter ordinatur ad promovendam generationem, cui Deam Venerem praesidem faciebat insaniens et impia gentilitas.

Differt ergo delectatio venerea specifice a *delectatione mere sensuali* seu *organica,* quae percipitur ex objecto aliquo sensibus amoeno seu connaturali, e. g. ex objecto auribus, oculis proportionato, uti ex contactu rei lenis, ex aspectu pulchrae mulieris, ex auditu pulchrae musicae etc. Juxta nonnullos delectatio sensibilis, etiam propter se quaesita, veniale non excedit, sed s. Alphonsus dicit, delectationem organicam directe intentam, semper esse peccatum mortale, propter periculum proximum, incidendi in delectationem carnalem.

Nota: Quatenus peccata luxuriae adversantur pudicitiae, dicuntur *impudicitiae,* seu vitia pudori humano repugnantia in usu venereorum et ad ea ordinatorum, uti e. g. in copula carnali, in aspectibus, tactibus, osculis, amplexibus aliisque ad eam ordinatis. — Impudicitiae affinis est *lascivitas,* quae est corporis motus indecens, ex animi dissolutione procedens. — *Libido* ex communi usu loquendi significat cupi-

[1] I. Cor. VII. 8.

ditatem delectationis venereae. — Impudicitia per se differt a luxuria, quia non est cum delectatione venerea necessario conjuncta, ad hanc tamen facile conducit, et ideo in praxi peccata impudicitiae a peccatis luxuriae imperfectae, vel indirecte volitae, non distinguuntur.

2. Divisio luxuriae. a) Luxuria interna et externa:

2. ***Divisio luxuriae.*** Distinguitur multiplex luxuria, scilicet: *a) Luxuria interna seu cordis,* et *externa seu operis. Ad priorem* pertinent: turpes cogitationes, voluntarie et improbe admissae, morosa delectatio, necnon prava desideria et decreta; *ad posteriorem* pertinent omnia peccata operis, quae sunt duplicis generis:

α) actus imperfecti;

α) Actus imperfecti, seu inchoata luxuria, qui animo quidem libidinoso fiunt, quin tamen luxuria per effusionem seminis consummetur. Hujusmodi sunt: impudici aspectus, sermones, tactus et oscula. In his praeter internam delectationem vel desiderium admissum, semper etiam ratio scandali et periculi attendi debet, necnon ad quas obscoenitates se aliquis abripi permiserit;

β) actus perfecti.

β) actus perfecti, seu luxuria consummata, in quibus intervenit ultimus terminus venereorum, scilicet emissio seminis. Suntque illi *actus vel naturales,* cum in iis fit commixtio seu copula eo modo, quo natura instituit, quatenus nempe servatur diversitas sexus, identitas speciei, vas debitum, modusque naturalis; *vel contra naturam,* si horum unum vel alterum deest.

b) Luxuria directa et indirecta.

b) Luxuria directe volita et indirecte permissa, seu volita in causa; prior est, quando delectatio carnalis praecise in se intenditur; *posterior,* quando non directe delectatio carnalis, sed aliud quidpiam, scilicet illud intenditur, quod voluptatem carnalem causare, solet, ut fit in aspectibus vel lectionibus minus castis ex curiositate vel alio fine habitis.

c) Luxuria materialis et formalis.

c) Luxuria materialis et formalis; sub *priore* intelliguntur omnes actus luxuriae, tum perfecti, tum imperfecti, qui citra et contra omnem voluntatem fiunt e. g. cogitationes turpes, motus carnales, pollutiones etc. Isti actus secluso consensu post advertentiam ad eos, non imputantur et omni culpa vacant. Sub *luxuria formali* (in origine) intelliguntur omnes actus luxuriae, sive perfecti, sive imperfecti, qui sunt voluntarii in causa, ita, ut praevideri et impediri possint ac debeant; suntque hujusmodi actus vel levia vel gravia peccata, prout causa eorundem aut leviter vel graviter, aut remote vel proxime influit, ut infra fusius dicetur.

3. Gravitas luxuriae.

3. ***Gravitas luxuriae.*** Luxuria est ex genere suo peccatum mortale, et quidem:

a) Luxuria directe in se volita et intenta, cujusvis speciei, est grave peccatum ex toto genere suo, nec unquam, objective considerando, parvitatem materiae admittit; ita, ut omnis delectatio venerea, etiam levis, cum plena advertentia et consensu

capta extra matrimonium, sit peccatum mortale, et nullum detur in hoc genere veniale peccatum ex levitate materiae, sed tantum ex defectu sufficientis deliberationis; ratio praecipua est, quia omnis delectatio venerea directe voluntaria extra matrimonium in se graviter peccaminosa est; insuper consensui directo in delectationem veneream quantumvis levem, inseparabiliter annectitur periculum ulterioris et turpioris consensus; cum enim natura ex sua corruptione sit maxime fragilis in hac materia, atque tota proclivis in has delectationes, et insuper haec indocilis passio, semel voluntarie admissa, mentem excaecet et tanta vi voluntatem rapiat, ut illi figere terminos sit difficillimum, ne dicam impossibile, vix aut ne vix fieri potest, quod quis directe consentiat delectationi carnali in se, quin sit periculum proximum, in aliquid ulterius et turpius consentiendi; atqui id, quod de se foret veniale, fit mortale ratione periculi proximi incidendi in mortale. Hinc etiam Alexander VII. sequentem profligavit propositionem 40.: „Est probabilis opinio, quae dicit, esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem et sensibilem, quae ex osculo oritur, secluso periculo ulterioris consensus et pollutionis.“

b) *Luxuria indirecte volita (itemque impudicitia) admittit parvitatem materiae,* i. e. reputatur gravis vel levis, prouti actio, ex qua praevidetur delectatio carnalis secutura, vel cum, vel sine justa causa ponitur, et vel proxime et graviter, vel leviter tantum et remote in illam influit, imo, si adsit justa causa actum quendam ponendi, ex quo per accidens sequitur delectatio carnalis, vel etiam pollutio, illa, secluso periculo consensus, omni culpa vacat, ut patet ex dictis de voluntario indirecto.

Ultimo notandum, quod luxuria insuper est *peccatum capitale,* quia habet finem multum appetitibilem, cujus appetitu homo procedit ad multa peccata perpetranda. A sancto Gregorio M. assignantur octo filiae interiores luxuriae, scilicet: caecitas mentis, inconsideratio, praecipitatio, inconstantia, amor sui, odium Dei, affectus praesentis saeculi et horror futuri; et a s. Isidoro quatuor exteriores, nempe: turpiloquia, scurrilia, ludicra et stultiloquia, quibus adnumerari possunt: amentia, et autochiria saepissime ex ea secutura.

Nota: Cum de actibus luxuriae internis plane eadem valent, quae de peccatis internis in parte generali dicta sunt, hic nobis disserendum tantum est de externis luxuriae actibus, tum perfectis quum imperfectis.

A. Actus luxuriae imperfecti.

Actus luxuriae imperfecti sunt: *tactus, oscula* et *amplexus turpes, aspectus* rerum inverecundarum, *turpiloquia,* et *lectio de materia turpi.* Isti actus sunt vel causati a libidine, vel causant

libidinem seu ad ipsam disponunt. Sunt pro variis circumstantiis peccata vel mortalia, vel venialia, vel non peccata.

Ad hoc dijudicandum isti actus sub duplici ratione considerari debent, scilicet:

a) *Ratione finis,* qui potest esse *vel honestus et licitus,* ut necessitas, utilitas, amicitia, urbanitas; *vel venialiter malus,* ut curiositas, levitas, jocus; *vel mortaliter malus,* ut delectatio venerea, et juxta s. Alphonsum sola intentio delectationis sensibilis seu organicae.

Hinc praeprimis quaerendum est, quonam impulsu isti actus peracti sint? an ex delectatione venerea seu libidine? an ex petulantia, levitate vel joco, curiositate? an ex necessitate vel utilitate?

b) *Ratione objecti,* et ex hac parte isti actus sunt vel *honesti,* si fiant in partibus corporis honestis, e. g. in facie, manu etc.; vel *minus honesti,* si fiant in partibus minus honestis, e. g. pectore, pedibus etc.; *vel inhonesti,* si fiant in partibus inhonestis, i. e. in pudendis aut vicinis partibus. Hinc quaerendum, an isti actus fuerint per se graviter, an leviter turpes; sed differentia haec non tam subtili distinctione intellectus, quam sensu naturali verecundiae dignoscitur. Viget inter homines honestus sensus communis, edocens, quae in hac re adhuc toleranda, quae improbanda, quaeve graviter damnanda sint. In dubio etiam usui locorum et consuetudini aliquam vim tribuere licet; nimirum consuetudo, etsi non det facultatem ad id, quod est contra jus naturae, tamen vim concupiscentiae diminuere solet, quia assueta minus phantasiam excitant. Ita s. Alphonsus.

Ante discussionem singularum actionum, quae ad luxuriam imperfectam pertinent, haec duo principia generalia statuenda sunt:

a) *Omnes praedicti actus imperfectae luxuriae, scilicet tactus, amplexus, oscula, aspectus, sermones et lectiones turpes, secluso consensus periculo per se non sunt peccata;* quia, quod est per se peccatum, nunquam potest esse licitum, hujusmodi autem actus, possunt fieri liciti, ut infra dicetur.

b) *Omnes isti actus vero, quantumvis sint honesti, si fiant ex affectu delectationis venereae, semper sunt peccata mortalia;* quia, uti jam dictum est, luxuria directa non admittit parvitatem materiae. Hinc graviter hallucinantur, qui, cum praefatos actus leves exercent sub praetextu urbanitatis aut amicitiae, putant se a peccato gravi immunes, si delectationi carnali inde exurgenti afficiantur et consentiant.

His praenotatis jam actus luxuriae imperfectae juxta sequentes regulas taxandi sunt:

1. Sermones etc. turpes.

1. ***Sermones, cantus et lectiones turpes.***

a) *Turpia loqui, canere, scribere, audire, legere, ex carnali delectatione, vel cum periculo proximo consensus in illam, vel etiam cum gravi scandalo, est peccatum mortale.* Ita omnes. Unde turpiloquia etc. graviter obscoena, etiam secluso affectu libidinoso et periculo consensus, sine necessitate prolata, sunt pec-

cata mortalia, licet ex levitate, joco aut petulantia tantummodo proferantur, idque propter scandalum, quod aliis praebetur, praesertim si coram juvenibus talia proferuntur, ita, ut hi vel turpiter commoveantur, vel res pudendas, quas hucusque feliciter nesciverant pessime edoceantur. Hinc:

α) Graviter peccant generatim, qui sermones permiscent, etiam ex levitate, de actu conjugali, de licitis et illicitis inter conjuges, de modis impediendi generationem, procurandi pollutionem, praesertim si inter juvenes diversi sexus id fiat; sed veniale censetur per se, si de his obiter sermo sit inter conjugatos, cum propter consuetudinem hisce parum ordinarie moveantur; attendatur autem semper, ne aliis grave scandalum praebeant, quod tam facile evenit.

β) Imo graviter peccant, qui unum tantum aut alterum verbum turpissimum jocose proferunt, e. g. nominando pudenda diversi sexus, aut modum copulandi, maxime coram adolescentibus. Nec a gravi excusantur, qui jocandi praetextu verbis aequivocis, sed satis notis utuntur. Nominare autem pudenda sui proprii sexus coram aliis ejusdem sexus s. Alphonsus excusat a mortali.

γ) Graviter peccant, qui ob jactantiam narrant sua turpia peccata, et quidem ordinarie tripliciter, nempe quia gloriantur de re mala, dein quia praebent magnum scandalum, et denique, quia de facili sibi complacent in peccatis patratis.

δ) Graviter peccant, qui legunt absque justa causa libros plane obscoenos, licet ex sola curiositate, vel recreationis causa, id facere videantur; talis enim lectio generatim multum incitat ad libidinem; excipe forte, si legentes ex sola curiositate ob aetatem provectam et frigidam complexionem et consuetudinem de rebus venereis tractandi grave libidinis periculum non incurrant.

b) *Turpia loqui, canere etc. recreationis vel joci causa, si verba graviter obscoena et nimis lasciva non sint, secluso scandalo et periculo consensus in venerem, veniale non excedunt.* Ita s. Alphonsus cum s. Antonino et aliis. Idem valet etiam de literis amatoriis non graviter obscoenis. Similiter libros parum obscoenos aut amatorios legere per se non est mortale, sed in praxi res plena periculi, praesertim pro juvenibus. Ratione autem scandali, gravis peccati rei sunt, qui componunt, scribunt, vendunt comoedias lascivas, narrationes amatorias, vulgo „Romans“, literas amatorias graviter turpes et similia scripta turpia, ex quorum lectione tot in dies animae pereunt.

c) *Turpia loqui, scribere, legere, audire cum legitima causa, absque prava intentione et periculo consensus et absque scandalo, nullum est peccatum.* Ita s. Alphonsus. Hinc non peccant, qui legunt libros obscoenos ad scientiam necessario comparandam, ad corrigendos mores, ad discendam historiae veritatem, ad Superiores informandos etc., modo turpi delectationi non assentiant. Item ex utilitate, i. e. sciendi cupiditate, stylum

perpoliandi ratione etc. perlegere libros, in quibus obscoena utilibus mixta sunt, *per se* non est peccatum; at in praxi praecipue pro juvenibus ejusmodi lectio non est sine gravi periculo. — Quoad lectionem *librorum romanticorum* in praxi distingui debet inter lectionem assiduam seu frequentem, et fortuitam seu raram; prima, speciatim quoad juvenes, ut plurimum sub gravi interdici debet; secunda non item, saltem ordinarie.[1])

d) *Illi, qui, dum obscoena audiunt, rident et gaudere videntur, non statim peccati mortalis arguendi sunt*, si revera non de ipsa re turpi, sed solum de artificioso aut lepido modo vel rei, vel dictionis aut scriptionis rideant seu delectentur, vel etiam ne ab aliis irrideantur, aut conviciis lacessantur; id enim non excedit culpam venialem, modo tamen per risum nulli sint scandalo, neque videantur auctoritatem praebere verbis turpibus, aut ea cohonestare, neque velint aestimari, quod talibus oblectentur.

Hinc audientibus turpia duplex periculum imminet: ne ipsimet peccent consentiendo, neve peccent participando ad peccatum loquentis. Quoad hoc ultimum distinguendum est, sitne audiens loquente superior, an ei par, aut inferior. Superioris utique est, linguam protervam compescere, quantum valet, ad quod tenetur ex officio; pares aut inferiores optime idem agerent, si felix successus ex monitione exspectandus esset; sin minus, caveant saltem, ne his obscoenitatibus assentiri, eoque loquentem magis animare videantur.

e) *Non semper ut mortalia sunt habenda tenera colloquia cum personis diversi sexus, quamvis plena sint periculis,* praesertim si sint diuturna, saepe repetita aut si in locis solitariis fiant, vel etiam noctu. Item non sunt semper indiscriminatim culpae mortalis damnandi amores juvenum, licet ordinarie tales personae raro versentur extra periculum graviter peccandi, uti sat abunde quotidiana ac lugenda experientia docet; tales enim adamantes ab initio conversantur ex propensione, quae ipsis prorsus innocua videtur; deinde propensio fit passio; et passio, ubi semel firmam radicem in corde fixit, mentem excaecat, ita ut longa peccatorum series inde originem ducat.

Prudens confessarius in hac re distinguat:

α) an in tali casu certa et propinqua spes nuptiarum adsit, necne; si ita sit, urgebit, ut nuptiae quam primum concilientur; usque ad hoc tempus autem conversationem occultam, i. e. sine testibus, ac praesertim nocturnam, serio interdicat; et hoc tanto magis observabit, si nuptiarum celebratio propter certa obstacula longius differri debet;

β) quoties vero ex ejusmodi amicitiis matrimonium non secuturum speratur, aut a personis omnino non intenditur, nihil intentatum relinquat, ut cito citius dissolvantur.

Ceterum familiaritas cum altero sexu non minus cavenda

---

[1]) Berardi, Prax. n. 313.

est cum personis innocentibus et piis; imo sub hoc obtentu periculum fallacius et majus evadere potest. Multi — proh dolor! etiam sacerdotes — taliter conversantes, spiritu coeperunt, et tandem carne desierunt.

Ultimo notentur verba s. Alphonsi: „Caveat confessarius ab absolvendis recidivis in colloquiis turpibus, quamvis dicant, se ea protulisse ex joco, nisi prius emendentur, vel signum extraordinarium doloris afferant. Heu, quid damni a verbis inhonestis; unum inhonestum verbum efficere potest, ut omnes, qui illud audiunt, damnentur.“[1])

2. ***Aspectus turpes.*** Visa influunt magis, quam audita, in phantasiam, atque inde in appetitum carnalem; quare oculos refrenare nescius non potest caste vivere, ejusque anima tamquam arx aperta patet immundis spiritibus. 2 Aspectus turpes.

In genere gravitas peccati aspectus turpis dependet ab intentione aspicientis, a gradu turpitudinis et *a periculo consensus venerei.* Juxta hanc regulam omnes hujusmodi casus solvendi sunt. Sed notandum, quod facilius a gravi excusantur *aspectus in se, quam in aliis,* quia propria minus movent: *item aspectus ejusdem, quam diversi sexus,* quia minus ad libidinem provocant. Notandum insuper, quod aspectus, si absque ullo desiderio fiant, *probabilius non induant malitiam circumstantiarum personae,* quae turpiter aspicitur, unde non opus est, in confessione personam aspectam determinare, an e. g. fuerit cognata, conjugata, sacra etc. In specie quoad aspectus turpes sequentes valent regulae:

a) Aspectus quantumvis leves et in partibus honestis, si fiant ex delectatione venerea, semper sunt peccata mortalia, quia in delectatione venerea directe intenta non datur parvitas materiae, ut jam saepius dictum est.

b) Praeciso affectu venereo (atque scandalo) aspectus impudici, habiti sine justa causa, sunt vel graviter vel leviter illiciti, pro gravitate vel levitate periculi consentiendi in delectationem veneream.

Hoc periculum autem ex variis causis dijudicandum est, videlicet: *tum ex turpitudine objecti; tum ex intentione agentis;* aliud enim est aspicere propter delectationem, aliud cum delectatione, ex curiositate aut ex necessitate; *tum ex modo agendi:* aliud enim est videre, aliud contemplari; aliud casu, obiter, raro, aliud studiose, morose aut frequenter inspicere; *tum demum ex conditione aspicientis:* quaedam enim commovent juvenes, non senes; virgines, non conjugatos; extraneos, non domesticos vel assuefactos. Unde dicunt:

α) Aspicere concubitum humanum, nisi eminus et obiter fiat, sine dubio est peccatum grave; item aspicere verenda aut partes vicinas personae *diversi sexus* difficulter a mortali excusatur, nisi forte aspectus fiat e loco valde remoto, et ita obiter, ut nullum periculum delectationis adsit. Et hoc

[1]) Prax. n. 40. Inst. catech. P. I. c. 6. n. 21.

tenendum, putat s. Alphonsus, etiamsi absit periculum commotionis, ratione aetatis puerilis aut senilis aut frigidae complexionis, quia inducit saltem periculum concupiscendi. Excipe, si oculi defigantur in infantem, quia talis aspectus parum movet, nisi morose et iteratis vicibus fiat cum pravo affectu.

β) Aspicere partes *minus honestas* personae *diversi sexus* videlicet brachia, crura aut pectus, non semper est per se mortale; sed si aspectus — praesertim pectoris nudi — sit deliberatus et diuturnus, aut si aspiciens sit ad venerem proclivis, difficillime a mortali excusabitur. „Et idem sentio," ait s. Alphonsus, de eo, qui *vultum* mulieris pulchrae morose inspicit, saltem si inordinato affectu eam diligat."[1])

γ) Aspicere verenda *ejusdem sexus* ex curiositate vel levitate, ut contingit inter viros simul natantes, aut inter feminas simul se lavantes, aut in balneis, vel aliquando inter impuberes, non est mortale. Secus si adsit affectus libidinosus, vel speciale periculum libidinis, e. g. si aspiciens esset valde propensus ad sodomiam, vel si pulcher adolescens morose et delectabiliter aspiceretur nudus.[2]) Hinc graviter reprehendendi sunt simul natantes detectis verendis; item pueri et puellae sibi invicem verenda detegentes, etsi obiter et ex levitate; id enim, si non est mortale, sine dubio ad mortale conducit.

Peccant tamen graviter parentes et magistratus, non prohibentes natationes in locis publicis, sicut et natantes in hujusmodi locis, ubi a personis diversi sexus videri possunt, si omnino nudi seu in habitu adamitico natant. Imo certe nunquam expedit, ut adolescentes simul natent, nisi secretioribus partibus coopertis, propter multas spurcitias, quae alias committi solent.

δ) Aspicere *propria* verenda est mortale, si fiat studiose et morose, absque justa causa; secus si breviter. Nullum vero est peccatum, si fiat ex necessitate vel ex justa causa, nec adsit periculum consensus.

ε) Aspicere obiter ex levitate aut curiositate *imagines* vel *statuas*, personas grandiores exhibentes, in partibus pudendis nudas, probabilius non excedit veniale, quia artificialia minus movent, quam naturalia. Dixi: „exhibentes grandiores personas", quia de infantibus id certum videtur. Conficientes autem hujusmodi imagines vel statuas, item eas exponentes aspectui, certe peccant mortaliter propter scandalum.

In praxi tamen, ait s. Alphonsus, virum morose aspicientem pudenda mulieris depictae, difficulter puto excusari a mortali, quia difficulter se liberare hic poterit a delectatione turpi, vel ab ejus probabili periculo, nisi aspiceret per brevissimum tempus et in magna distantia. Praedicta a for-

---

[1]) H. A. IX. 8.; L. III. 222.—423. [2]) S. Alph. L. III. 421.

tiori valent de eo, qui aspicit imagines nudas, turpissimos actus luxuriae repraesentantes, uti nostris temporibus fit per photographias.

ζ) Aspicere ex levitate aut curiositate *comoedias* exhibentes graviter turpia gestibus aut factis, probabilius est peccatum mortale. Juxta Sanchez tamen, secluso omni periculo consensus, id tamen veniale non excedit. Certe autem graviter peccant hujusmodi comoedias graviter turpes exhibentes et componentes, ob scandalum aliorum, quamvis non intentum; nec lucrum quantumvis magnum eos excusare potest. Item graviter peccant, qui pecunia vel plausu ad hujusmodi comoedias concurrunt; idem valet de iis, qui permittunt hujusmodi comoedias, dum possunt et debent eas impedire, quales sunt: magistratus, principes etc.

Si tamen comoediae sunt tantum aliquantisper turpes, easdem aspicientes venialiter peccant, nisi jam experti sint propriam fragilitatem labendi in peccatum.

η) Aspicere commixtionem *animalium* aut eorum genitalia, secluso scandalo et periculo consensus venerei, est veniale. Excusantur vero copulantes animalia ad procurandam prolem, modo absit animus libidinosus, ab omni peccato.[1])

3. Tactus turpes.

3. ***Tactus turpes.*** Libido crescit ex contactu; imo talis est delectationis venereae natura, ut ordinarie non perficiatur, nisi cum aliquo corporum contactu, sive reali, sive saltem imaginario.

Gravitas peccati tactus juxta sequentes regulas taxanda est:

a) *Extra matrimonium mortales sunt omnes tactus, oscula et amplexus, etiam in partibus honestis, ob delectationem veneream exerciti*, quia in luxuria directa non datur parvitas materiae.

b) *Secluso fine venereo, tactus et amplexus (et idem dic de osculis) exerciti absque legitima proportionata causa, sunt mortales vel veniales, prout grave vel leve periculum venereae delectationis inferunt; insuper tactus in corpus alienum, oscula et amplexus, in quantum sunt peccaminosi, sunt ejusdem speciei ac actus consummati*, hinc in confessione explicandum est, an habiti sunt cum persona conjugata aut sacra aut cognata etc. Unde juxta probatos auctores pro praxi haec sunt notanda:

α) *Tactus, amplexus et oscula in partibus honestis facta causa urbanitatis, amicitiae, pacis, reconciliationis etc.*, secluso consensu in delectationem veneream, si inde exurgat, aut consensus periculo, sunt licita et omni culpa vacant; licet ergo exinde commotio carnalis, vel etiam pollutio praevideatur et oriatur, non est culpabilis, modo in eam non consentiatur. Recte tamen notat Lacroix, quod oscula etiam habita ex more patriae, si habeantur cum mora vel ardore, ordinarie sunt mortalia.

β) *Amplexus, tactus et oscula in partibus honestis facta ex levitate, joco, curiositate et alia simili causa*, non excedunt

---

[1]) Cfr. s. Alph. L. III. 419., 448.

veniale. Hinc vir, qui ex levitate, joco, petulantia etc. osculatur feminam in facie, faciem ejus, collum, scapulas manu tangit, manum ejus comprimit, digitos aut brachium contorquet, et similia, non nisi venialiter peccat. Idem valet de femina respectu viri. Idem dicendum de osculo oris ad os, nisi fiat valde morose, aut saepius in eodem temporis momento repetatur crispatis et gustatis labris, aut nisi sit „osculum columbinum", immissa scilicet lingua unius in os alterius, sic enim factum videtur graviter influere in commotionem carnalem, ideoque non excusandum a peccato mortali.

γ) *Tactus etc. in partibus minus honestis*, quales sunt: pectus, brachia, crura, veniale non excedunt, si fiant ex animi levitate, joco, curiositate, vel petulantia et absque mora, secus si fiant morose et cum ardore, propter periculum proximum delectationis. Hinc juvenis, qui puellam super genua sua trahit ibique sedentem tenet, vel eam in se comprimit, peccat mortaliter; sicut et puella ultro haec patiens; similiter mortalia habenda sunt ordinarie oscula minus usitatis corporis partibus, e. g. pectori, cordi impressa, praesertim si fiant inter personas diversi sexus. Navarrus excusat a mortali etiam tactum mamillarum ex joco et honesto amore, absque mala intentione, si leviter fiat in parte superiore. Item excusari potest ex levitate aut joco tangens obiter mulierem e regione pudendorum supra vestes.

δ) *Tactus et oscula alieni corporis diversi sexus in partibus verendis aut vicinis*, sive immediate, sive mediante solo indusio facta, etiam si ex levitate, petulantia, joco, curiositate fiant, *seclusa justa causa, sunt regulariter peccata mortalia.* Idem valet de tactibus immediatis in pudendis ejusdem sexus; quia haec omnia graviter influunt in libidinem illamque vehementer excitant.

Diximus: tactus etc. *„alieni corporis"*; quia tactus proprii corporis non ita movet ad libidinem; hinc qui seipsum tangit in verendis ex joco, levitate aut curiositate, communiter excusari potest a mortali, modo absit turpis delectatio aut ejus periculum, et fiat obiter absque morositate et non repetitis vicibus. Econtra non excusatur a mortali, qui sine necessitate tangit alterius pudenda, etiam ejusdem sexus, nisi forte fiat per jocum, aut ex petulantia vel curiositate, citra affectum et periculum consensus venerei; at Salmanticenses recte, neque hoc practice, dicunt, admittendum, sed tantum speculative, modo tactus ille fiat leviter et non ex proposito, neque per aliquod notabile temporis spatium, e. g. quando simul aliqui natant vel lavant, uti Laymann dicit. Item non excusatur a mortali, qui tangit alterius pudenda super vestes, nisi ita tangantur pudenda alterius ejusdem sexus, et id fiat ex quadam petulantia, vel cum levi delectatione non carnali.

Diximus porro: *„seclusa justa causa“;* nam si hujusmodi tactus in proprio vel alieno corpore, ex necessitate, vel utilitate aut alia justa causa fiunt, ut est necessitas medendi in partibus secretioribus, mundandi, pruritum valde molestum sedandi, aut inserviendi aegrotis, vel in balneis, secluso periculo consensus, omni culpa vacant.

Diximus denique: *„regulariter sunt peccata mortalia;“* quia si tactus hujusmodi contingerent inter impuberes, ex levitate vel joco absque mora, a gravi excusari possunt, quia non solent causare commotionem. Item Lacroix probabiliter excusat a mortali ancillas tangentes pudenda puerorum, dum illos vestiunt nisi cum mora aut carnali delectatione hoc agant. Quodsi hoc faciant *frequenter et studiose,* etsi ad eos placandos, certe peccant graviter, nisi excusentur ignorantia; sic enim insanabilem pestem masturbationis ingenerant.

ε) Tangere genitalia brutorum non est ordinarie nisi veniale. Secus probabilius dicendum, si tactus fieret usque ad animalis pollutionem, quia licet talia fiant tantum levitatis causa, est tamen actio per se vehementer excitans ad venerem.

Ultimo notandum est, quod omnia hucusque dicta de actibus luxuriae imperfectae tantum valent quoad solutos, et probabilius etiam quoad sponsos de futuro; non autem quoad conjugatos, quibus quoad hos actus perplura non sunt prohibita, uti suo loco, ubi de matrimonio, fusius dicetur.

B. Actus luxuriae perfecti.

Peccata consummatae luxuriae, uti jam dictum est, sunt vel juxta naturam vel contra naturam. Nimirum juxta naturam dicuntur illae actiones, quae servant in usu venereorum ratione ipsius actus id, quod a natura praestitutum est, i. e. prolis procreandae finem seu possibilitatem, peccant autem in eo, quod extra legitimum matrimonium exerceantur. Contra naturam ea peccata dicuntur, in quibus ratione ipsius actus prolis generatio excluditur, atque ita semen humanum contra finem profunditur. Naturale peccatum luxuriae proprie loquendo unum est, innaturalia peccata complura.

1. ***Peccata luxuriae juxta naturam.*** Ad turpitudines, quibus libido naturae convenienter consummatur, sequentia peccata seu actus pertinent: *fornicatio, adulterium, incestus, sacrilegium, stuprum* et *raptus.* Haec peccata specifice inter se differunt, non quidem ratione luxuriae, sed propter specialem malitiam, quae singulis supperadditur, uti ex dicendis patebit. 1 Peccata luxuriae juxta naturam.

a) ***Fornicatio:*** est *„copula carnalis naturalis perfecta, soluti cum soluta, ex mutuo consensu inita.“* Dicitur: a) Fornicatio.

α) „Copula carnalis“, quae consistit in eo, ut membrum virile (penis) in vas feminale (vaginam) inmittatur, ac semen virile in vas feminale effundatur;[1])

---

[1]) Kappelmann pag. 135.

β) *„naturalis“* copula dicitur, si fiat inter personas diversi sexus et in vase naturali anteriori; et sic distinguitur a copula sodomitica, bestiali aut daemoniaca;

γ) *„perfecta“* copula carnalis est, si vir etiam immittat semen suum in vas feminale, seu seminet intra vas feminae; si tantum penetratio vasis fit, sine seminatione intra vas, *copula imperfecta* dicitur;

δ) „soluti cum soluta“, i. e. si fiat inter personas, quae sint liberae non solum a vinculo matrimonii, sed etiam a mutua cognatione vel affinitate in gradibus prohibitis, a voto continentiae, ab ordine sacro; si enim una vel altera ex his circumstantiis adesset, non esset simplex fornicatio, sed vel incestus, vel sacrilegium;

ε) *„mutuo consensu inita“*, i. e. neutra persona invita; et sic distinguitur a stupro.

Ad fornicationem referuntur, non quidem qua diversae species fornicationis, sed qua diversi gradus ejusdem speciei:

α) *Fornicatio vaga,* i. e. illa fornicatio, quae fit modo cum hac, modo cum illa persona.

β) *Concubinatus,* i. e. concubitus frequentatus viri cum femina soluta, quam hunc in finem vel domi, vel alibi retinet. Est peccatum majus, quam fornicatio, quia superaddit vitiosum habitum, habetque sibi annexum continuum peccandi propositum, saltem virtuale. Plura de concubinatu dicuntur in Theologia Pastorali.

γ) *Scortatio seu meretricium,* est fornicatio feminae, vel cum femina, omnibus passim prostituta, sive ob quaestum, sive ob lasciviam. Est peccatum gravissimum, ratione dispositionis animae, scandali et nocumenti prolis, quae raro ex meretricio nascitur, et si quando nascatur, solet pessime educari.

Nonnulli cum s. Augustino probabiliter putant, meretricium in societate ad vitanda mala pejora admitti posse; sed juxta s. Alphonsum practice probabilior est sententia eorum, qui reprobant meretricium, quia per meretrices haec mala majora et graviora non evitantur, eo, quod in hominibus luxuriosis ex facili et frequenti cum meretricibus congressu libido altiores figit radices; et ideo cum hoc vitium frequentia magis augeatur, ipsi non desinunt comittere pollutiones et peccata nefanda, saltem cum ipsis meretricibus. E converso permissione meretricii innumera alia mala superaddunt, nempe: plures puellae prostituuntur, adolescentes parentes parvipendunt, bona dissipant, studia scientiarum negligunt, rixas excitant, honestas nuptias respuunt etc. Advertit insuper s. Alphonsus, quod, licet in vastis urbibus meretrices permitti possint, nullo tamen modo in aliis locis permittendae sint.

Fornicatio ex consensu omnium Theologorum est *grave peccatum* et prohibita tum ex jure naturae, quum ex jure

positivo divino, quod est de fide, et patet ex s. Scriptura, ex Traditione etc. Est tamen fornicatio inter peccata luxuriae perfectae minimum; sed tamen intrinsece malum, uti patet etiam ex propositione 48. ab Innocentio XI. damnata: „Tam clarum videtur, fornicationem secundum se nullam involvere malitiam, et solum esse malam, quia interdicta, ut contrarium omnino rationi dissonum videatur.“

Pro praxi notandum: Confessarius inquirat a fornicariis, an proles ex fornicatione nata sit? aut nascitura? an prolis conceptionem impedire curaverint? an abortum procurare non tentaverint? an antequam ad copulam pervenerint, saepe eam desideraverint? ad haec enim peccata interna plures poenitentes non attendunt; porro: quoties copula repetita fuerit in eadem nocte? an semper copula perfecta, vel quandoque imperfecta fuerit? an persona complex fuerit cognata, conjugata etc.? Nota pro praxi.

b) ***Adulterium:*** *Est copula carnalis cum persona conjugata.* Est vel *simplex*, quando solutus peccat cum conjugata, aut conjugatus cum soluta; vel *duplex,* quando cum conjugata peccat conjugatus. b) Adulterium.

Adulterium semper est *peccatum mortale,* tam contra castitatem, quam contra fidem conjugalem et justitiam. Et id etiam consentiente marito, ut patet ex propositione 50. ab Innocentio XI. damnata: „Copula cum conjugata consentiente marito non est adulterium, adeoque sufficit in confessione dicere, se esse fornicatum;“ maritus enim non potest cedere juri, quod habet in conjugem, quia non est jus privatum et suo arbitrio positum, sed insitum in conjugii natura. Hinc ut omnino abominabilis detestanda est, tum praxis pauperum virorum, qui suas uxores ad lucrum deportandum prostituunt, tum etiam lugenda nobilium sic dicta „Galanteria“, in eo consistens, ut „viri galantes“ uxores suas sibi invicem cognoscendas quasi in mutuum dent. Juxta jus canonicum adulteri non possunt compellere partem innocentem ad debitum reddendum; et compars innocens jus habet ad divortium petendum.

c) ***Incestus;*** *est illicitus concubitus inter personas cognatione vel affinitate sibi invicem ita conjunctas, ut matrimonium validum secum inire nequeant.* Talis personarum conditio vel ex propinquitate sanguinis, vel ex copula carnali, vel ex baptismo et confirmatione, vel denique ex adoptione legali oriri potest; unde vel consanguinitas, vel affinitas, vel cognatio spiritualis, aut cognatio legalis appellatur. c) Incestus.

Incestus *est gravius peccatum,* quo gradus est propinquior; sicut etiam multo gravior est incestus cum consanguinea, quam cum affine in eodem gradu; et rursus gravior est cum affine, quam cum cognato spirituali vel legali. Ita s. Alphonsus. Certum quidem est, incestum inter cognatos spirituales et legales secundum speciem moralem tum a se invicem, tum ab

incestu inter consanguineos et affines differre; utrum vero incestus inter consanguineos et affines quoque specie differat, inter Theologos disputatur; negativa sententia probabilior est. Incestus inter consanguineos et affines in primo gradu lineae rectae, e. g. inter patrem et filiam, inter privignum et novercam, specialem malitiam habet; quod probabiliter etiam de consanguineis in primo gradu lineae collateralis valet. — Quoad reliquos vero gradus major minorque propinquitas solummodo circumstantiam aggravantem aut minuentem constituit.

Uti per se patet, malitia incestus non in solis peccatis consummatis est, sed etiam in quolibet imperfecto peccato, quo invaditur persona cognata.

d) Sacrilegium.

d) ***Sacrilegium;*** *Sacrilegium in materia luxuriae est violatio personae, loci vel rei sacrae per actum venereum.*

Est *grande peccatum*, tantoque gravius, quanto sacratior est persona, locus vel res, et quanto gravior profanatio; et continet duplicem malitiam, unam contra castitatem, alteram contra religionem. — Committitur ergo hoc peccatum:

α) *Circa personam,* si quis luxuriose peccat habens votum castitatis, vel cum habente illud. Hinc duplicis sacrilegii reus est sacerdos, peccans cum persona Deo consecrata; probabilius tamen unius tantum sacrilegii reus est sacerdos simul et religiosus, peccans contra castitatem; sacrilegii ille quoque reus efficitur, qui personam sacram ad peccatum luxuriae inducit, quamvis ipse cum ea non peccet; sed sacerdos inducens laicum ad fornicandum, non est reus sacrilegii, nisi eum ex positivo affectu ad libidinem inducat; non enim alienam, sed propriam castitatem vovit. — Omnino vero certum est, sacrilegium committere personam sacram, quae morose delectaretur de peccato carnali alterius.

β) *Circa locum* committitur sacrilegium, quotiescunque actus luxuriosus patratur externe in loco sacro. Hinc sacrilegium est pollutio voluntaria et fornicatio commissa in loco sacro; item probabilius copula conjugalis, quam non excusat moralis necessitas, puta periculum incontinentiae conjugum, vel eorum diutina in ecclesia inclusio. Item, actus graviter impudici, nimirum tactus, oscula, aspectus obscoeni, sicut et obscoena colloquia, sacrilegia sunt, quia omnes istae turpitudines laedunt reverentiam loco sacro debitam. Actus vero interni, ut cogitationes pravae et desideria, non sunt sacrilegia, nisi versentur circa peccata externe, licet oculte, in ecclesia committenda.

γ) *Circa rem* committitur sacrilegium, quotiescunque fit abusus rei sacrae ad turpia. Idem dicendum de sacerdote, qui turpiter peccat indutus ad Missam aut gestando Eucharistiam, aut statim post Communionem, e. g. infra mediam horam.

e) Stuprum.

e) ***Stuprum.*** Stuprum in sensu lato dicitur quivis illicitus concubitus. In sensu strictiori et proprie tali vero stuprum

est copula carnalis, etiam imperfecta, cum virgine violenta; seu brevius: stuprum est defloratio virginis ipsa invita; virgo autem deflorari dicitur, quando prima vice per viri concubitum virginitate seu carnis integritate privatur.

Ad essentiam stupri in sensu strictiori ergo pertinet:

α) Ut persona stuprata virginitatem physicam adhuc habeat;

β) Ut fiat copula carnalis, sed sufficit copula imperfecta, i. e. penetratio vasis, quin semen infundatur, quia per talem penetrationem jam perditur virginitas physica, dum coitu virili signaculum virginale aperitur;

γ) Ut copula carnalis sit violenta; per violentiam autem hic intelligitur non solum vis physica, uti si stuprator vi physica repugnantiam virginis vincat, vel mulierem ebriam, dormientem, vel alias mentis impotentem vitiet; sed etiam violentia moralis, qualis est fraus (e. g. falsa matrimonii aut magnae dotis promissio) metus gravis, etiam reverentialis, importunae preces, si eas comitantur minae, uno verbo ea omnia, quibus ingenuina mulier facile resistere non potest.

Stuprum in sensu lato et strictiori malitiam habet specialem, in eo consistens, quod gravis ignominia et injuria infertur invitae personae vitiatae, quae injuria etiam in parentes virginis transit.

Pro praxi notandum, quod si stuprum est casus reservatus, ad reservationem requiritur, ut sit stuprum in sensu stricte et proprie tali, nisi aliud expresse declaratur.

f) ***Raptus.*** Raptus, quatenus est species luxuriae, est abductio personae sive masculi, sive feminae, sive nuptae sive innuptae — de loco tuto ad locum non tutum per vim aut metum gravem ipsi aut illis illatum, quorum potestati persona ista subjacet, *pravae libidinis explendae causa.* Est duplex peccatum, contra castitatem et justitiam. Si ergo post raptum desiderium libidinis expleatur, speciem luxuriae diversam constituit, in confessione declarandam. f) Raptus.

Si quae tamen sponte discedat cum amasio, insciis parentibus, non erit proprie raptus, sed *fuga;* non addens malitiam specie distinctam. Ex Concilio Tridentino[1]) raptor tenetur mulierem raptam, nisi malae notae publice talis sit, in matrimonium ducere aut convenienter dotare, quod non est poena, sed justa compensatio.

Pro praxi notandum, quod virgo vel mulier vi oppressa vel rapta, ut non peccet, tenetur interius omni modo delectationi dissentire, et exterius oppressori toto corporis conatu positive resistere, uti jam alibi dictum est.

2. ***Peccata luxuriae contra naturam.*** Contra naturam peccatur aut sine concubitu, aut concubitu. Diversae species sunt: *pollutio* seu *mollities, onanismus, sodomia* et *bestialitas.* Speciali deformitati, quam praedicta peccata jam ex se habent, pos- 2. Peccata luxuriae contra naturam.

[1]) Sess. XXIV. De Reform. Matr. cap. 6.

sunt adhuc conjungi deformitates aliarum specierum luxuriae, ut e. g. si quis cognoscat uxorem alterius, vel consanguineam sodomitice, adjungitur adulterium vel incestus.

Inter peccata luxuriae haec peccata contra naturam sunt gravissima in genere luxuriae, quia transgreditur id, quod est secundum naturam determinatum circa usum venereum; et quidem inter haec peccata gravissimum est bestialitas, quia non servatur debita species; post hoc est sodomia, quia non servatur debitus sexus; infimum locum tenet pollutio, quae consistit in sola omissione concubitus. Hinc etiam damnata est ab Alexandro VII. haec propositio: „Mollities, sodomia, bestialitas sunt peccata ejusdem speciei infimae, ideoque sufficit in confessione dicere, se procurasse pollutionem.“

a) Pollutio:

a) ***Pollutio:*** est humani seminis effusio sine congressu cum alio. Differt a *distillatione*, quae est fluxus cujusdam subtilioris humoris, qui quasi guttatim, cum levi vel nulla delectatione aut commotione decidit, et viam parat semini. Haec distillatio, si est cum aliqua delectatione venerea, vel cum notabili commotione spirituum, erit quidem mortalis, si non vitetur, sicut vitanda est pollutio. Si vero evenit absque sensu et commotione, poterit ea permitti, tamquam emissio alterius excrementi, ut communissime docent auctores; sed nunquam potest directe et data opera procurari quaecunque distillatio, etiam levis, absque mortali peccato.

Pollutio potest esse *vel voluntaria in se*, seu *directe;* vel *voluntaria in causa seu indirecte;* vel *involuntaria*, quae contingit praesertim in somnis.

α) directe voluntaria;

α) Pollutio directe voluntaria ea est, quae directe intenditur et procuratur; haec est semper peccatum mortale; nam non solum legi positivae sed etiam legi naturali adversatur, ac proinde intrinsece mala et absolute prohibita est. Hinc etiam proscripsit Innocentius XI. propositionem 49.: „Mollities jure naturae prohibita non est, unde si Deus eam non interdixisset, saepe esset bona et aliquando obligatoria sub gravi.“ Unde sequitur, quod nullo in casu, et ne ad servandam quidem vitam, licitum est, intendere vel procurare effusionem seminis quantumvis modicam, vel promovere jam incoeptam.

Omnes pollutiones secundum se sunt ejusdem speciei, modo sine concubitu fiant; ratione circumstantiarum vero, possunt adjungi aliae malitiae specie distinctae, et quidem *vel ex parte subjecti,* puta si persona nupta, aut voto castitatis ligata polluitur, additur adulterium aut sacrilegium; *vel ex parte objecti* imaginati vel desiderati: sic pollutio, quae fit cum desiderio peccandi cum puella, conjugata, cognata etc. aut cum delectatione de concubitu cum tali persona, habet sibi adjunctam speciem fornicationis, adulterii, incestus etc.; vel denique *ex parte complicis,* ut si quis polluitur tactibus alienis, peccat tum ratione proprii peccati, tum ratione peccati alieni. Imo si complex fuit per-

sona conjugata, vel voto castitatis obstricta, vel consanguinea, talis circumstantia in confessione aperienda est; non vero ex probabiliori sententia, si fuit vir an mulier, quia, cum non habetur concubitus, non adest affectus ad sexum, sed ad pollutionem.

Ex parte modi vero, se vel alium polluendi, aut medii ad hoc adhibiti regulariter non superadditur malitia distincta, nisi medium adhibitum aliam distinctam malitiam contineat, excipit s. Alphonsus cum aliis quosdam modos pollutionis, quos putant esse simul sodomiam saltem imperfectam; remedii causa autem saepe expedit, confessarium scire, utrum cogitationibus, an lectione, tactu etc. poenitens effectum provocaverit.

Quoad feminas certum quidem est, non esse *eandem* pollutionis malitiam, quae est in viris; cum enim femina non effundat semen ad generationem necessarium, hujus frustrati finis malitia non habetur; relinquitur ergo *malitia venereae voluptatis communis.* In confessione a feminis non est petendum, an adfuerit pollutio; quaestio enim est inutilis; pollutae habentur, quando ex vehementi organorum commotione magna in eis delectatio exsurgit, qua completa, appetitus venereus satiatur et quiescit; unde sufficit, si interrogentur, utrum sibimetipsis satisfecerint modo inhonesto, vel passionem expleverint.

Similiter judicandum est de pueris, eunuchis etc., qui, quum semen verum non possint, alterius humoris profusionem cum venerea voluptate procurant.

β) *Pollutio indirecte voluntaria est illa, quae quidem non directe intenditur, sequitur tamen ex posita aliqua causa.* Haec pollutio eo gradu mala est, quo mala est ipsa causa in genere luxuriae, proinde nunc mortale, nunc veniale, nunc nullum peccatum est; sed intellige semper: secluso consensu in ipso actu pollutionis, et secluso gravi hujus consensus periculo. *β)* **indirecte voluntaria.**

Hinc ad rite taxandam et imputandam pollutionem indirectam, semper attendendum est ex una parte: qualis sit causa, seu actus, qui causat pollutionem; an bonus vel malus, et si malus, an in genere luxuriae vel alio genere malus; et an graviter vel leviter malus in genere luxuriae? — ex altera parte: quantus sit influxus causae in pollutionem; an graviter seu proxime, vel leviter seu remote influat in illam.

Attendens ad haec principia omnes huc spectantes casus facile et expedite solvere poterit. Unde dicimus:

Primo: Quando actio, ex qua praevidetur secutura pollutio, est secundum se bona et licita, et simul est necessaria aut utilis, aut conveniens animae vel corpori, non est illicitum eam ponere propter praevisam pollutionem, nec ipsa pollutio inde sequens est culpabilis, modo absit consensus, aut periculum proximum consensus in illam. Ita s. Thomas.

Et hoc valet etiam, licet actio praedicta, secundum se licita, graviter influat in pollutionem, uti est e. g. tactus et aspectus pudendorum alterius sexus, quales exercet medicus, morbi sanandi causa, vel etiam tactus et aspectus propriorum verendorum medendi vel mundandi causa. Hinc: studere rebus venereis docendi causa, aut discendi, confessiones feminarum excipere, cum eis honeste et utiliter conversari, equitare causa utilitatis vel recreationis, decumbere aliquo situ ad commodius quiescendum etc., haec et plura alia similia licita sunt, quantumvis ex eis praevideatur secutura pollutio, et pollutio ipsa a culpa immunis est, nisi in eam consentiatur, aut adsit periculum proximum consensus in eam. Ita s. Alph., Billuart etc.

Secundo: Quando actio, ex qua praevidetur pollutio secutura, est quidem de se honesta et licita, sed nulla adest causa necessitatis, utilitatis vel commoditatis illam ponendi, non licet eam ponere, et si ponatur, est peccatum vel mortale vel veniale ratione pollutionis secuturae, prouti in eam vel graviter vel leviter influat. — Sic e. g. pollutio ex tactu vel aspectu verendorum proprii corporis non utili vel necessario, sed sine justa causa morose exercito, est peccatum mortale, quia licet talis aspectus vel tactus in se sit licitus, non tamen licitus est sine justa causa, i. e. vel necessitate, vel utilitate, quia graviter influit in delectationem veneream et pollutionem. Econtra incedere equo, cum quis aeque commode possit in curru; certo situ cubare, cum possit altero aeque commode etc., est peccatum veniale, ab his non abstinere propter praevisam inde pollutionem; quaevis tamen causa rationabilis excusat ab omni culpa.

Tertio: Quando in eo, qui ponit hujusmodi actum de se honestum et licitum, ex quo praevidetur pollutio secutura, adest periculum consensus in ipsam pollutionem, tunc distinguendum est: si nulla adest rationabilis causa actum ponendi, sub gravi abstinendum est ab eo; si vero necessitas adest eum ponendi, uti in medico, confessario etc., tunc, si sine gravi detrimento famae vel facultatum exercitium deseri non possit, non opus est, hujusmodi actum omittere; sed debet talis persona se debitis mediis munire; si tamen hujusmodi personae semper, vel fere semper lapsae fuerint, et nulla rationabilis spes effulgeat emendationis, tunc tenentur cum quacunque jactura officium deserere. Ita s. Alphonsus.

Quarto: Quando actio, ex qua praevidetur secutura pollutio est peccatum veniale, sive in genere luxuriae, sive in alio, leviter et remote tantum influens in pollutionem, tunc ipsa pollutio inde secuta, est tantum veniale peccatum, nec per consequens est obligatio ab illa actione abstinendi, nisi sub veniali. Ita s. Thomas. Est scilicet juxta s. Al-

phonsum sententia communis et probabilior, pollutionem non esse mortalem, nisi proveniat ex causa per se mortali in genere luxuriae. Hinc e. g. locutiones, lectiones, cantiones turpium vanae, et inutiles, aspectus, tactus et oscula, quae venialia sunt in materia luxuriae, sive ex imperfectione actus, sive ex parvitate materiae, etsi ex his praevideatur secutura pollutio, sunt tantum venialia, tum ex se, tum ut sunt causa pollutionis, ipsaque pollutio consequenter etiam tantum veniale peccatum est. — Item non est mortalis pollutio, quae praeter intentionem accidit ex causis illicitis graviter malis in alio genere, quam luxuriae; puta ex crapula, ex comestione carnis nimis immoderata aut in die vetito. Tanto magis non est mortalis pollutio, quae oritur ex causis venialibus in alio genere. Probabilius est tamen peccatum veniale, ponere has causas leviter illicitas in alia materia, sine rationabili causa. — Advertit tamen s. Alphonsus, in praxi non excusari a mortali eum, qui frequentem pollutionem expertus sit ex aliquibus causis in eodem genere luxuriae, quae vehementius ad pollutionem influunt, et alias voluntarie ac sine necessitate ponit, quamvis ipsae per se non pertingant ad mortale, uti sunt nimirum: curiosa lectio turpis, aspectus picturae obscoenae, vel coitus animalium etc. ex levitate; ratio, quia respectu istius personae ob suam pravam dispositionem talis causa non leviter influit; secus vero dicunt, si pollutio ex hujusmodi causis raro eveniat, et secus etiam, si causae sint omnino leves, uti lectio leviter turpis, colloquium non diuturnum cum femina vel leviter obscoenum; ratio est, quia hominibus est quasi moraliter impossibile, omnes has causas communiter evitare.

Quinto: Quando actio, ex qua praevidetur secutura pollutio, est secundum se mortaliter mala in genere luxuriae, et simul notabiliter et proxime influens in pollutionem, tunc tenemur sub peccato mortali ab illa actione abstinere, non solum ratione sui, sed etiam ratione pollutionis secuturae, quae alioquin erit mortaliter mala. Hinc colliges: diuturnas et intensas cogitationes, seu delectationes impudicas, aspectus, tactus, amplexus, oscula, turpiloquia, quae sunt peccata mortalia in genere luxuriae, sive ex objecto secundum se obscoeno, sive ex affectu libidinoso, si ex illis praevideatur pollutio secutura, licet non intendatur, esse *generaliter* peccata mortalia, non solum in se, sed etiam ut causa pollutionis, ita, ut pollutio secuta sit mortale peccatum, et debeat explicari in confessione, quia haec graviter et proxime influunt in pollutionem. — Sed dico: *generaliter,* quia sunt quaedam actiones mortales etiam in genere luxuriae, quae non videntur notabiliter et proxime influere in pollutionem, ut est e. g. consensus

instantaneus in delectationem carnalem, aspectus vel tactus pudendorum proprii corporis spontaneus cum delectatione venerea etc.; haec ratione pollutionis secutae et ut ejus causa, probabiliter non sunt mortalia, et sic nec pollutio inde secuta; talis enim actus, licet in se gravis, tantum leviter influit in pollutionem. Ita Billuart. Advertunt insuper auctores, quod qui posuit causam mortalem pollutionis, quin eam intendat, si antequam eveniat pollutio, ipsum causae poeniteat, pollutio sequens non censetur amplius ipsi voluntaria et culpabilis, quia causa desinit esse voluntaria; unde non tenetur eam explicare in confessione, quia jam nullam habet malitiam, et sufficienter expressa est in sua causa. Billuart.

γ) Poll. involuntaria.

γ) *Pollutio involuntaria:* est illa, quae sive in somno, sive in vigilia sine ulla, neque directa neque indirecta cooperatione voluntatis provenit ex causis mere naturalibus, e. g. ex superabundantia humoris seminalis, vel ex superfluitate alimenti, organorum debilitate, nimia corporis calefactione, vel ex speciali temperamento etc. Haec pollutio omni culpa vacat. Ratio per se patet. Nec datur obligatio cohibendi pollutionem sponte sua evenientem, e. g. in somno aut in vigilia contra voluntatem inceptam, modo absit consensus in delectationem vel proximum ejus periculum, quod ex praeterita experientia quisque dijudicare potest; ratio est, tum quia difficillimum est jam inceptum cohibere, tum quia homo non tenetur cum periculo morbi, tentationis aut alterius incommodi, hunc effectum naturalem impedire.

At nocturna pollutio peccatum esse potest tum propter consensum, qui postea datur, i. e. si quis, plene expergefactus, complacet pollutioni in somno completae, vel actu fluenti, talis mortaliter peccat; ista tamen complacentia non facit pollutionem praeteritam esse peccatum, quia ipsius causa non est, sed ipsa in se est peccatum; — *tum propter causam efficacem ante somnum positam;* nam qui ponit causam natura sua *graviter influentem,* reus est pollutionis, etsi demum in somnis sequatur, quando non habuit rationem sufficientem, cur licuerit causam illam ponere. Sic pravae cogitationes voluntariae, prava colloquia et alia hujusmodi somnum praecedentia, pollutionem facile mortalem reddere possunt. Secus dicendum, si causa ante somnum posita sit tantum leviter et remote influens; — *tum denique propter intentionem in ponenda causa* ex se non graviter influente, ex qua aliquis intendat effectum; qui enim intendit sua actione pollutionem etiam in somnis procurare, peccati ipsius effectus reus est.

Ultimo notandum est, quod hucusque dicta de causis pollutionis a fortiori dicenda sunt de causis delectationis seu commotionis carnalis, quae est quid minus pollutione, et via tantum ac dispositio ad eam.

Si gravis sit et libidinosa commotio, debet sicut ipsa pollutio et iisdem adhibitis cautelis vitari; si levis, et proveniens ex actione honesta, vel ex infirmitate naturae, praestat eam contemnere et se divertere ad alia.

b) ***Onanismus*** (seu peccatum Onan) est copula incepta cum effusione seminis extra vas. Hoc crimen, patratum inter solutos, est duplex peccatum, nempe fornicatio inchoata et affectiva, et pollutio in effectu. — Ille vero, qui ex displicentia et odio peccati copulam fornicariam abrumpit, etiam cum seminatione extra vas, bene facit, et ad id tenetur, quia nullum est instans, in quo quis non teneatur cessare a peccato actuali; perditio autem seminis inde secuta est per accidens et praeter intentionem, subestque legitima causa eam permittendi; id patet ex eo, quod etiam ille, qui ita excitatus est ad copulam, ut, nisi eam peragat, sit seminaturus extra vas, tenetur eam non peragere, ergo qui eam inchoavit, abrumpere. b) Onanismus.

Ille tandem, qui metu infamiae aut aliquo simili motivo humano inchoatam copulam abrumpit, absque seminatione (intra vel extra vas), novo peccato non inficitur; non videtur tamen sufficere, si accuset tactum impudicum tantum, sed debet explicare, se penetrasse vas, quia est inchoata fornicatio.

Onanismus, uti per se patet, tum intra matrimonium, tum extra illud committi potest, et extendi debet ad omnem artem, qua conceptio malitiose impeditur. Sed de onanismo inter conjuges dicetur alio loco, ubi de matrimonio.

Adnotat Marc:[1]) „Specialis malitia onanismi, quando committitur a solutis, non raro ignoratur, imo fornicarii saepe saepius sibi persuadent, ibi minus intervenire malum, ubi scandalum vitatur et consulitur honori puellae. Confessarius ergo interrogationes non urgeat, si poenitens in bona fide esse videatur, nec adsit specialis ratio eum monendi, vel interrogandi, an peccatum fuerit consummatum, e. g. ob suspicionem attentati abortus.“ — Quae tamen adnotatio a nonnullis Theologis modernis pro praxi nimis laxa reputatur.

c) ***Sodomia:*** est concubitus cum indebito sexu, vel in vase indebito. Et est duplex: *perfecta* et *imperfecta*. c) Sodomia.

α) Sodomia perfecta est accessus ad sexum indebitum, maris nempe ad marem, vel feminae ad feminam. S. Alphonsus cum sententia probabiliori dicit: sodomiam perfectam esse quemcunque concubitum cum persona ejusdem sexus; ac proinde, neque a viris, neque a feminis declarandum esse, in quanam corporis parte factus sit congressus, quia tota specifica hujus peccati malitia consistit in affectu ad indebitum sexum. Unde si duo homines ejusdem sexus peccaverint, sufficit scire, utrum per modum concubitus, e. g. in

[1]) P. II. n. 801. in Nota. Cfr. etiam Aertnys L. III. n. 226.

vase praepostero, vel in ore (irrumatio), inter crura etc. peccatum cum seminis effusione seu pollutione factum sit, an sola manuum attrectatione, et non requiritur major explicatio *modi* luxuriosi actus, nisi forte propter peccati reservationem necessarium sit scire, fueritne vere corporum commixtio per copulam necne; nam si sodomia reservatum peccatum est, reservatio, nisi aliud expressum sit, intelligitur de *actu perfecto*, seu copula sodomiae perfectae, quae facilius quidem inter mares, at etiam inter feminas accidit. Actus vero *perfectus* vocatur, si seminis vel quasi-seminis effusio facta fuerit utcumque in organum indebitum alterius personae; *imperfectus* si duo homines ejusdem sexus concubuerint quidem, at seminis effusio ab alterius vase non fuit recepta.

Sed ne imperfectus quidem sodomiae actus est, si duo homines ejusdem sexus tactu mutuo se polluant; id saltem communiter dici debet, quia communiter, qui ita peccant, in pollutionis voluptate sistunt. Quodsi feratur affectus luxuriosus unius in alterum, ita, ut concupiscat ipsam personam, habebis sodomiam in affectu. — Hinc e contrario, si quis se polluat agendo cum altero homine ejusdem sexus eo modo, qui sodomiae similior est, non tamen actu perfecto, atque revera in ipsam personam turpi amore non feratur, habes pollutionem, quantum respicitur ipsius agentis peccatum contra seipsum, sodomiam plerumque ratione scandali dati.

S. Alphonsus practice explicandum esse dicit, utrum aliquis fuerit agens, an patiens; nimirum agentem pollutionem habuisse supponitur, nisi contrarium expresse dicat; patiens vero potius exprimere seu interrogari debet, num etiam pollutionem ipse in se passus sit.

β) *Sodomia imperfecta* est concubitus cum persona diversi sexus, sed in vase innaturali. Sed si vir cum muliere peccat extra vas naturale, juxta s. Alphonsum cum communi sententia, tum tandem est sodomia (utique imperfecta) si in ano coierit; aliter, dicit, esse fornicationem in affectu et pollutionem in effectu. Unde non est sodomia, si vir se polluit inter crura, brachia, ubera, aut etiam in ore mulieris, sed sunt duo alia peccata, nempe pollutio in effectu et fornicatio in affectu. In confessione, per se, declarari debent: ipsa sodomitica copula, seu copula in vase praepostero; qualitas personae, an fuerit cognata, conjugata etc., an vis adhibita fuerit. At confessarius, ubi intellexit feminam a viro cognitam fuisse extra vas naturale vel praeposterum, non inquirat ulterius in quo loco aut quomodo. Similiter si dicat vir: „Concubui cum viro;“ vel femina: „Concubui cum femina,“ non inquirat, an super carnem nudam, an super vestes; declaratis enim libidinoso congressu et qualitate personae, nihil ulterius investigandum est, et sodomia

supponitur consummata eo modo, quo, ratione sexus, res fieri potuit.

Sodomia est *crimen gravissimum,* multo gravius simplici pollutione. Constat ex horrore, quem apud omnes excitat, tum etiam ex poenis inauditis, quas Deus Sodomae inflixit; unde etiam in jure canonico et civili gravissimis poenis hoc crimen punitur.

Nota: Ad speciem sodomiae pertinet etiam sic dicta *paederastia,* quae consistit in lasciviis inter tenellos pueros seu cum tenellis pueris a viro patratis; quae tamen et simplex pollutio esse potest. Nefandissimum hoc crimen, quod jam inter Graecos et Romanos legum publicarum privilegio munitum fuisse legimus, proh dolor! et nostris temporibus totas fere generationes devastat!

d) ***Bestialitas:*** est coitus cum bestia; hoc peccatum est inter peccata luxuriae gravissimum, gravius proinde ipsa sodomia, cum hominem ad bestiam dejiciat. Hinc morte puniebatur in lege Mosaica, „qui cum jumento et pecore coierit."[1]) d) Bestialitas.

In confitendo hoc nefandissimo peccato non est opus dicere, cum quali specie animalis sit commissum; nec probabilius opus est explicare, an commissum sit cum bestia mare, an femella, an in vase naturali vel alio; opus est tamen dicere: an secuta sit pollutio, et ubi bestialitas est casus reservatus, an seminatio facta sit intra vas, alias enim non esset reservata, nisi contrarium expresse dicatur.

Tactus solummodo impudici cum bestia, ut si quis se sineret a bestia lambi in pudendis, non sunt proprie peccatum bestialitatis, licet aliquam habeant specialem turpitudinem; si vero in hoc casu agens non sistit in sola pollutione, sed feratur affectus turpis in bestiam, bestialitas habetur saltem affectu, atque etiam effectu, si per modum concubitus, quocumque tandem modo, peccatum perpetratum sit cum seminis, vel quasi-seminis effusione, sin minus, saltem attentatum peccatum habes.

Sic etiam, ait s. Alphonsus, pollutionem habitam tangendo puerum aut mulierem dormientem aut doli incapacem, aut pudenda bestiarum, sed absque concubitu, esse simplicem pollutionem, ratio, quia quando abest concubitus, dicunt de materiali se habere, quod fiat pollutio tactibus propriis vel alienis.

Ad speciem bestialitatis pertinet etiam coitus viri aut feminae cum diabolo succubo vel incubo; quia licet daemon assumat formam hominis, de facto tamen specie differt ab eo. Hinc in coitu viri aut mulieris cum daemone triplex ordinarie occurrit peccatum, scil. bestialitatis, superstitionis et illius speciei,

---

[1]) Lev. XX. 15.

circa quam fertur affectus, ergo vel fornicationis, sodomiae, adulterii, incestus etc.

Nota: Coitus cum mortua non est bestialitas, ut nonnulli dicunt, sed pollutio in effectu, et fornicatio, seu adulterium, sodomia etc. in affectu. Ita s. Alphonsus.

Ultimo notandum, quod in Codice Austriaco criminali etiam peculiares poenae statuuntur in stuprum, incestum, bestialitatem, sodomiam, paederastiam et seductionem cfr. § 125—130 et 500—517.[1])

§. 27. Liberalitas et peccata opposita.

I. Liberalitas. Objectum materiale.

I. ***Liberalitas:*** *est virtus moderans amorem divitiarum, et reddens hominem facilem et promptum, ad eas erogandas, quando recta ratio dictat.* — *Liberalitas versatur immediate* circa passiones, nimirum aestimationem et affectum pecuniarum, utrumque moderando, sic, ut non aestimentur nec amentur plus minusve, quam debeant amari et aestimari. — *Mediate versatur* circa ipsum usum divitiarum; uno modo indirecte, tollendo impedimentum recti usus, scil. nimium amorem earum; alio modo directe, movendo ad earum hilarem et promptam erogationem, prout recta ratio postulat, scil. in Dei honorem, et nostram proximique utilitatem. Ex quo patet, etiam pauperes posse habere virtutem liberalitatis, quatenus potest in eis esse affectus et habitus liberaliter erogandi, si haberent; et quandoque major et perfectior in pauperibus esse potest, quam in eis, qui multa erogant.

Heroicus liberalitatis actus est, propter Christi amorem et imitationem, divitiis relictis et contemptis, voluntarie *paupertatem perpetuam* assumere et vovere.

Objectum formale.

Objectum formale hujus virtutis est abnegatio seu refrenatio appetitus concupiscibilis circa divitias; est ergo virtus valde utilis, cum juxta Apostolum: „Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem et laqueum diaboli, et desideria multa et inutilia et nociva, et quae mergunt homines in interitum et perditionem, radix enim omnium malorum cupiditas est.“[2])

Quodsi liberalitas spectatur, in quantum moderat affectus pecuniae, ad virtutes temperantiae annexas referenda est; si autem ipse externus actus manifestationis respicitur, qui ad alios dirigitur, virtus est justitiae annexa, ejusque formale objectum illa honestas est, quod deceat hominem et consentaneum sit ejus sociali naturae, in alios bona externa elargiri.

II. Peccata opposita. 1. Per excessum.

II. ***Peccata opposita:*** Liberalitati opponitur:

1. ***Per excessum;*** *prodigalitas* seu *prodigentia,* consistens in eo, ut quis sua non conservet, et uberius bona elargiatur, quam convenit; scil. ea ad expensas superfluas vel omnino inhonestas

---

[1]) Cfr. Reiffenstuel tr. 9. dist. 4. Billuart tom. 13. dissert. 5. et 6. S. Alph. L. III. tr. 4. c. 2. Müller II. §. 170.—172. Marc I. n. 762.—824. Lehmkuhl I. n. 860.—883. Staller II. tr. 4. §. 12.—18. etc. [2]) I. Timoth. VI.

dissipans. *Est per se tantum peccatum veniale; per accidens tamen potest etiam esse peccatum mortale,* et quidem:

a) *ratione finis;* ut si opes profundantur propter finem mortaliter malum, e. g. propter luxuriam, vel ex ambitione, vinolentia, consuetudine ludendi, ad turpes amores fovendos etc.;

b) *ratione damni inde sequentis;* ut si sua prodigendo quis impotens fiat vel ad solvenda debita, vel ad procuranda necessaria familiae; aut ut profuse expendat, omittat facere eleemosynas in gravi necessitate; vel si ad furta et fraudes confugit, quando bona legitime parata non amplius sufficiunt;

c) *ratione specialis obligationis* superflua erogandi in causas pias, ut in ecclesiasticis Beneficiatis.

2. ***Per defectum:*** *Avaritia* seu immoderata habendi cupido, quae est inordinatus amor et appetitus divitiarum, quo quis bona terrena supra debitum modum vult acquirere, vel acquisita retinere. 2. Per defectum.

Avaritia juxta Apostolum „*idolorum servitus est*“,[1]) quia sicut paganus in idolo, sic avarus in idoli materia, quae est aurum et argentum, suam fiduciam collocat, ejusque gratia omnia facit; avaritia „*febris* est, quae per lucra non exstinguitur, sed potius accenditur“, uti s. Ambrosius dicit:[2]) „*Radix omnium malorum*“[3]) est, nimirum quia nullum est malum, ad quod cupiditas divitiarum aliquando non impellat; quapropter a s.s. Patribus et scholae magistris inter *capitalia vitia* merito numeratur.

Sanctus Gregorius M.[4]) septem avaritiae filias enumerat:

a) *Proditionem*, quae est deceptio contra fidem datam aut debitam, in damnum alicujus; est ex genere suo mortale; si vero damnum exinde proximo secutum sit leve, veniale tantum est.

b) *Fraudem:* i. e. dolus in facto, qui frequenter contingit in contractibus; est mortale ex genere suo; sed ratione materiae et veniale esse potest.

c) *Fallaciam*, quae est dolus in verbis; potest esse mortalis ratione finis vel mediorum.

d) *Perjurium:* i. e. dolus juramento firmatus; est mortale.

e) *Inquietudinem cordis*, quae est supervacanea cura semper in crastinum sollicita; est mortalis, quando retrahit a spiritualibus vel aliis, ad quae ex praecepto gravi obligamur, e. g. ab auditione Missae; vel inducit superfluum timorem, et ex hoc diffidentiam in Deum; — venialis est, si est de re bona, sed tempore et loco indebito, e. g. de familia, messe, vindemia etc. quando quis est in ecclesia.

f) *Violentiam*, quando quis utitur vi; mortale est, quando est injusta et circa materiam gravem.

g) *Obdurationem cordis* contra misericordiam; i. e. egenis et pauperibus non compatiendo, eos objurgando, debita dure nimis exigendo; est mortale, quando praeceptum eleemosynae vel

---

[1]) Ephes. V. 5. [2]) De Nabuthe 2. n. 4. [3]) I. Tim. VI. 10. [4]) L. XXXI. Mor. c. 45. n. 88.

caritatis urget, et tamen ex tali duritione proximo non subvenitur.

Insuper avaritia est vitium valde periculosum, quia ingravescente aetate non minui solet, sed potius augeri; porro quia mentem hominis adeo excaecat, ut vix ullus, se avarum esse, agnoscat; nam latenter irrepit sub praetextu necessitatis praesentis vel futurae, et sub pallio virtutis parsimoniae occultatur, quasi esset providentia in futura circa necessaria vitae et decentia statui; unde cum pauci suum morbum agnoscant, difficile sanantur; Beatus Clemens M. Hofbauer dicere solebat: „Facilius inveniri decem poenitentes Magdalenas, quam unum poenitentem Zachaeum.“[1])

Est tamen avaritia secundum se tantum veniale peccatum, quod vero facile fieri potest mortale. A prima hujus vitii labe scilicet, usque ad ultimas ejusdem sordes plurimi gradus dantur. Non quaevis inordinata habendi cupiditas tenacitasve peccatum grave constituit, sed nonnisi venialis censetur, quamdiu non transit in dominantem animi affectum hominemque non protrahit ad mortalia. Praesertim *in se* non adeo severe judicandum est de illis inferioris conditionis hominibus, qui justo plus aestimant nummos, quibus difficilium laborum suorum inhaeret sudor. Attamen peccatum mortale est avaritia, ubi quis adeo diligit opes, ut amorem divitiarum praeferat amori Dei, *in iisque* quasi in suo ultimo fine quiescat; quod praesertim tunc locum habet, quando quis avaritiae impulsu alia officia sub gravi obligantia transgreditur, aut ubi occasio se obtulerit, ad eadem transgredienda paratus existit. In quo non refert, utrum haec officia ex titulo juris vel caritatis descendunt, atque an per commissionem vel omissionem laedantur. Facilius tamen avaritiam ingravescere dicunt, quando opponitur *justitiae*, quam ubi adversatur liberalitati, quia aperte major est malitia ex vesana opum cupidine ad ipsas juris laesiones protrudi, quam solis officiis caritatis contravenire.[2])

§. 28. Modestia et peccata opposita.

I. Modestia.

I. **Modestia:** *est virtus, qua quis intra modum et limites sui status, ingenii et fortunae, quantum ad motus tam internos quam externos, et omnium rerum suarum apparatum se continet.*

Distinguitur modestia *interna* et *externa*, *prior* est ipsa humilitas, jam alio loco definita; *posterior*, seu modestia stricte dicta ea est, quae moderatur exteriorem hominem juxta decori regulas.

Objectum materiale.

Et haec iterum duplex est: *modestia motuum*, quae motus corporis, in verbis et actionibus, juxta modum rationis componit; tenet medium inter *aulicismum* et *rusticitatem*; — et *modestia cultus*, quae moderationem rationis adhibet in apparatu exteriori, seu in vestibus, suppellectili, conviviis juxta conditionem personae, temporis, loci etc.

---

[1]) Acta Beatif. super virtutibus summar. pag. 303. Romae 1873.
[2]) Cfr Billuart tom. 13. Müller II. §. 91.

Notandum tamen est, quod illi, qui in dignitatibus constituuntur, vel etiam ministri altaris, pretiosioribus vestibus vel suppellectilibus quam ceteri absque vitio utantur, non propter sui gloriam, sed ad significandam excellentiam sui ministerii vel cultus divini. — Similiter non semper qui vilioribus, quam ceteri vestibus utitur, peccat; uti si hoc faciat propter macerationem carnis, vel humiliationem spiritus, vel ad alios ad poenitentiam exhortandos etc.

Ceterum, uti Cajetanus dicit, cultus corporis ad quatuor potest ordinari, scil. vel ad fovendum corpus contra injurias aëris; vel ad tegenda verecunda naturae; vel ad servandam decentiam status juxta consuetudinem patriae; vel ad fovendam et augendam pulchritudinem. Hinc licitum est, se ornare pro decentia sui status vel juxta morem patriae; similiter mulieres matrimonio junctae, vel ad illud aspirantes, possunt licite intendere ornatum pulchritudinis, ut placeant viris, quos habent aut habiturae sunt, atque ad eos ab aliis mulieribus retrahendos, servato tamen moderamine rationis; nam si excedatur in ornatu a quacunque muliere, erit peccatum, cum omnis excessus sit vitiosus, per se tamen tantum veniale. Mulier autem, quae sine recto fine se ornaret, certe peccaret, et quidem graviter, si hoc faciat ad provocandos viros, ut ipsam concupiscant; leviter vero, si faceret tantum ex levitate vel vanitate. — Idem dicendum est de muliere se fuco pingente, quam excusant etiam a gravi, licet se fucaret ad turpitudinem faciei tegendam.

Necessitas modestiae ex eo probatur, quod virtus christiana, ut sit integra et perfecta, etiam in exterioribus resplendere debet; nam imperfecta esset, et quasi dimidiata, si intus tantummodo lateret. **Necessitas modestiae.**

Ejusdem praestantia et utilitas ex eo elucet, quod modestia, sicuti religiosam virtutem testatam facit, ita egregium ipsius adminiculum existit. Etenim externa morum compositio hominem a multis periculis peccandi, et peccati illiciis custodit, quia talis, si tentatur, quidquid indecens est, cum indignatione et nausea respuit; porro virtutem christianam insigniter decorat et commendat, aliosque ad imitandum excitat et quodammodo trahit; tandem activitatem nostram quoad alios egregie promovet, dum institutionem dulcem, correctionem amicam, reprehensionem moderatam efficit. **Praestantia modestiae.**

Plura de regulis modestiae in variis materiis jam in Noviziatu tradita sunt.

II. ***Peccata opposita;*** sunt sequentia: **II. Peccata opposita**

1. Per defectum: cruditas morum seu *rusticitas*, quae decorum externi hominis nimis negligit; est per se veniale, imo saepe ne proprium peccatum quidem est: — dein *neglectus sui quoad apparatum externum;* est per se veniale; sed grave fieri posset propter finem graviter malum, e. g. ex hypocrisi. **1. Per defectum.**

2. *Per excessum: petulantia* vel *insolentia,* qua aliquis gestibus motibusque insolitis vel incongruis utitur, qui indecori sunt atque animum male fraenatum indicant; dein *adulatio, simulatio, affectatio, clamorositas* et *scurrilitas*, sunt per se tantum peccata **2. Per excessum.**

venialia, gravia tamen fieri possunt ratione alterius malitiae adjunctae; porro: *luxus*, quo modus consuetus et conditioni conveniens in vestibus, conviviis etc. exceditur. Est per se veniale; sed mortale fieri potest, tum ratione excessus, si sit valde gravis, tum ratione affectus graviter mali, e. g. ex fine graviter malo, ut puta ad viros alliciendos ad peccatum; tum denique ratione consectariorum, e. g. scandali gravis, vel ruinae familiae etc.[1])

§. 29. Eutrapelia et peccata opposita.

I. Eutrapelia.

I. ***Eutrapelia*** (ευ et τρεπω = bene se convertere). *Est virtus modum et decorum observans in dictis et factis ad animi recreationem institutis;* est ergo species quaedam modestiae, et refraenat appetitum concupiscibilem, ne his oblectamentis justo plus indulgeat, et in eorum usu rectum modum teneat.

Objectum materiale.

Materia hujus virtutis sunt ergo varia et diversa oblectamenta corporis et animi. Homo etenim ita comparatus est, ut continuum laboris exercitium ferre non possit; unde aliqua quiete tum quoad corpus, tum quoad animam indiget. „Quies autem animae, uti s. Thomas dicit, delectatio est.“[2]) Hinc convenientem animi recreationem ex honesta delectatione redundantem nobis aliisque haud denegare debemus, juxta illud s. Augustini:[3]) „Volo tandem tibi parcas; nam sapientem decet interdum remittere aciem rebus agendis intentam.“

At illae tantum delectationes sunt admittendae, quae tum in se, tum ex circumstantiis loci et temporis prorsus honestae sunt. Quidquid igitur sanitati, pudori, aut caritati fraternae, aliisve virtutis christianae officiis repugnat, sollicite cavendum est. — Porro delectationes non praecise in se appetendae sunt, sed potius ut medium ad finem altiorem adhibeantur, ut scil. animus, dum liberali quadam joci festivitate recreatur, ad majora vitae officia promptior ac fortior reddatur. — Denique etiam in usu oblectationum justa temperantia ad mensuram necessitatis, prout in cibo aliisque ad victum quotidianum ordinatis, observanda est. S. Thomas[4]) ex Aristotele dicit: „Parum de delectatione sufficit ad vitam, quasi pro condimento; sicut parum de sale sufficit in cibo.“

Objectum formale.

Diversa oblectamenta.

Jam inter diversa corporis et animi oblectamenta potissimum tria veniunt specialiter pensanda, scil. *ludus*, *choreae* et *spectacula.*

1. Ludus.

1. ***Ludus:*** *in sensu latiori,* significat quamlibet delectationem, quae in animi recreationem assumitur. — *In sensu strictiori* autem sub ludo intelliguntur jucundae illae occupationes, quibus vel fortuitos certae actionis eventus exspectamus, vel alios arte et dexteritate juxta statutas regulas vincere studemus. Unde *ludi artificiales*, *fortuiti seu aleatorii*, et *mixti* distinguuntur, prout eventus victoriae vel a dexteritate, vel a fortuna vel ab utraque simul dependet. Ne ludus frigescat, plerumque aliquod praemium

---

[1]) Cfr. Billuart tom. 13. Müller II. §. 176. Stapf §. 209. [2]) 2. 2. q. 168. a. 2. [3]) Musicae L. II. cap. ult. [4]) 2. 2. q. 168. a. 4.

victori solvendum condicitur, et in hoc sensu ludus ad contractus pertinet, ut suo loco dicetur et definitur conventio, de praemio ei solvendo, qui inter ludentes victor evaserit.

Quare ludi suapte natura nil inhonesti continent; potius conferre possunt ad animum relaxandum, ad mutuam caritatem et amicitiam fovendam, ad multa mala, alias in hominum consessu obvia, removenda, e. g. detractiones, scurrilitates, dissidia etc.

Nonnulli praeterea ludi corpus ejusque organa, vel hominis ingenium utiliter exercent.

Hinc ludi per se loquendo liciti sunt, dummodo debitae cautelae et conditiones serventur quantum ad eorundem selectum, finem, modum et adjuncta. Scilicet ex ludis variis illi eligantur prae ceteris etiam innocuis, quibus animi relaxationem ceterosque *fines facilius assequi contingit;* quod fit e. g. in ludis, qui non nimiam fatigationem continent, nec nimis intensam attentionem exposcunt. Unde per se patet, ludum non per modum quaestus et solius lucri causa instituendum esse. — *Ratione modi* invigilandum est, ne quis nimium tempus iis tribuat, aut ne cum immodico affectu et animi adhaesione ludum quaerat vel usurpet, neve ludendi cupiditate adeo ducatur, ut ludum tamquam finem frequentet, et non tamquam recreationis medium, id, quod moralem hominis characterem prorsus corrumpere solet.

Cautelae in ludi selectu adhibendae.

Ratione finis.

Ratione modi.

Denique *adjuncta* quod attinet, sollicita cura habenda est tum temporis et loci, tum colludentium, tum pretii, de quo convenitur, tum denique quid justitia exigat, et quae sunt similia. Unde exposcitur, ut ludentes ad ludendum haud cogantur, rerumque, quas exponunt, dominium liberamque administrationem habeant; ut modica tantum pecuniae summa exponatur, facultatibus ludentium attemperata; ut exulent fraus et dolus, aliaeque astutiae, quae receptis ludi regulis adversantur; ut ludus non proximum peccandi periculum inducat, e. g. irascendi, rixandi, blasphemandi aliosve scandalizandi.

Ratione adjunctorum.

Cum vero recensitae conditiones haud raro deficere ludique frequentati inordinatam passionem saepius generare soleant, facile intelligitur, *ludos in praxi dissuadendos potius, quam commendandos esse.* Praesertim illi ludi aleatorii, quibus major pecuniae summa exponitur, omnino improbandi sunt, quia facile nimiam ludendi aviditatem, imo vesanam passionem, indeque tristissimas sequelas inducunt, quarum ultima haud raro autochiria esse solet. Hinc etiam Codex Austriacus hujusmodi ludos aleatorios (Hazardspiele) severe prohibuit.[1]) Praedicta potissimum etiam Lotteriae ludum attingunt.

2. ***Chorea seu saltatio:*** choreae et saltationes, praesertim ad numeros modosque musicos compositae, si inter homines saeculares, probos et honestos, servatis regulis modestiae et eutrapeliae, secluso aliorum scandalo, convenienti loco et tempore, et nonnisi moderate fiant, *per se* sunt indifferentes, nec ulla lege prohibentur.

2. Chorea.

---

[1]) Cfr. Codex criminal. §. 522.

Imo ex fine suo intrinseco tum mentem exhilarare, tum etiam ad sanitatem et decentem corporis moderationem conferre possunt. Unde generatim dici potest: non peccat saltando, nisi qui saltat peccando.

Principia quoad choreas. a) Choreae in se illicitae.

Unde quoad choreas principia sequentia sunt tenenda:

a) *Choreae illicitae sunt;* si ducuntur *a Clericis vel Religiosis* contra prohibitionem Concilii Tridentini,[1]) etsi abesset scandalum; *vel si habeantur cum personis inhonestis,* e. g. cum meretricibus, cum feminis inhoneste vestitis etc., vel *si fiant inhonesto modo*, e. g. cum inhonestis gesticulationibus et tactibus etc. uti generatim fit in saltationibus modernis vel gyrantibus dictis (Polka, Mazurka, Redova, Scotisch, Waltzer, Galoppa etc.) quae proinde nusquam tolerari possunt; similiter inhonestae esse solent *choreae cum larvis*, non enim desunt, qui ideo faciem tegunt, ut pudoris fraeno non amplius retenti, incogniti ea faciant, quae cogniti facere non auderent, ut dicit Berardi.

b) Choreae ratione periculi illicitae.

b) *Choreae, quae non sunt in se inhonestae saepe illicitae evadunt ratione periculi proximi graviter peccandi, vel ratione scandali, praesertim si sint frequentes.* Atque hinc est, cur s.s. Patres unanimiter in choreas invehantur. In his casibus quidem regula generalis statui nequit, quae omnibus locis et personis accomodetur, et nil aliud restat, nisi ut in singulis casibus ex poenitentium confessione determinetur, an periculum grave adsit pro ipsis, illudque influxui chorearum attribui debeat, necne.

c) Choreae in praxi consideratae

c) *Choreae in praxi consideratae, prout scilicet inter vulgum institui solent, periculis scandalisque plenae sunt, innumerasque animas in diaboli laqueum irretiunt.* Idcirco generatim quaelibet saltationes a parochis et confessariis, quantum fieri potest, impediri debent. Et haec est nostrae aetatis doctorum et animarum directorum communis sententia. Prudentia tamen suadet, ut concionatores indirecte tantum in choreas invehantur, et directe in peccata, quae in eis committi solent.[2]) —

Nota pro praxi.

Hinc pro praxi notandum est:

α) Graviter peccant, qui choreas valde inhonestas absque necessitate adeunt. Idem valet de illis, qui choreas in se quidem non adeo inhonestas adeunt, attamen propter specialem infirmitatem suam, proximum graviter peccandi periculum incurrunt, sive in actu choreae, sive postea, puta in via, quando juvenes puellas domum deducunt.

β) Choreis honestis ex quadam necessitate aut status decentia interesse, atque modice in eis saltare, sine probabili gravioris peccati periculo, haud illicitum est. Quare excusantur a peccato decenter saltando puellae matrimonio destinatae, quae a choreis in domo paterna, vel apud cognatos aut vicinos institutis, abesse non possunt, vel saltationem re-

---

[1]) Sess. XXIV. c. 12. [2]) Cfr. Berardi, De occassion. n. 156.—170.

cusare nequeunt, quin derideantur, vel parentibus aut sponsis ipsas requirentibus displiceant.

γ) Imo choreas honestas absque necessitate adire et in eis decenter saltare, secluso tamen peccandi periculo aliorumque scandalo, non solum mortali, sed etiam veniali culpa vacare potest, cum, uti diximus, choreae in se nulla lege prohibitae sint, licet in praxi choreae inter personas diversi sexus, quantumvis honestae, quantum fieri potest impediendae sint. S. Franciscus Salesius imprimis tunc solum saltationes admittit, ubi prudentia et pia discretio suadent, ut votis aliorum satisfiat; dein vero monet, ut id raro tantum, ex honesta semper ratione, et cum viva Dei praesentis vel novissimorum memoria fiat; postremo generatim asseverat, choreas quascunque fungis non absimiles esse, qui utcunque scite cocti, plus nocent, quam prosunt, praesertim nisi parce admodum et in stomachum sat validum transmittantur.[1])

3. ***Spectacula seu ludi scenici:*** De his eadem fere dicenda sunt, ac de choreis; unde haec pauca subjungere sufficiat: 3. Spectacula.

a) *Spectacula per se non sunt mala, nec ulla lege prohibita*, imo, si scopo suo congruant et ratione materiae et modi, quo producuntur, nil inhonesti continent, servire possunt ad animi remissionem, ad ingenii et sermonis culturam, necnon ad alia commoda. a) Censura spectaculorum in genere.

Attamen prouti nunc temporis et apud nos habentur, haud raro pravam et scandalosam indolem habere solent, ideoque valde noxia sunt, tum ob res turpes et religionis offensivas, quae solent repraesentari, tum ob incentivum libidinis, quod spectatores sibi ipsi praebere consueverunt. Constat enim, luxuriam thema comoediarum frequentissimum esse; insuper studium vindictae, lascivientes amores, adulteria, duella, suicidia, fraudes aliaque vitia ita saepe nobilitantur, ut potius plausum et assensum, quam horrorem excitent, unde sensus moralis haud parum corrumpitur. Ludi itaque scenici ratione materiae aut modi valde turpes sub gravi prohibiti sunt.

b) *Ad judicandum in particulari, quid de spectaculorum accessu censendum sit, eaedem plane regulae applicari possunt, quas supra de choreis attulimus.* Pensandum scilicet est, an comoediae sint notabiliter turpes seu indecentes, sive ratione ipsius poëmatis, sive ratione histrionum, qui, uti constat, saepissime maxime procaces et lascivi sunt; dein, an quis sciat, se istiusmodi ludis vehementer ad libidinem incitari cum proximo consentiendi periculo; et demum quanam causa impulsus, quis iis intersit, an ad animi relaxationem, an ex curiositate, an ex libidine, an ex quadam decentia aut necessitate. b) Censura spectaculorum in particulari.

Ut quis ergo licite possit interesse spectaculo, communi

---

[1]) Philothea P. III. c. 34. Cfr. etiam Schmid, Cas. Conferent. ex Dir. Brixinensi 1885, cas. II. Linzer Quartalschrift 1884, pag. 615 sqq., 1885 pag. 495 sqq.

hominum vel sibi speciatim graviter periculoso, requiritur tum causa gravis, tum prudentia seu cautio, ad removendum periculum et scandalum. Sic e. g. excusari possunt *milites*, qui interesse tenentur ad invigilandum; *famuli*, qui dominorum; *filii*, qui parentum; *uxores*, quae virorum indignationem paterentur gravem, si adesse renuerent. Tenentur tamen cautelas periculo opponere, e. g. oculos claudendo, de aliis rebus cogitando, jaculatoriis precibus se muniendo, novissima recordando etc.

Notat insuper s. Alphonsus: Audientes turpes comoedias ob solam curiositatem, aut ob vanum solatium, possunt aliquando excusari a mortali, si absit delectatio turpis et illius periculum (quod tamen facile semper aderit in adolescentibus, vel aliis parum timoratae conscientiae), necnon aliorum scandalum.

Qui comoedias non adeo turpes propter curiositatem vel propter vanum solatium adeunt, non graviter peccant, nisi propter specialem infirmitatem suam cognoscant, se hujusmodi ludis vehementer ad libidinem excitari, ita quidem, ut proximum graviter peccandi periculum incurrant. — Unde in his et similibus casibus semper *principia de occasione peccati* prae oculis habenda sunt.

II. Peccata opposita.

II. ***Peccata opposita:*** Praeter peccata, quae occasione ludi, chorearum et spectaculorum committi possunt ac solent, contra eutrapeliam adhuc peccari potest:

1. Per defectum.

1. ***Per defectum:*** scil. per *morositatem*, qua quis tum sibi, tum aliis omnem honestam recreationem invidet, et impedire nititur; est tantum leve peccatum.

2. Per excessum.

2. ***Per excessum:*** *per nimiam oblectationum et gaudiorum corporeorum cupiditatem,* quae innumera fere mala, hac nostra praesertim aetate, mundo inferre continuo pergit. Inde enim rei familiaris dilapidatio, paupertas, perturbatio pacis domesticae et familiarum, enervatio virium tam corporis, quam animae, oblivio Dei, alienatio et defectio a vera Religione; unde haec nimia cupiditas oblectationum persaepe gravia peccata producit. — Dein: *scurrilitas*, vel si genus ludendi vel jocandi est illicitum, e. g. petulans, obscoenum, injuriosum; vel si lusus et jocus adhibetur ubi, quando, coram quibus et quomodo non decet, vel affectu immodico; unde graviter mala esse potest pro ratione periculi vel materiae graviter malae.[1])

§. 30. Studiositas et peccata opposita.

I. Studiositas.

I. ***Studiositas:*** *est virtus moderans appetitum et studium veritatis cognoscendae secundum regulas rectae rationis.* Est scilicet in homine quantum ad cognitionem duplex inclinatio; ex parte animae inclinatur homo ad hoc, quod rerum cognitionem desideret;

---

[1]) Cfr. Gury n. 242. Marc I. n. 829.—837. Staller II. tr 4. §. 24. et 25. Müller II. §. 177. Lehmkuhl I. n 643. et 644.

ex parte vero naturae corporalis homo inclinatur ad hoc, ut laborem inquirendi scientiam vitet. Jam studiositas est, quae utramque hanc inclinationem intra limites rationis continet, ne scilicet vel excedat in inquirenda scientia, vel labore territa deficiat, i. e. ne in curiositatem aut pigritiam diffluat.

Quatenus studiositas refrenat immoderatum appetitum sciendi, est pars potentialis temperantiae; quatenus vero impellit ad studium, non obstante labore, pertinet ad fortitudinem.

Officium studiositatis.

Officium hujus virtutis ergo est, tum moderari appetitui sciendi, ne homo appetat plura et altiora scire, quam quae suae conditioni conveniunt; tum moderari ipsum studium et conatum animi, ut studeat homo ea diligentia, eo fine, iis adminiculis, ut par est, neque plus; tum denique interdum etiam excitare et impellere ad studium, quando animus labores cum eo adjunctos refugit, atque languidum se gerit. Unde studiositas exposcit:

a) Ratione objecti.

a) Ratione objecti: ut unusquisque illas praecipue cognitiones sibi comparet, quae ipsi pro munere et statu suo prae ceteris necessariae sunt. Locum alterum cognitiones vere utiles occupant, inter quas talis instituatur selectus, ut eas reliquis praeferamus, quae ad officia nostra promptius exequenda magis conducunt. Per se quidem omne studium etiam rerum saecularium ingenuum et laudabile est; sed quia conditio humana non omnia addiscere permittit, cavendum est, ne praetermissis necessariis magisque utilibus, ad res divertamur, quae extra orbem nostrum versari videntur. Thomas a Kempis dicit: „Grandis insipientia est, quod neglectis utilibus et necessariis ultra intendamus curiosis et damnosis.[1])

b) Ratione modi.

b) Ratione modi: ut vires nostras ad convenientes scientias comparandas serio intendamus, quia de iis, qui oscitanter et remisse litteris vacant, verificatur illud s. Pauli verbum: „Semper discentes et nunquam ad cognitionem veritatis pervenientes.“[2]) — Simul autem cavere debemus, ne scientias ultra vires nostras appetamus, easque virtuti aliisque officiis strictius obligantibus praeferamus.

c) Ratione finis.

c) Ratione finis: ut scientiam non ex cupedine celebritatis literariae neque ex solius cognitionis affectu, sed propter gloriam Dei et salutem nostram alienamque quaeramus. Thomas a Kempis dicit: „Quidquid habes sive scientiam sive sapientiam, totum debes referre et uti ad gloriam Dei.“[3])

Praestantia studiositatis.

Praestantia studiositatis, sicut et *necessitas* et *utilitas* per se patet. Praeprimis clerici, ut in scientiarum studia, sibi aliisque profutura, summa ope nitantur necesse est. Id quippe ipsius officii ratio postulat; quomodo enim docebunt alios, quod ipsi nesciunt? et quomodo scient, quod non didicerunt? Hinc ait s. Alphonsus: „Qui studii non est amator, nunquam ideoneus erit Ecclesiae, imo necessario erit pravus, nam otium est pater

---

[1]) Imit. Christ. L. I. c. 3. [2]) I. Tim. III. 7. [3]) In expos. Symbol. Apostol.

vitiorum."[1]) Ideoque etiam sacerdotes, ne otio vitioso torpescant, nec cum maxima animarum pernicie ignorent, quae in ministerio sacro scienda continuo occurrunt, studium continuum ordinatumque in doctrinam sacram impendere debent.

II. Peccata opposita.

II. ***Peccata opposita:*** Studiositati opponitur:

1. Per defectum.

1. ***Per defectum:*** *Negligentia* vel pigritia; i. e. voluntaria studii omissio ad ea discenda, quae quis scire potest et scire tenetur pro suo statu et conditione. Est grave peccatum, quando agitur de rebus sub gravi scitu necessariis, si modo hujus gravis obligationis advertentia adsit; sive de scientia rerum agitur *omnibus* necessaria, ut articulorum fidei necessariorum, sive de scientia ex munere suscepto vel suscipiendo necessaria; negligentia etenim in hujusmodi rebus addiscendis facit, ut ipsa ignorantia sit voluntaria et peccatum, simulque fons, ex quo tot eveniunt peccata ignorantiae.

2. Per excessum.

2. ***Per excessum:*** *curiositas*, quae est inordinatus appetitus sciendi. Appetitus sciendi vero inordinatus esse potest *vel ex parte objecti*, cum quis cupit scire ea, quae ad ipsum non pertinent, imo ei potius nociva sunt, uti lectio turpium ex curiositate; *vel ex parte modi*, ut si quis illa, quae ad se pertinent, velit addiscere tempore vel loco non congruente, uti si studiosus intra Missam perlegat lectionem; vel immodice seu nimia intentione, qua vires praemature franguntur, vel non referat ad debitum finem.

Curiositas per se tantum peccatum veniale est, quia non videtur magna inordinatio, quod homo curam superfluam adhibeat in cognoscendis rebus, quae ad ipsum non pertinent. *Potest tamen etiam mortale evadere et simul causa gravis peccati fieri;* et quidem:

a) Ratione materiae: ut si cognitio alicujus rei sit prohibita jure naturali vel positivo; sic e. g. mortaliter peccat, qui legit libros prohibitos, aut amatorios cum periculo consensus; vel qui ex curiositate inspicit partes secretas alterius sexus; vel qui tentat per vires naturae cognoscere mysteria fidei; vel qui expiscatur secretum confessionis Sacramentalis, vel confessarius, ex curiositate inquirens nomen complicis; vel qui vult ab alio scire, quod sine peccato mortali non potest manifestare, vel qui ex curiositate spectat duellum, concubitum humanum etc.;

b) ratione finis, ut si tentes aliquid scire ad graviter nocendum proximo, uti e. g. ad detrahendum, ad abortum procurandum, etc.;

c) ratione medii: ut si arte magica, vel inducendo aliquem in peccatum mortale, velis aliquid scire.

Specialiter hic notandum est, quod qui literas alterius (seu scripturas quascunque secretas), ex curiositate aperit et legit absque consensu, saltem praesumpto, mittentis aut recipientis, vel absque legitima auctoritate seu causa justa; vel aliter per vim seu fraudem, alterius secretum expiscatur, peccat, quia hoc omnino illicitum, et per se peccatum curiositatis est, et simul etiam contra

---

[1]) H. A tr. 7. n. 52.

justitiam; tum, quia unusquisque jus habet ad suum secretum, ergo facit illi injuriam, qui per vim aut fraudem illud extorquet; — tum, quia, qui legit scripturas alienas secretas, e. g. conciones etc., utitur re aliena invito rationabiliter domino.

Hoc autem peccatum erit mortale vel veniale pro qualitate vel damni, vel periculi, vel intentionis graviter aut leviter damnificandi; vel etiam contristationis alterius, cujus scripta leguntur. Unde peccat tantum venialiter, qui aperit literas, quas certo moraliter scit, non continere, nisi nuntia publica, salutationes et similia levis momenti, paratus tamen ad secretum, si casu aliquid occurreret sub secreto servandum. — Econtra peccat mortaliter, si sciat, aut dubitet eas continere, quae alicujus famam graviter labefactant, aut ea, quae secreta manere multum interest illius, qui mittit aut recipit epistolam, ita, ut alias graviter contristaretur.

Sed dixi supra, illicitum esse:

α) *„Literas et scripturas secretas legere"*; tales sunt literae clausae, aut etiam apertae, sed in loco secreto repositae aut etiam casu amissae. Unde qui literas ab alio dilaceratas et in publicum locum projectas colligit et legit, nullam quidem ei injuriam facit, quia dominus jure suo cessisse videtur, peccat vero venialiter peccato curiositatis. — Probabilius vero peccat ille graviter vel leviter, qui scripturas minutim laceratas, vel in occultum locum disjectas legit; ratio est, quia hoc ipso, quod quis eas minutim dilaceravit, satis significavit, nolle, ut legantur, et ideo noluit cedere juri suo. — Idem tenendum est de eo, qui literas a domino in ignem vel fornacem projectas, ad easdem comburendas, extrahit et legit.

β) *„Absque consensu mittentis aut recipientis"*; quia, qui propter amicitiam et familiaritatem praesumere potest, mittentem aut recipientem consentire in apertionem et lectionem suarum literarum, non peccat, saltem mortaliter, eas aperiendo et legendo.

γ) *„Vel absque legitima auctoritate"*; etenim Superiores religiosi licite aperire possunt epistolas subditorum vel aliorum ad hos missas, si ordinis statutum aut usus id fieri sinit; exceptis epistolis, quae a subditis ad Superiores majores, e. g. Provincialem vel Generalem, vel ab his ad subditos datae sunt. — Eadem facultas jure gubernationis conceditur marito respectu uxoris literarum, quas vel mittit, vel recipit; et patri respectu filiorum.

δ) *„Vel causa justa"*; etenim ad evertendum grave damnum sibi vel alteri imminens, licitum est literas aperire et legere. Hinc licitum est principibus et eorum ministris, gubernatoribus, praefectis exercitus et similibus, aperire literas adversariorum, vel etiam civium ad damnum publicum avertendum; idem licet etiam privato, qui fundate timet, per epistolam grave damnum sibi, vel alteri parari, talis enim utitur jure defensionis adversus injustos invasores. Ita auctores cum s. Antonino.[1])

---

[1]) Cfr. Billuart tom. 10. et 13. Stapf §. 253. Müller II. §. 175. Lehmkuhl I. n. 726. et 727. Staller II. tr. 4. §. 23.

§. 31. Fortitudo et peccata opposita.

Non solum appetitum concupiscibilem, sed et irascibilem refrenare oportet; etenim non sufficit, si voluntas a recto non abstrahitur per aliquod delectabile, quod impedimentum virtutes hucusque relatae tollunt, sed requiritur etiam, ut a suo officio non amoveatur per aliquod difficile vel triste, vel per iram inordinatam. Hoc praestant tres virtutes modo describendae, scilicet: fortitudo, patientia et mansuetudo.

I. Fortitudo.

1. ***Fortitudo;*** *sensu latiori sumpta est animi firmitas in bono quocunque honesto prosequendo.* Hoc sensu est virtus generalis, vel potius conditio cujuslibet virtutis. — *Sensu strictiori* accepta est „*virtus moralis, confirmans hominis animum ad difficilia, inprimis mortis pericula sustinenda vel repellenda; ut nec anxie timendo, nec temere audendo a divina voluntate discedat.*" Ita s. Thomas.[1]) Hoc sensu fortitudo est virtus specialis et cardinalis.

Objectum materiale.

Fortitudo igitur versatur *immediate* circa passiones *timoris* et *audaciae* in mortis periculis, seu in earum debita moderatione, ne scilicet nimius sit timor, neve nimia audacia, sed ut et audacia et timor suo tempore et debito modo atque mensura excitentur. — Postquam autem malum evenerit, fortitudo etiam *tristitiae* moderatur.

Mediate dirigit fortitudo externam actionem et externam hominis compositionem, ut fugam, aggressionem, perpessionem etc.

Pericula autem mortis, ut a fortitudine dirigentur, debent prorsus honeste suscipi et tolerari, aliter eas suscipere nullatenus fortitudo est, sed temeritas, ferocia etc.

Fortitudinis *exercitium* potissimum spectatur in periculis bellicis — saltem si spectas fortitudinem naturalem. Haec enim in bello justo honestissima et maxima censentur, neque humanam conditionem superant. Refertur fortitudo primarie ad pericula mortis in bello occurrentia, secundarie ad omnia gravia mala calamitatesque sustinenda.

Secundum s. Thomam fortis absolute dici nequit, qui omnes quidem vitae hujus molestias tolerare, non autem mortem sustinere paratus est. — Juxta eundem s. Doctorem fortitudo maxime ostenditur occurrentibus malis vel periculis repentinis.

Hinc duo potissimum sunt fortitudinis actus, nimirum difficilia *sustinere* et *aggredi seu depellere;* unde etiam fortitudo *passiva* et *activa* distinguitur, quarum posterior quidem splendidior, prior autem difficilior adeoque praestantior apparet.[2])

Martyrium.

Christianae fortitudinis actus praecipuus est *martyrium*, quo quis sive fidei, sive alterius virtutis causa mortem a tyranno inferendam voluntarie subit.

---

[1]) Cfr. 2. 2. q. 123. a. 2. et 4. [2]) Cfr. s. Thom. 2. 2. q. 123. a. 6.

Requiruntur vero ad verum et salutare martyrium sequentes conditiones:

Requisita ad verum martyrium.

a) *Ut vere sequatur mors*, seu perpessio mortis violentae vel talium malorum, quae ad mortem perducere possunt, ut vulneris lethalis, carceris, exilii, tormentorum etc. At illi, qui quidem tormenta passi sunt propter Christum, sed non usque ad mortem, non sunt perfecte et complete martyres, uti e. g. s. Joannes Evangelista, s. Josephus a Leonissa; sunt tamen incomplete martyres. — Illi vero sunt vere et proprie martyres, qui, accepto propter Christum lethali vulnere, miraculose quidem aliquando supervivunt, tandem vero ex illo vulnere occumbunt; tales e. g. sunt: s. Eusebius, Marcellus, Silverius, Martinus etc.

b) *Ut mors voluntarie acceptetur*, seu ut adversus persecutores seu poenam infligentes non adhibeatur resistentia; quia est actus virtutis, qui debet esse voluntarius. Quapropter si quis adultus dormiens fidei causa occidatur, absque eo, quod antea de martyrio cogitaverit, probabile est, quod non sit vere martyr; secus si conjectus in vincula martyrium subire proposuerit, sicut dormiens vere baptizatur, qui antea baptismum desideravit. — Quoad Infantes, qui propriam voluntatem afferre non possunt, eam supplet specialis gratia, sicut in Baptismo.

c) *Ut acceptetur mors propter causam honestam et piam*, ita ut causa mortis sit opus virtutis christianae in ordine ad Deum et propter Deum; ergo non solum qui directe pro fide christiana, sed etiam qui pro cujusvis virtutis christianae officio, aut quavis offensa Dei vitanda, mortem appetit, vere dicendus est martyr. Unde multi coluntur in Ecclesia martyres, qui non sunt occisi directe fidei causa, sed vel propter reprehensionem adulterii, ut s. Joannes Baptista, s. Lambertus et alii; vel propter defensionem Jurisdictionis Ecclesiasticae, ut s. Thomas Cantuariensis; vel propter servandum sigillum confessionis, ut s. Joannes Nepomucenus; vel propter conservationem castitatis, ut plures virgines; vel propter alias virtutes.

d) *Ut mors subeatur in statu gratiae, vel saltem legitima ad gratiam dispositione, et ex motivo caritatis*, ut patet ex verbis Apostoli: „Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest.“ Probabilius in martyrio, sicut in baptismo adultorum, attritio sufficit.

Nota: Fortitudo, ut est *donum Spiritus Sancti*, est qualitas infusa, qua quis ex speciali motione Spiritus Sancti et praeter connaturalem modum agendi pervenit ad finem cujuslibet operis inchoati cum fiducia evadendi omnia pericula contrarium timorem excludente.

Virtutes secundariae et integrantes fortitudinis.

Virtutes secundariae fortitudinis et integrantes, quae scilicet necessariae sunt ad integrum fortitudinis officium, sunt potissimum sequentes:

a) Fidentia: qua confidimus, nos pericula et difficilia superaturos; praestat animi fortitudinem et promptitudinem ad subeundum periculum.

b) Securitas: qua inordinatus timor et anxia cura excluditur; efficit animum pacatum in exordiendo et peragendo.

c) Magnanimitas (de qua jam alio loco), quae ad opera magna et heroica in omni genere virtutum inclinat; haec strenuitatem in exequendo suppeditat.

d) Patientia (de qua fusius infra), quae malum irruens, quod nequit superari resistendo, generose sustinet.

e) Perseverantia et constantia, quae duae virtutes in eo potissimum distinguuntur, quod illa respicit diuturnitatem temporis, quo fortius agere vel sustinere oportet, haec vero magis difficultates vincendas, ut nempe quis, iis obmotis, nihilominus in coeptis immobiliter perstet.

Subsidia fortitudinis.

Ex dictis sponte fluunt subsidia ad comparandam fortitudinem apta. Inter haec duo eminent: *firma erga Deum fiducia* et *filialis caritas;* illa veram fidentiam et securitatem, haec vero magnanimitatem praestat.

II. Peccata opposita.

II. ***Peccata opposita;*** sunt potissimum sequentia:

1. Per defectum: timiditas.

1. ***Per defectum;*** *timiditas seu ignavia,* quae excedit in timore, aut timendo, *ubi non* timendum est, aut *plus* quam oportet. Quod vitium, si in se sistit, non excedit veniale peccatum; at quando retrahit ab officio sub gravi implendo, transit in mortale, vel potius causa est mortalis peccati.

2. Per excessum: a) Intimiditas.

2. ***Per excessum:***

a) Intimiditas, quae non timet, quando timendum est; fortitudo enim non excludit, sed moderatur timorem. Hoc vitium oritur aut ex contemptu vitae, quam, quum homo non aestimat, facile exponit; aut ex superbia, si nimis virium tribuendo; aut ex animi stoliditate. Ceterum hoc vitium eatenus peccatum est, quatenus aut *causa* ejus est peccatum, aut quatenus per peccatum aliquis periculo sese exponit.

b) Audacia, seu temeritas, stoliditas.

b) Audacia seu *temeritas,* quae et *stoliditas* audit, est excessus in audendo vel aggrediendo, scilicet aliquid, *quod* non convenit, aut *quando* non convenit, aut *quo modo* non convenit. Oritur fere etiam ex iisdem causis, atque intimiditas; potissimum tamen ex jactantia et vana gloria. Est mortalis vel venialis pro ratione damni seu ejusdem periculi.

c) Fortitudo falsa.

c) Fortitudo falsa, i. e. ea, quae ex fine malo procedit, uti e. g. in duellantibus; est mortale vel veniale pro ratione materiae, de qua agitur, et damni inde secuturi.

d) Fortitudo pure materialis.

d) Fortitudo pure materialis, i. e. ea, quae caret forma virtutis, uti e. g. si quis fortis est mere ob utilitatem temporalem, e. g. mercatores, milites in bello etc.[1])

---

[1]) Cfr. Billuart tom. 13. Lehmkuhl I. n. 699.—704. Müller II. §. 159. Stapf II. §. 206. Staller II. tr. 4. §. 20.

§. 32. Patientia et peccata opposita.

I. ***Patientia:*** *est virtus confirmans animum, ne tristitia frangatur in adversis.* Sed distingui debet patientia, quae circa summa mala versans fortitudinem intrinsecus complet; et ea patientia, quae circa alia mala versatur; ut talis igitur pro peculiari virtute ab aliis distincta hic sumitur, quae in malis et afflictionibus tolerandis moerori et tristitiae moderatur, ne quidquam recedatur a praescripto rationis virtutumque exercitio. I. Patientia.

Materia proxima hujus virtutis est ergo tristitia et afflictio cordis, quam patientia moderatur. Objectum materiale.

Materia remota sunt diversa mala, quae tristitiam et afflictionem causant, mala nempe triplicis generis, ut s. Gregorius M. notat, siquidem „alia sunt, quae a Deo, alia, quae ab antiquo adversario, alia, quae a proximo sustinemus; a proximo namque persecutiones, damna et contumelias: ab antiquo adversario tentamenta, a Deo autem flagella toleramus.“[1])

Ad patientiam pertinent ut partes integrantes: *confidentia* seu *continentia animi,* qua mala imminentia parati excipimus; *aequanimitas,* qua nos, dum mala perdurant, divinae providentiae resignamus; *perseverentia et constantia,* qua neque diuturniori malorum tractu, neque aucta illorum vi et acerbitate nos concuti permittimus. Partes integrantes patientiae.

Pars quaedam patientiae, sed specialis virtus est *longanimitas,* quae versatur circa illud malum, seu *illam molestiam,* quae *ex dilatione rei exspectatae* oritur, e. g. ex dilatione alicujus debiti a proximo nobis praestandi.

Patientia in hac lacrimarum valle viro christiano est summe necessaria, quia sunt frequentissima mala hujus vitae, quibus abstrahimur a bono; et hac ratione s. Gregorius M.[2]) vocat patientiam radicem et custodem omnium virtutum. Unde dicitur: „In patientia vestra possidebitis (salvabitis) animas vestras.“[3]) — Sed notandum pro praxi: Necessitas patientiae. Nota pro praxi:

a) *Quoad habitum internum* hanc virtutem multum differre ab organorum hebetudine vel naturali apathia, qua fit, ut homines obduratae vel etiam lentae et phlegmaticae indolis, rebus adversis parum afficiantur. Neque ea vera patientia est, qua quis sensum afflictum et exacerbatum coërcet quidem ac dissimulat, sed nonnisi vana gloria, vel alia passione ductus; a) quoad habitum internum;

b) *quantum ad externas patientiae exhibitiones,* non prohibemur, afflictionem, quam persentiscimus, lacrimis, moderatis querelis aliisque contestationibus manifestare, dummodo *voluntas* nostra dispositioni divinae prompte acquiescat; nam Redemtor ipse instante sua passione „coepit contristari et moestus esse“, sed summam simul resignationem ostendit. b) quoad externas exhibitiones.

---

[1]) In Evang. Luc. II. Homil. 35. n. 9. [2]) Homil. 35. in Evang. [3]) Luc. XXI. 19.

Gradus patientiae.

Gradus patientiae potissimum tres assignantur, scilicet:

a) Adversa tranquillo animo sine perturbatione voluntaria et murmuratione ferre. Lacrimis tamen moderate et modeste conqueri, mediaque licita ad dolorem leniendum quaerere licet, nam dolorem sentire, quid naturale est.

b) Divinae voluntati se offerre ad ferenda tot adversa, quot ipsi placuerit immittere.

c) Adversa a Deo immissa, tamquam grandia beneficia laeto animo suscipere et amplecti, sicut Apostoli, qui ibant gaudentes a conspectu Concilii, quia digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati.

Primus gradus est de praecepto, secundus vero et tertius sunt tantum de consilio, et ad perfectionem hujus virtutis pertinent.

Subsidia patientiae.

Subsidia patientiae acquirendae haec sunt praecipua:

a) Frequenter meditari tum de utilitate adversitatum, tum de praemio adversitatum in coelo.

b) Ferventer petere et fiducialiter sperare gratiam ab eo, qui non permittet, ut supra vires nostras tentemur, sed dabit cum tentatione proventum, ut possimus sustinere.

c) Continuum patientiae exercitium inter adversitates hujus vitae; nam patientia nonnisi patiendo addiscitur.

d) Quam maxime vero inservit contemplatio Christi, divini Salvatoris nostri, „qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem,“ quem secuti sunt Sancti, per multas tribulationes in regnum Dei intrantes.[1]

II. Peccata opposita.

II. ***Peccata opposita:*** sunt potissimum sequentia:

1. Per defectum: impatientia.

1. ***Per defectum:*** *impatientia*, in eo consistens, ut quis nimium ob malum tristatur, aut ex tristitia seu dolore a bono recedat. Exerit se *erga Deum:* per diffidentiam, odium, blasphemias; *erga semetipsum:* per taedium officiorum, per mediorum neglectum, sanitatis et fortunae laesionem; *erga proximum:* per suspiciones, rancores, quaerelas et multiplices molestias. — Impatientia *per se* quidem est tantum *peccatum veniale;* potest tamen fieri peccatum grave, quando scilicet ita comparata est, ut ex ea caritas Dei aut proximi graviter violetur, vel aliquod officium sub gravi obligans praetermittatur. Subjective tamen hoc peccatum saepe minuitur per tetricam indolem, per vim morbi, aetatem repuerascentem, subitam animi perturbationem et similia.

2. Per excessum: a) Insensibilitas.

2. ***Per excessum:***

a) *Insensibilitas,* cum quis nullis malis, sive propriis sive alienis, ullo modo tangitur; id enim neque humanae naturae, neque vitae sociali est consentaneum, sed sapit brutam stoliditatem et inhumanam duritiem; at *ex se* non excedit, si peccatum est, peccatum veniale, nisi forte *accedat* gravis officii (erga proximum praecipue) laesio.

---

[1]) Cfr. Staller II. tr. 4. §. 21.

b) *Patientia falsa,* si quis ex fine malo adversa patienter fert, uti e. g. amasius, fur etc. — sunt martyres diaboli. b) Patientia falsa.

c) *Patientia mere naturalis,* i. e. si quis ex motivo mere naturali patiens est in adversis; uti e. g. qui propter sanitatem corporis patienter sustinet dolores morbi aut operationis. c) Patientia mere naturalis.

Contra perseverantiam et constantiam, per *modum excessus* est *pertinacia,* qua aliquis in proposito permanet contra rationem, quum ex circumstantiis ratio dictet, desistendum esse; est peccatum veniale aut mortale pro materia subjecta, ut si quis pertinaciter persistere vult in re, quam cognoverit esse malam; — *per modum defectus* habetur *inconstantia,* qua sine ratione sufficienti mutatur propositum. Quod nisi agatur de re praecepta, ex se peccatum non est; potest tamen peccatum esse ex motivo peccaminoso (plerumque venialiter tantum malo).[1])

§. 33. Mansuetudo et peccata opposita.

I. ***Mansuetudo:*** *est virtus moderatrix irae juxta praescriptum rectae rationis.* Est pars potentialis temperantiae. Proxima materia hujus virtutis est ergo passio irae, cui modum praescribit, ut homo irascatur, quando, cui, quam ob causam, quantum, quomodo oportet, et ut, si non oportet irasci, ira comprimatur omnino. Mansuetudo igitur non omnem indignationem excludit, sed solummodo justam irae refrenationem exigit. Nam ira proprie ille stimulus est, a Deo homini inditus, quo vim suam et energiam intendit, ut ea, quae sibi contraria sunt, repellat. Est per se indifferens; sed in concreto motus irae vel bonus vel malus existit. *Bona* scilicet redditur ira, si quis ex causa justa et recto moderamine irascitur. „Qui non zelat, non amat," ait s. Augustinus; et Psalmista dicit: „Irascimini, et nolite peccare!"[2]) Hinc et Deus ipse peccatis irasci dicitur. — *Mala* vero erit ira, ubi quis vel citra rationem, vel contra rationem excandescit, i. e. dum vel justa causa irascendi non occurrit, vel si, excusso rationis imperio, ira caeco impetu in homine desaevit, vel si omnino delinquitur in utroque. I. Mansuetudo. Objectum materiale.

Hinc mansuetudo moderans iram postulat potissimum:

a) Ut adsit justa causa zelandi, seu indignationem suam manifestandi;
b) ne, ubi rationes irascendi adsunt, plus irascamur, quam oportet;
c) ut ira non praevaleat, sed bene subdita sit rationi;
d) ut non in personas, sed in peccata et vitia dirigatur.

Ceterum quale cor hominis, talis quoque erit ejusdem ira; propterea multi, qui de regno Dei et justitia ejus parum solliciti, et nonnisi terrenis intenti sunt, tepescunt, ubi irascendum foret, et vicissim irascuntur, ubi animum sedatum tenere oporteret.

---

[1]) Cfr. Billuart tom. 13. Müller II. §. 161. et 162. Lehmkuhl I. n. 709.—713. Stapf II. §. 207. Staller II. tr. 4. §. 21. [2]) De officiis L. II. cap. 7. n. 29.

Necessitas mansuetudinis.

Necessitas et praestantia mansuetudinis tum ipsi rationi innotescit, turpitudinem vitii irae attente consideranti; tum claris s. Scripturae et s.s. Patrum verbis exprimitur. Imprimis vero sacerdotes mansuetudini studeant oportet; tum quia Christi personam repraesentant, ergo ipsius cordi mitissimo cor suum conformare tenentur; tum quia mansuetudine facilius homines allicient ad doctrinam veritatis amplectendam et ad justitiam sectandam, ut s. Ambrosius advertit;[1]) tum denique, quia Jesus Christus non lupis, sed ovibus auxilium suum promisit, ut perbene s. Chrysostomus observat.[2])

II. Peccata opposita.

II. ***Peccata opposita*** sunt sequentia:

1. Per defectum: ignavia.

1. ***Per defectum;*** *ignavia seu nimia indulgentia* in vitiis corripiendis et compescendis. Est vel grave vel leve peccatum, prout vel grave vel leve damnum inde sequitur.

2. Per excessum: ira.

2. ***Per excessum;*** *ira*, quatenus est inordinata excandescentia animi, et quidem inordinata vel ratione causae, vel ratione modi, vel utrinque, uti communiter accidit, praesertim in hominibus indolis vehementioris.

Habitus irae *iracundia* dicitur. Haec ex genere suo venialis est, quod si autem crescat ad inordinatum studium vindictae, ex genere suo mortale peccatum est.

Unde in imputatione irae potissimum attendendum est: ad studium vindictae forsan adjunctum; ad dicta vel facta in motu irae; ad reliquorum officiorum laesiones; ad scandalum inde forsan secutum; et ad causas forsan excusantes.

Quod consuetudo iracundiae non minuat culpam, sed potius augeat, si quis voluntarie consuetudinem fovet, per se patet.

Ira simul vitium capitale est, et qua tale sequentes filias habet:

α) *Indignationem*, quae est commotio animi contra alium, a quo quis reputat se indigne tractari; est per se veniale; et si ex justo rationis judicio procedat, nullum peccatum;

β) *tumorem mentis*, i. e. motus animi vindictae vias excogitantis; est pro qualitate vindictae vel grave vel leve peccatum;

γ) *clamorem*, quo multa inordinate effunduntur; est per se veniale;

δ) *blasphemiam*, de qua jam alio loco diximus;

ε) *contumeliam*, de qua infra disseremus;

ζ) *maledictionem*, quae tunc est grave peccatum, quando grave malum cum plena deliberatione proximo optatur.

Clementia.

Virtus mansuetudini similis et affinis est ***clementia,*** i. e. virtus, quae inclinat ad mitigandam et diminuendam justam vindictam (punitionem), in quantum recta ratio non obstat. — Licet ergo et clementia et mansuetudo circa externam vindictam versetur, tamen id diverso fit modo. Mansuetudo circa eam versatur, ne homo obtemperet irae, ac proin pro proxima materia *iram* habet, pro remota vindictam; clementia circa moderationem externae vindictae versatur, quia consentaneum et decorum est homini in potestate

---

[1]) De officiis Lib. II. 7. cap. n. 29. [2]) Homil. 34. in Matthaeum.

constituto, infra meritum punire, proin versatur circa *externam vindictam* ut materiam proximam.

Clementia supponit conditionem *Superioris* atque potestatem juste infligendi vindictam; mansuetudo latius patet ad quemlibet hominem.

Clementiae opponitur per excessum nimia lenitas, quae inconsulte poenam mitigat vel remittit contra bonum sive delinquentis sive publicum; et *per defectum: crudelitas,* quae excedit in poena, ex animi asperitate compati nescientis, poenam ultra justum modum exaggerans. Quare crudelitas sic accepta supponit in homine potestatem puniendi, sive legitimam sive usurpatam; supponit etiam causam, quae poenam mereatur. Peccata opposita.

Quodsi potestas non est puniendi, ut in homine privato, neque causa poena digna, eos, qui alios nihilominus suppliciis afficiunt, potius *feros*, eorumque vitium feritatem vel *ferocitatem* dixeris, quam crudelitatem, licet communis usus etiam crudelitatis vocem adhibeat.

Distinguitur ergo crudelitas prorsus a *severitate*, quae est inflexibilis animi rigor, nihil de promerita vel statuta poena remittens.[1])

Articulus II.

Officia specialia erga nosmetipsos.

Praenotanda.

Homo ad semetipsum, ad personam suam attendens, facile observat, esse quaedam *generatim* necessaria, ut omnem suam dignitatem undequaque servet ac tueatur, eaque reliquis omnibus, quae sibi debet, officiorum muneribus, quasi fundamento esse. Hujus generis sunt officia in priori articulo pertractata. — Quodsi vero homo omnem personae suae conditionem propius et attentius inspiciat, tria potissimum sunt, quae ejus semet obtutui offerunt et respectu sui omnem ejus et sentiendi et agendi modum *specialiter* definiunt. Tum *animi scilicet sui*, tum *vitae corporisque*, tum *status quoque externi* rationem habere, et curam, supremo fini consentaneam, gerere opus est.

Hinc etiam *triplicem specialium erga semetipsum officiorum classem distinguere licet*, quae in hoc secundo articulo exponemus.

A. Officia specialia erga animum.

Praenotanda.

Justus sui amor est constans et efficax conatus salutem suam juxta dictamina rationis per revelationem illustratae provehendi. Quare, ut quis semetipsum diligat, requiritur, ut sibimetipsi bonum

---

[1]) Cfr. Billuart tom. 13. Müller II. §. 173. et 174. Lehmkuhl I. n. 718.—721. Stapf II. §. 208.

velit, proxime quidem ut suam ipsiusmet salutem assequatur, simul vero ut aliis eo magis prodesse queat, et ultimo ut divinam adimpleat voluntatem. Jam inter bona primo et supremo loco occurrunt *bona animi,* quae vel *supernaturalia,* vel *naturalia* sunt.

§. 34. Officia circa bona supernaturalia animi.

Cura boni spiritualis.

Primam maximamque curam saluti animae esse impendendam, jam ex natura rei apparet. Hinc quilibet tenetur praeprimis *bona supernaturalia,* gratias et virtutes, prae ceteris bonis sibi velle, necnon ad eadem acquirenda, custodienda augendaque vires suas intendere.

Qui tenetur vero ad finem, tenetur quoque ad media, ita ut quoad *media necessaria* veri nominis obligatio, quantum ad illa vero, quae non quidem necessaria, attamen vere *proficua* videntur, consilium de bono meliori resultet. Atque ex hoc ipso principio in regno gratiae ingens tam officiorum quam consiliorum campus aperitur. Brevitatis gratia pauca tantum illorum delineare juvat; tum ne hucusque dicta repetere cogamur, tum quia uberiorem expositionem ad ascesim transferimus.

Media necessaria. 1. Fides.

1. Cum nulla detur salus, nisi per divinum Mediatorem Jesum Christum, huic omnes firma et indubitata *fide* adstipulari debemus; atque exinde officium fidei non tantum per infinitam Dei revelantis auctoritatem, sed etiam per amorem nobismet debitum vehementer urgetur. Quicunque veram religionem culpabiliter ignorare pergunt, vel omnino praeposteris affectibus abrepti cognitae veritati refragantur, praeter alios titulos etiam pietatem evertunt, quam sibimetipsis debent. — Unde gravissime contra hoc officium caritatis peccant, qui culpabili negligentia ea addiscere non curant, quae necessaria sunt necessitate medii ad salutem; vel qui culpabili negligentia ea addiscere et retinere non curant, quae ad instituendum hominem in iis requiruntur, quae ad christianam vitam digne ducendam sunt necessaria. — Similiter ille peccat, qui adeo cupit bona exteriora et corporalia, ut negligat vel penitus contemnat spiritualia.

2. Gratia sanctificans.

2. At fides nonnisi theoretica nequaquam sufficit, sed eandem vivam et efficacem esse oportet. Hinc justus erga nosmetipsos amor prae reliquis efflagitat, ut nos in statu *gratiae sanctificantis* omni modo conservare, aut fors amissam quam primum recuperare studeamus. Quo ex principio sua quasi sponte sequens regula emanat: Quivis talem vivendi rationem teneat, ut prudenter sperare possit, se in statu gratiae sanctificantis persistiturum esse. Praesertim *innocentia* et *gratia baptismalis* summa cum sollicitudine servari atque muniri debet, ut per totam vitam illibata maneat. — Hinc graviter peccat contra caritatem sui, qui probabili periculo graviter peccandi se temere exponit; item, qui post lapsum in peccatum mortale poenitentiam *diu* seu per notabile tempus differt (quale autem sit hoc notabile tempus, valde Doctores discrepant)[1]);

---

[1]) H. A. tr. 16. n. 10. Theol. Mor. L. VI. n. 437.

cum se exponat periculo proximo novarum culparum, tentationibus succumbendo; et qui generatim salutem suam spiritualem negligit.

3. Ast nihil possumus absque *gratia divina*. Quare ipse iterum, quem nobis debemus, amor expetit, ut fontes illos pie frequentemus, ex quibus gratiae divinae tam largiter scaturiunt, scilicet instituta divinitus Sacramenta, Poenitentiae praesertim et Eucharistiae, ac Sacrificium novae legis. Huc quoque ea omnia referri debent, quae suo loco de oratione, de cultu Sanctorum, et generatim de exercitiis pietatis diximus. 3. Gratia actualis.

Attamen augmentum vitae spiritualis seu sanctificantis gratiae et meriti per actus sive supererogatorios, sive non graviter praeceptos negligere, in se et per se grave peccatum non est. Verum qui sollicite se amat, motivum urgentissimum habet pro facultate sua continenter incumbendi in virtutes meritaque augenda, siquidem de ingenti bono agitur. Tum tandem neglectus meriti etiam non praecepti grave peccatum esset, si *ex vero contemptu* supernaturalis meriti procederet. At non inde *consuevit* oriri, sed potius ex tepore quodam et fuga laborum.

His suppositis jam potissimas *bonorum naturalium* species perlustrabimus; *potissimas*, inquam; nam singula quaeque bona percenseri nimis longum foret. Cumque eadem de omnibus principia obtineant, difficile non erit ea, quae de praecipuis bonorum generibus adstruimus, ad subjectas species applicare.[1])

§. 35. Officia circa facultatem cognoscendi.

I. ***Cura facultatis cognoscendi generatim:*** Cura principalis impendenda est culturae *facultatis intellectivae*, utpote illius praesertim, quae *rationalis* dicitur. I. Cura facultatis cognoscendi generatim.

Gravitas et necessitas hujus officii, seu culturae intellectus ex obvia meditatione patet; illam siquidem exigit: Momentum hujus officii.

1. Nobilitas vis intellectivae seu rationis a Deo nobis concessae. Illa enim est, qua supra irrationabilia in immensum extollimur; illa spirituum coelestium socios nos efficit; ex illa denique praecipue resplendet imago Dei, ad quam homo creatus est.

2. Nexus causalis, qui inter intellectum et vitam moralem intercedit; intellectus enim voluntati recte praeferre facem dicitur.

3. Praeceptum s. Scripturae Deum cognoscendi et glorificandi; quomodo id poterimus, nisi intellectum aptum reddamus ad cognoscenda opera et mirabilia Dei?

4. Officium alios instruendi et aedificandi; qua ratione enim quis proximo suo lux esse potest et dux, nisi lumen, quod in se est, diligenter nutriat? Unde potissimum sacerdotes et animarum pastores studiis, quae ad munus suum pertinent, incumbere tenentur.

Quod jam ipsum negotium efformandi intellectum attinet, duplex officium resultat, scilicet: Modus intellectum efformandi:

---

[1]) Cfr. Stapf II. §. 269. et 270. Lehmkuhl I. n. 583.—585.

a) negative;

a) *negativum*, vi cujus omnia cavenda sunt, quae nobilissimam hanc facultatem corrumpere, obtundere, rectum ejus usum impedire et pervertere queant, quo spectant praesertim peccata ebriositatis, luxuriae etc.;

b) positive.

b) *positivum*, vi cujus ea omnia agere diligenterque adhibere tenemur, quibus ingenium sub ratione tum formali, tum materiali rite excolatur et perficiatur; ut scilicet ex una parte continuo vis intellectivae exercitio eandem acuere et usque perficere satagemus; et ex altera parte, ut utilium scientiarum thesaurum congeramus.

Dotes hujus culturae.

Ut vero cultura rationis debite instituatur, opus est, ut fiat:

a) *Cum debita intensione,* et non oscitanter et remisse. Hunc in finem plurimum confert ardens constansque discendi cupiditas et invictus amor veritatis.

b) *Cum recta intentione,* scilicet non ex cupidine celebritatis literariae, neque ex solius cognitionis affectu, sed ut propria et aliena salus inde promoveatur, ac Deus glorificetur.

c) *Justa cum moderatione et recta studiorum aestimatione* (confer dicta de studiositate §. 30.).

Attamen ratio non solum *theoretice* seu in ordine ad scientiam colenda et perficienda est, sed etiam *practice* in ordine ad actionem, i. e. in ordine ad virtutem. Sub hoc respectu ratio perficitur *virtute prudentiae,* quae est prima inter cardinales.

II. Prudentia.
1. Notio prudentiae.

II. ***Prudentia*** dicta est a *„porro videndo“*, „quia prudens,“ inquit s. Isidorus, „dicitur quasi porro videns, perspicax est enim et incertorum praevidet casus.“[1])

Hinc prudentia a s. Thoma post Aristotelem definitur:

„Recta ratio agibilium“.[2]) Agibilia autem sunt omnia opera virtutum. Est ergo prudentia virtus intellectus practici, monstrans in quovis casu particulari, quid sit agendum, ut opus quoad omnes suas circumstantias sit honestum.

Ad bene agendum enim non sufficit, ut homo bonum agat, sed etiam requiritur, ut bonum bene agat; prudentia autem id intendit, ut bonum bene ac secundum rationem boni agatur.

Prudentia ergo est virtus *intellectualis* et *moralis; ratione objecti est moralis; ratione subjecti est intellectualis,* quia subjectum prudentiae intellectus est, ejus objectum vero sunt actiones quae procedunt a voluntate. Et quidem objectum prudentiae non est tantum aliqua res singularis, sed illa versatur circa actiones omnes et singulas tamquam suum objectum; ideo prudentia non est virtus per se, sed magis directrix et „auriga omnium virtutum“ reliquarum; per illam enim singulae actiones nostrae ita diriguntur, ut regulis honestatis, recti ordinis atque decori quantum ad omnes circumstantias, seu quantum ad locum, tempus et modum ex asse conveniant. Unde s. Basilius dicit: „Quare in omni, quae suscipitur, actione antecedere prudentia debet. Nam hac sublata nihil cujusvis generis est, quod, licet bonum videatur, non in vitium

---

[1]) Lib. X. Etymol. [2]) 2. 2. q. 47. a. 2.

recidat, si aut alieno tempore, aut non adhibita moderatione fiat."[1])

2. *Functiones prudentiae seu actus sunt* sequentes: 2. Functiones prudentiae:

a) *Bene consultare;* prudentia etenim diligenter consultat seu quaerit, quae media, quae circumstantiae sint necessariae, ut opus fiat honeste et virtuose. a) Bene consultare.

b) *Recte judicare;* i. e. post diligentem deliberationem, firmiter concludit ac pronuntiat, quae media inter quaesita et inventa sint bona et convenientia. b) Recte judicare.

c) *Bene exequi;* i. e. prudentia *efficaciter imperat,* movendo scilicet virtutes morales ad executionem eorum, quae diligenter deliberata, et firmiter judicata sunt. c) Bene exequi.

3. *Partes prudentiae,* et quidem *integrantes seu dotes* sunt: memoria, intelligentia, providentia, solertia, docilitas, ratio, circumspectio et cautio. — *Partes subjectivae,* i. e. species prudentiae sunt: prudentia *personalis* seu *monastica,* per quam homo seipsum regit; prudentia *gubernatrix,* per quam quis alios recte dirigit; et haec est vel *domestica,* vel *civilis,* vel *pastoralis,* vel *militaris* etc. — *Partes potentiales* prudentiae sunt: *eubulia,* i. e. habitus recte consultandi; *synesis,* i. e. habitus recte judicandi de consultatis; *gnome,* i. e. habitus recte judicandi, cum opus est, ex altioribus principiis, praeter communes agendorum regulas, juxta mentem tamen legislatoris. His prudentia *naturalis* constituitur; ut fiat *supernaturalis,* lumen fidei et singulare Spiritus Sancti lumen, scilicet „*Donum consilii*" accedat, oportet. Haec ultima in omnibus sequitur ductum Evangelii et exemplum divini Salvatoris; hinc etiam „prudentia evangelica", „prudentia filiorum Dei" vocatur. 3. Partes prudentiae. Partes subjectivae. Partes potentiales.

4. ***Peccata opposita prudentiae*** sunt: 4. Peccata prudentiae opposita:

a) ***Per defectum:*** *Imprudentia,* sub quo nomine communiter veniunt: *praecipitatio,* qua quis opus aliquod absque sufficienti deliberatione aggreditur; *inconsideratio,* qua sine debita attentione de mediis fertur judicium; *inconstantia mentis,* i. e. sententiae mutatio, ob nullam aut levem causam, *negligentia,* seu omissio diligentiae requisitae, ad urgendam executionem rei deliberatae.[2]) a) Per defectum: imprudentia.

Si quaeritur de qualitate peccati imprudentiae, distinguendum est; imprudentia etenim potest sumi tripliciter:

α) *Negative,* pro sola carentia prudentiae; et sic potest esse sine peccato, ut patet in pueris;

β) *privative,* pro carentia prudentiae debitae: et hoc modo est peccatum generale, quod reperitur in omni culpa theologica, sicut prudentia reperitur in quolibet actu virtutis;

γ) *contrarie,* quando spernuntur positive et repudiantur consilia prudentiae; et hoc modo imprudentia est speciale peccatum, et quidem mortale, si sit gravis contemptus divinarum regularum; secus erit veniale.

---

[1]) In const. monast. c. 15. [2]) S. Thom. 2. 2. q. 53. et 54.

b) Per excessum.

α) Prudentia carnis.

*b) **Per excessum:***

α) *Prudentia carnis,* quae est diligens excogitatio mediorum ad implendos instinctus naturae corruptae. Dicitur etiam *prudentia saeculi,* et est triplex: *terrena,* quae bona exteriora, seu divitias prosequitur ut ultimum finem; *animalis,* quae bonum corporis, seu delectationes sensuum unice consectatur; *diabolica,* quae ponit finem suum in propria excellentia, ad imitationem diaboli. Haec sunt per se mortalia, juxta illud Apostoli: „Prudentia carnis mors est."[1]) At non damnatur moderata circa bona temporalia sollicitudo, sed illa, quae nimia aut superflua est, et inquietat animum, quia importat diffidentiam in Dei providentiam, et est grave vel leve peccatum juxta materiae gravitatem.[2])

β) Astutia.

β) *Astutia* (seu calliditas, aut versutia) quae est notitia et usus pravorum mediorum ad fallendum, cum intentione assequendi intentum, sive bonum sive malum. Proprie tamen astutia in malo sensu accipitur. Astutiae executio, si fiat praecipue verbis, vocatur *dolus,* si factis, *fraus* nuncupatur, uti e. g. cum mensura minor est justo.[3])

§. 36. Officia circa reliquas animi facultates.

Praeter facultatem cognoscendi, reliquae quoque animi facultates, scilicet *imaginatio* et *phantasia,* necnon *facultas sentiendi* et *appetendi,* omni cura excolendae sunt.

I. Imaginatio et phantasia.
1. Imaginatio.

*I. **Imaginatio et phantasia:*** 1. *Imaginatio est facultas* empirica, rerum sensibilium notiones vivis coloribus repraesentandi, easque diversimode ad invicem comparandi ac conjungendi.

2. Phantasia.

2. *Phantasia* in sensu peculiari, quo hic illam accipimus, est facultas rationalis, qua *ideam pulchri* tum in se, tum quatenus ab objectis externis quasi resplendet, percipimus. Hinc phantasia ad imaginationem eodem modo se habet, ac ratio ad empyricum intellectum.

Momentum hujus facultatis.

Imaginatio et phantasia rite excultae, et inter justos limites se continentes, insignis momenti sunt. Etenim earum ope

a) graves et sublimes nostrae religionis veritates vividissimis coloribus nobis exhibentur, et sensus saluberrimi inde excitantur, uti humilitatis, gratitudinis, timoris etc.

b) Tota rerum natura quasi speculum nobis proponitur, ex quo divini Numinis proprietates mire refulgent.

c) Per rectam phantasiae culturam salubri idearum associationi optime consulitur, quia per ipsam efficitur, ut quidquid honestati repugnat, ideam indignationis et horroris excitare, quae vero bona ac laudabilia sunt, animum ex repraesentatione bonorum inde succedentium, suavissime allicere soleant.

---

[1]) Rom. VIII. 6. [2]) S. Thom. 2. 2. q. 55. a. 1. [3]) Cfr. Bill. tom. 9. Müller II. §. 178. et 179. Lehmkuhl I. n. 690.—699. Marc I. n. 391.—399. Stapf II. §. 211. et 212. Staller II. tr. 4. §. 2.

d) Phantasia vivacior haud parum etiam confert, ut idea consummatae perfectionis et singularum virtutum in animo nostro efformetur, praesertim dum talis perfectionis exemplaria in gestis Sanctorum et in vita Jesu Christi actu exhibita conspicimus.

Attamen, quam magna est utilitas phantasiae bene excultae, tam luctuosa sunt damna, si haec facultas degenerat, quod fit, si passionibus deservit, praesertim si imaginibus lubricis et inhonestis turget; vel si artibus liberalibus ad commendandam impietatem et lasciviam abutitur; vel denique si justo plus praeponderat aliis facultatibus. Certe innumera sunt mala, quae exorbitante phantasia oriuntur, e. g. animi levitas, lascivia, tristitia, moeror, insania etc.

3. Adminicula culturae imaginationis et phantasiae.

3. Adminicula ad has facultates rite excolendas sunt potissimum sequentia:

a) Mens religioni sincere addicta, et recta cordis dispositio, consona principiis religionis.

b) Singularis cautio in librorum delectu, maxime in aetate juvenili. Praesertim „Libri romanenses" nocent, nec etiam „Auctores classici" his periculis vacant, ubi ab utriusque sexus juvenibus improvide leguntur.

c) Crebra multaque exercitatio ad acquirendum harum facultatum dominium, ut scilicet ceteris facultatibus, puta rationi et voluntati utiliter inserviant, et per hoc virtutem christianam promoveant. Ad coërcendam phantasiam vivaciorem multum conferunt labores et studia, praesertim, quae intellectum et memoriam magis exercent, e. g. studium Summae divi Thomae, vel studium mathematicum.

II. Facultas sentiendi.

II. ***Facultati sensitivae*** duplex cura adhibenda est, scilicet *disciplina moralis* et *cultura moralis.* Per *disciplinam moralem* sensiones rite coërcentur, ne a suo ordine aberrent, vel ut, si aberraverint, ad rectum ordinem revocentur. — *Cultura moralis* in eo versatur, ut quidquid est boni vel generosi, in utraque excolatur perficiaturque.

Cultura hujus facultatis.

Quoad culturam sensionum sequentes regulae tum generales, tum speciales observentur:

1. Regulae generales.

1. Regulae generales sunt:

a) Illae sensiones majorem culturam et vigilantiam exigunt, quae non remote tantum, sed proxime virtuti ancillantur, prouti sunt sensiones morales, e. g. sensus pudoris, pia humanitas, sensiones sympatheticae, pietas filialis etc.

b) Sensiones praeter voluntatis decretum in nobis ortas, conatu libero ita determinare adnitamur, ut non modo virtuti fiant innoxiae, sed eam usque magis promoveant.

c) Cavendum, ne sensionum fallaciis abripiamur, aut iis nimium fidamus, magisve sensione, quam ratione ducamur.

2. Regulae speciales.

2. Regulae speciales sunt:

a) *Sensiones, quae dicuntur animales,* non quidem directe destruere licet, attamen ita iisdem invigilare jubemur, ut nihil admit-

tatur, quod inhonestum vel inordinatum sit. Idipsum etiam de stimulorum et propensionum refrenatione obtinet.

b) *Sensiones aestheticae,* utpote quae ex percepta idea pulchri oriuntur, tum hominem insigniter ornant, tum mentem suaviter refocillant, tum denique, ubi in ordine continentur, ad excitandas sensiones sublimiores suapte indole sunt comparatae. Sed caveri oportet pericula, quae cum studio hunc sensum perpoliendi conjungi solent, uti nimia imaginationis effervescentia, tumor vanae gloriae, illiberalitas et invidia in aemulos ejusdem artis, neglectus religionis, abusus ingenii ad effingendam lasciviam etc.

c) *Sensus moralis* ante omnia singulari studio fovendus est et excolendus, quia hic aliis affectibus domandis egregie inservit, virtutem faciliorem reddit, et ad studium ejusdem, necnon ad explenda officia nostra haud parum allicere solet. Ad excolendum hunc sensum plurimum conducit, si quendam enthusiasmum erga virtutem et Religionem, et contra vitia et perversas doctrinas in nobis excitemus foveamusque; item videndum, ne haec sensio nobilissima turbetur vel suffocetur per imposturam philautiae, vel fallacias sensualitatis.

Vitia opposita.

Vitia rectae sensionum culturae opposita haec sunt:

a) *Apathia,* seu animus hebes et plane indifferens circa moralia ac religiosa, et circa aliorum sortem atque aerumnas. Quo pejor fons talis apathiae, eo gravior erit culpa.

b) *Antipathia voluntaria,* qua quis de aliorum prosperitate tristatur, et vicissim de eorum malo gaudet.

c) *Nimia sensionum mollities et irritabilitas,* quae plurima incommoda, et quandoque apertum officiorum neglectum inducit.

d) *Sympathia mere affectata, vel tamen sterilis,* qua quis Deum et proximum nonnisi verbis et lingua diligit.[1])

Praeterea *sensiones intellectuales,* in vesanam quidvis sciendi libidinem; *morales,* in scrupulosas anxietates; *sympatheticae,* in amorem carnalem; et *religiosae,* in spurium mysticismum degenerare possunt.

III. Facultas appetendi.

III. ***Facultas appetendi***, praeprimis *superior* excolenda est. Ad tria autem refertur studium perficiendi voluntatem; studendum scilicet est:

a) *Integritati voluntatis moralis,* vi cujus homo a quocunque vitio sese expedire, et in quocunque bono justus esse conatur;

b) *firmitati voluntatis,* qua integritatis suae perseverentiam et constantiam servat;

c) *puritati voluntatis,* qua bona etiam ex recta intentione perficit.

Appetendi facultas inferior superiori, seu sensualis appetitus, imperio rationis et voluntatis subjiciatur; quod fit potissimum per abnegationem christianam; haec enim ex una parte affectus, appetitiones, inclinationes ad res vetitas et inhonestas omnino compri-

---

[1]) Cfr. I. Joann. III. 17., 18. Jac. II. 15.

mit; ex altera parte reliquos affectus et appetitus moderatur et cohibet, ne per ipsos mentis aequilibrium et sanum rationis consilium turbetur.

Ad domationem et emendationem appetitus sensualis vero diversa stratagemata sunt adhibenda; nam bellum istud nunc aperta vi, nunc arte et dexteritate gerere oportet. Quorsum pertinet:

a) *Ut primitivas propensiones et affectiones,* et praesertim ceteris *dominantem,* omni conatu subjicere, temperare et reprimere adnitamur.

b) *Ut affectui vehementiori* aut noxio alium innocuum aut bonum substituamus; ita, ut irritamenta vitiorum in virtutis adjumenta convertantur. Sic e. g. affectus religiosi ex repraesentatione divinarum rerum eliciti, motibus sensualibus fructuose opponuntur.

c) *Ut desideria affectusque sensuales* in alia objecta, virtuti amica, transferamus, et hac ratione affectus honestos pro periculosis vel noxiis excitemus. Sic e. g. nimius opum vel gaudiorum affectus transferri potest in Deum ac thesauros coelestes; nimius affectus tristitiae converti potest in sensum poenitentiae, tum adversitates in satisfactionem peccatorum patienter perferre intendimus; nimius affectus irae et indignationis erga proximum, transferri potest in peccata propria.[1])

B. Officia specialia erga vitam et corpus proprium.

Praenotanda.

Ex una parte *summi momenti est vita terrestris,* necnon *magna dignitas corporis humani;* praesens vita enim est tempus praeambulum, ex quo sors imminentis aeternitatis pendet: et corpus nostrum non solum habitaculum et officinam animi constituit, sed est etiam *pars nostri*, *membrum Christi* et *templum Spiritus Sancti;* et insuper *ad futuram resurrectionem destinatum.* Ex altera parte *dominium directum in vitam nostram et corpus nostrum soli competit Deo;* et homo ratione utriusque aliud dominium non habet, nisi *utile* seu *indirectum,* uti ex multis s. Scripturae locis sat clare apparet. *Hinc grave resultat officium, vitam, integritatem* ac *sanitatem corporis servandi, sanitatem laesam recuperandi,* necnon *omnia vitia, tam gravi officio opposita, sedulo vitandi.* De quibus omnibus jam in specie agendum venit.

§. 37. Cura vitae et corporis.

Uti ex iis apparet, quae Theologi de objecto caritatis communiter disputant, etiam corpus nostrum objectum est, quod non naturali tantum, sed etiam supernaturali amore, imo divina caritate diligere possumus et debemus. Unde etiam specialia erga vitam et corpus nostrum officia resultant, et quidem sequentia:

---

[1]) Cfr. Stapf II. §. 213.—215. item Ascetas.

1. Officium vitam servandi et tuendi:

1. Gravissimum officium est, vitam propriam aestimandi, et continuo studendi, eandem, quoad Deo placuerit, servandi et tuendi. Hoc officium exposcit:

a) positive;

a) Sub ratione positiva ut adhibeamus et faciamus ea omnia, quae ad vitam tuendam protrahendamque necessaria videntur; salvis tamen officiis altioribus, quae conservationem vitae vel vetare, vel dissuadere possent.

b) negative.

b) Sub ratione negativa, ut ea omnia omittamus vitemusque, quae mortem arcessere ac vitam breviorem reddere queant, salvis tamen iterum officiis altioribus.

Est tamen hoc officium, vitam *positive* conservandi nonnisi *hypotheticum,* et idcirco cessat, quoties cum officio altiori colliditur; cum enim vita nostra maxime ordinetur ad virtutem et officiorum executionem, liquet, illam fini suo subordinandam, et proin, quoties finis postulat, offerendam et periculis exponendam esse. Id potissimum valet:

a) Si vita servari non possit, nisi per religionis abnegationem, aut per officii negativi violationem; e. g. per pejerationem, contemptum Dei etc.

b) Si officium nobilius vitae oblationem secundum collisionis regulas exigat; quod tunc praesertim valet, ubi *salus publica* petit, ut nos periculo exponamus; vel ubi *officia status nostri* vitam in discrimen adducunt; prout e. g. in munere pastorali, in conditione militari etc. occurrit.

Porro licitum est etiam, *ex justa causa* aliquid facere vel omittere, ex quo praeter intentionem mors, vel abbreviatio vitae sequatur; id enim, licet non postulet, permittit tamen interdum ordo caritatis. Hinc in casibus particularibus semper distinguendum est, quid stricte peccatum, et quid perfectius, seu de bono meliori videatur.

2. Officium corpus, membra etc. conservandi.

2. *Sicut vitam, ita et corpus, membra et vires ejus ita illaesa et firma conservare tenemur, ut omnia et singula fini et usui, ad quem natura sua destinantur, quam maxime apta sint, et perdurent.*

Nam si obligamur conservare vitam, tenemur etiam laesiones et morbos arcere, ejusque sospitatem et integritatem omni meliori modo tueri, quia morbi sunt praenuntii mortis. Ad id eo magis tenemur, quia integritas et sana dispositio corporis maximam vim habet, tum in ipsum animum, tum in activitatem nostram externam.

Ut vero officium hoc rite adimplere possimus, denuo justa cognitio nostri ipsorum requiritur, ut nempe compertum habeamus, quae nobis pro singulari corporis dispositione, tum etiam ratione climatis, aëris etc. salubria, quaeve nociva sint. Porro requiritur prudens cautio eorum, quae sanitati noxia et periculosa sunt, et moderata adhibitio eorum, quae sanitati conducunt. — Sed reprobanda est illa anxietas, qua homines delicatuli et meticulosi sanitati suae inordinate timent, vel omnino se infirmos imaginantur. Tales non raro gravissimis suis officiis desunt, hac ipsa anxietate sanitatem pessumdant, ex eaque halitum contagiosum facilius contrahunt.

Subsidium denique praestantissimum sanitatis servandae est *moderatio affectuum et passionum*, e. g. irae, invidiae, avaritiae, intemperantiae et luxuriae. — Insuper notandum, quod praesertim etiam *mundities* ad conservandam sanitatem maxime conducit; illa non solum morbos arcet, aliisque nos apprime commendat, sed cum ipsa morum integritate cohaerere, et puritatis internae indicium esse consuevit. — Etiam *exercitia gymnastica* pro conservanda et corroboranda valetudine, si prudenter adhibeantur, non sunt spernenda.

3. Officium sanitatem laesam recuperandi.

3. *Grave officium est, corpori, per morbos afflicto et periclitanti medelam, curamque adhibere.*

Et quidem sub hoc respectu duplex hominis aegroti officium existit, aliud ad *sanitatem corporalem,* alterum ad *sanitatem spiritualem* pertinet.

a) Quoad sanitatem corporalem.

a) *Quoad sanitatem corporalem*, morbo depellendo operam impendere necesse est. Si malum remediis vulgaribus sanari nequit, ex arte medicorum autem optatus effectus sperari potest, absque dubio officium est, ut tempestive peritus medicus adhibeatur, cui statum morbi candide fateri, ejusque praescriptis exactum morem gerere decet. Sacrae Literae id disserte jubent, simulque tamen ad orationem, ad humilitatem, et ad fiduciam praeprimis in Deo collocandam hortantur.

Huic officio desunt, qui, licet malo ingravescente, moram trahunt, vel neglecto medico legitimo, homines imperitos consultant; vel demum, qui vocato medico, ea, quae illum scire necesse est, prae inepta verecundia reticent, aut medicinas et regulas diaeteticas ab illo praescriptas non observant. Tales etiam medico nocere possunt, quando infelix eventus ipsius fors imperitiae tribuitur.

Attamen *per se* juxta sententiam sat communem Theologorum, aegrotus non tenetur servare vitam suam, vel depellere morbum *remediis extraordinariis,* quaeque maximum dolorem afferunt, vel quae vel ipsimet, vel aliis molestias prorsus insolitas et nimis graves facessunt. Non datur enim obligatio servandae vitae, nisi *mediis ordinariis,* quae magna non adducunt incommoda, nec nimios sumptus pro varia personarum conditione exposcunt, neque dolores valde vehementes causant.

Unde e. g. non teneris vitae servandae causa, pati amputationem cruris sive brachii, aut incisionem ventris ad extrahendum calculum. Ita etiam dicunt Lessius, Sanchez et alii, non teneri virginem aegrotantem manus chirurgi in verendis subire, ut suae infirmitati occurratur, licet ejus vita periclitetur; quia amor verecundiae aequare potest, aut etiam superare malum, quod morte pertimescitur; potest tamen id sinere; imo tenetur permittere, ut curetur ab alia femina, ut recte dicit Diana.

Per accidens tamen fieri potest, ut quis etiam *mediis extraordinariis* vitam conservare teneatur; tunc scil., si ejus

vita bono communi sit omnino conducens; seu si ex conservatione certi cujusdam salus etiam aliorum dependeret. Ita s. Alphons. et alii.

Unde ubi de *officio* admittendae amputationis notabilis membri, e. g. pedis, brachii; vel de operatione alia valde gravi, e. g. oculi, canceromatis etc. quaeritur, sequentia expendenda sunt:

α) Utrum talis amputatio vel operatio experitorum judicio, ad vitam conservandam, plane necessaria videatur;

β) an non amputatio vel operatio ipsa cum gravi periculo conjuncta sit, ita, ut mors forsitan acceleretur potius, quam arceatur;

γ) quae sit conditio infirmi; an sit persona valde utilis et aliis necessaria; quae sint ejusdem res familiares etc. — Res etiam saepe judicio et conscientiae subjectivae infirmantis relinquenda est.

b) Quoad sanitatem spiritualem.

b) Quoad sanitatem spiritualem curandum est, ut morbus corporis ad bonum spirituale, seu ad moralem perfectionem, i. e. tum ad propriam perfectionem, tum ad aliorum aedificationem adhibeatur. Quorsum praesertim pertinent:

α) Exercitium earum virtutum, quae aegroto maxime conveniunt, ut sunt: poenitentia de peccatis; bona proposita pro futuro; patientia et mansuetudo in perferendis morbi incommodis; omnimoda in voluntatem divinam resignatio etc.

β) Vi morbi ingravescente, religio nostra urget, ut ad transitum in aeternitatem sollicite nos praeparemus. Hinc aegrotus res suas temporales et spirituales rite disponat, seque mature s.s. Sacramentis moribundorum reficiendum curet. Denique in mortis timore omnis tum animi dejectio, tum philosophica arrogantia longe absit.[1])

§. 38. Subsidia et adjumenta vitae et sanitatis.

Cum strictissimum officium sit, vitam sanitatemque omni meliori modo conservandi, hinc etiam subsidia et adjumenta ad hanc conservationem necessaria adhibere tenemur. Ad hanc potissimum tria conducunt, nempe: *victus, vestitus* et *congruens recreatio* seu relaxatio.

I. Victus.

I. ***Victus:*** Ad vitam viresque servandas natura animalis nutrimentis indiget. Atque ut hisce indigentiis eo certius provideretur, sapientissimus Conditor vehementem stimulum nobis congenitum voluit, per quem natura animalis tum ad percipienda nutrimenta impelli, tum ex eorundem perceptione suaviter recreari solet. Attamen hominis christiani est, ut hunc stimulum non solum ad legem temperantiae refrenet, sed etiam altiori fini obsequiosum reddat atque sanctificet. Unde sequentia officia oriuntur:

---

[1]) Cfr. Stapf II. §. 216.—219.

1. Nutrimenta ex honesto semper fine capiamus, necesse est; finis scil. sit vitae viriumque conservatio, atque inde corporis animique ad explenda officia et ad virtutem major aptitudo. Huic fini subjicienda est jucunda illa sensio, quae in assumendis alimentis percipitur. Licet quidem hanc voluptatem gustui annexam concomitanter admittere, vel etiam additis condimentis provocare, ita tamen, ut ipsa non sit finis principalis, sed nonnisi aptum remedium esto, quo fines ordinis altioris promoveantur. — Sententia contraria, uti jam alio loco diximus, ab Innocentio XI. damnata est. 1. Nutrimenta ex honesto fine sumenda sunt.

2. Huic fini respondeat, necesse est, etiam ***selectus nutrimentorum*** *quoad qualitatem et quantitatem;* quia, quid sanitati et indigentiis nostris, tum reliquis officiis, quibus tenemur, conveniat, ratio habenda est. Hinc vehementer sunt vituperandi, qui luxum, fastum, voluptatemque unice avideque venantur, et per crapulam et ebrietatem sanitatem potius pessumdant, quam conservant. 2. Selectus nutrimentorum quoad qualitatem et quantitatem.

3. Denique, ut perceptio nutrimentorum etiam ***sanctificetur****, ad piam intentionem et studium temperantiae,* ***oratio*** *quoque accedat oportet.* — Ipsi gentiles ad mensam diis suis gratiarum actiones et libamina deferre consueverant. Quid ergo dicendum, si qui, ut se reliquis cultiores ostendant, de oratione ante et post mensam erubescunt, gloriosum esse autumantes, quod more pecudum pabulo suo vescantur. Attamen haec omissio non excedit veniale, nisi fiat in contemptum Dei. 3. Perceptio nutrimentorum sanctificanda.

Nota: Quod de necessitate nutrimentorum diximus, valet etiam de *necessario somno*, cujus imprudens defraudatio prae omni inedia vires nostras extenuare solet. Econtrario qui somno nimium indulgent, corpore pariter et animo elanguescunt, et de ipsa morum integritate multum periclitantur, praesertim qui in multam diem stertunt, vel, quod pejus, semisopiti plumis inhaerent. Nota.

II. ***Vestitus:*** Prout plures alias corporis indigentias, ita divinus codex etiam necessitatem semet vestiendi ex natura per peccatum corrupta repetit. Quoad vestitus usum et abusum sequentia sunt notanda: II. Vestitus.

1. Finis principalis tegumentorum duplex est, moralis scil. et physicus. Prior honestatem respicit, ut nempe illae corporis partes tegantur, quarum aspectus sensum pudoris laedit, vel omnino ad libidinem incitat. *Posterior* sanitatem spectat, estque, ut corpus a pernicioso influxu aëris aliorumque casuum defendatur. 1. Finis vestimentorum.

Finis secundarius vestimentorum pariter duplex est, socialis et *aestheticus. Prior,* qui ex parte etiam moralitatem tangit, est distinctio hominum quoad sexum et conditionem externam seu statum. *Posterior* ad studium decentiae et pulchritudinis spectat, in quantum rectae rationi non repugnat.

2. *Usum vestimentorum* quod attinet, haec regula generalis valet: *Vestitus sit honestati, sanitati, sexui et statui cujusvis, atque legibus modestiae consentaneus.* — Hinc imprimis respiciendum est 2. Usus vestimentorum.

ad honestatem et pudorem, necnon *ad sanitatis conservationem;* hi duo fines principales inter se collidi non possunt, quia honesta tegumenta corporis sanitati certe nunquam obstant. Si tamen talis collisio obtendatur, res ipsa dictat, pudorem esse praeferendum.

Forma et compositio vestium sit talis, ut etiam sexus et status distinguantur. Inter certos limites (i. e. pudoris, justae parsimoniae etc.), in vestitu pulchritudinem quoque et ornatus corporis rationem habere *licet*, et saepe *oportet* etiam. Sic e. g. uxor esset reprehendenda, si maritum per vestitus incuriam ad indignationem et nauseam provocaret. Sed meminerint mulieres christianae, quid Apostolorum principes de ornatu mulierum gravissimis verbis praecipiant.

3. Abusus vestitus.

3. *Abusus vestitus* multifarius esse potest, prouti uni alterive ex recensitis finibus repugnat. Et quidem:

a) Contra finem moralem.

a) Fini morali repugnat *lascivia in vestitu,* seu quidquid lascivum, procax et ad excitandam libidinem comparatum est. Praesertim feminae peccant, dum se vel procaciter nudatasostendunt, vel ita se contegunt, ut intuentium oculos alliciant magis, quam arceant, propter scandalum vel directum vel indirectum. Porro gravissime conscientiam suam onerant, quae formas valde indecentes et libidinosas in alias regiones introducunt.

b) Contra finem physicum.

b) Fini physico repugnat vestitus sanitati noxam inferens; e. g. vestes nimis tenues et subtiles, vel corpus justo plus constringentes, vel quae sudore, sordibus, aut omnino aegrotorum exhalationibus sunt refertae.

c) Contra finem socialem.

c) Fini sociali praesertim repugnat *permutatio vestium* quoad sexum, quae, si causa libidinis fiat, est grave semper peccatum; secus si facta est ex levitate, joco, petulantia, nisi ratione scandali vel ob periculum libidinis ingravescat.

d) Contra finem aestheticum.

d) Fini aesthetico repugnat *per defectum* negligentia et immunditiesquoad vestitum; *per excessum* vero luxus inordinatus; qui est *vel veniale vel mortale* peccatum, prout fit vel ex vanitate tantum, vel conjunctus est cum scandalo gravi, vel officiorum graviorum laesione, vel grave damnum, vel grave periculum etc. affert.

III. Recreatio.

III. **Recreatio seu relaxatio:** Praeter reliqua vitae subsidia natura hominis inferior, imo et superior, virium remissione indiget, ne arcus nimium tensus frangatur, vel tamen languescat. Unde notandum:

1. Innocua gaudia sunt licita et utilia.

1. *Innocua oblectamenta studium virtutis adeo non evertunt, ut potius in illud salubriter influant,* dum illis, sicut decet, utimur. Hac ratione virtus ipsa commendatur, ejusque exercitium suavius redditur. Hinc errant plane, qui virtutem tetricam, amarulentam et cujusvis gaudii terrestris pertaesam existimant. „*Hilarem* datorem diligit Deus."

2. Selectus gaudiorum.

2. *Quoad selectum oblectamentorum, abstinendum est ab iis, quae vel per se, vel ratione temporis, loci aliarumque circumstantiarum honestati atque reliquis officiis repugnant,* juxta regulas eutrapeliae. Praesertim illae animi remissiones eligantur, quae unius-

cujusque statui, indigentiis et occupationi conveniunt, quibusque tum virium restauratio, tum ceteri fines facilius obtinentur.

3. Rectus usus gaudiorum.

3. Rectum gaudiorum ***usum*** *quod attinet*, imprimis finis eorum intrinsecus prae oculis habendus est, vi cujus ceu subsidia considerari debent, quibus ad fines altiores utamur. Hinc ipsa per bonam intentionem ad hos fines dirigere, et durante usu, animi libertatem servare oportet.

4. Vitium oppositum.

4. Vitium recto usui oblectamentorum oppositum, praecipue est nimia oblectationum et gaudiorum corporeorum cupiditas, uti jam alio loco, ubi de eutrapelia sermo occurrit, dictum est.[1])

§. 39. Peccata curae vitae et corporis opposita.

V. Decalogi praeceptum.

Officio conservandi vitam et corporis integritatem varia peccata opponuntur tum *per excessum*, tum *per defectum*.

I. Per excessum.

I. ***Per excessum*** huic officio opponitur *cura inordinata* seu *immoderata*, et *nimis anxia* quoad vitam et sanitatem; quae quidem immoderata esse potest, vel *ratione finis,* vel *ratione circumstantiarum,* vel etiam *ratione modi,* uti e. g. si quis justo plus medicinis utitur, vel potius abutitur.

Huc spectat etiam *nimia cura valetudinis*, sic dictus *pedantismus sanitatis causa*, qui saepissime maxime periculosus est, tum valetudini ipsius sic scrupulosi, tum quia exinde haud raro officia alia graviter obligantia laeduntur; unde etiam graviter peccaminosa fieri potest haec nimia anxietas, saltem objective, nam subjective hujusmodi miseri plerumque excusari debent a mortali. Ergo etiam in hac materia tenendum est vulgare axioma: „Omne nimium vertitur in vitium.“

II. Per defectum.

II. ***Per defectum*** huic officio opponitur crimen ***suicidii*** seu ***autochiriae***, et *suiipsius mutilationis*, quae et *autochiria partialis* dicitur.

Distinguitur *autochiria directa* et *indirecta*, prout est voluntaria in se, vel in causa tantum.

1. Autochiria directa.

1. ***Autochiria directa***, *seu ea*, *quae directe intenditur, absolute prohibita est, ita, ut nemini liceat unquam, semetipsum propria auctoritate directe occidere.* Id constat ex jure positivo divino, ex lege naturali et lege humana. Suicidium enim repugnat caritati erga seipsum, estque injuriosum tam Deo, qui solus est directus et absolutus dominus vitae humanae, quam societati, quae per hoc crimen uno ex suis membris privatur. Hinc etiam leges Ecclesiae vetant, ne suicidae, quibus autochiria tamquam culpa gravis imputanda venit, in loco sacro sepeliantur. Quod tamen non intelligendum est de iis, qui ex furore, insania, vel passione, gravissima tristitia, turbata phantasia se occiderunt, vel qui ante mortem vere de hoc doluerunt.[2])

Ex his colligitur, nunquam licitum esse, ponere cum intentione se occidendi actionem, ex qua mors, licet per accidens

---

[1]) Cfr. Stapf II. §. 222.—224. [2]) De mania autochiriae cfr. Linzer Quartalschrift 1877, pag. 486 sqq.

tantum, secutura sit; nam intendere mortem, etiam per accidens tantum secuturam, est semper velle rem vetitam directe, quod nunquam licet.

Sed notandum, quod supra dictum est: „*propria auctoritate*", autochiriam nunquam licere; etenim *divina auctoritate* seu *inspiratione,* certissime licita est. Ita non solum excusantur, sed et summis ab Ecclesia praeconiis celebrantur Virgines illae sanctae, quae tempore persecutionum se ipsas morti tradiderunt.

At non tantum autochiria directa totalis omnino prohibita est, sed etiam directa partialis, seu mutilatio suiipsius, sive propriis manibus, sive alienis fiat, nisi necessaria sit ad totius corporis conservationem. Sicut enim homo usum tantum corporis habet, non dominium, ita nec membrorum suorum dominus est. — Similiter non licet, directe et positive se exponere gravi vitae, vel mutilationis seu vulnerationis periculo *sine justa causa.*

Licita est vero mutilatio, si necessaria sit, uti dixi, ad conservationem totius corporis seu vitae, quia cum membrum aliquod sit pars totius corporis, est propter totum; unde disponendum est de eo, secundum quod expedit toto. Ita s. Thomas. Hinc e. g. licet probabilius, sibi abscindere manum catena ligatam, ad fugiendum incendium, aut ad vitandam mortem a bellua vel tyranno inferendam. Unde colliges:

a) Nunquam licet macerare corpus ad vitam abbreviandam; neque immoderatis et prorsus indiscretis poenitentiis, etiam secluso tali fine, valetudinem pessumdare.

b) Graviter peccant, qui venenum hauriunt, vel a vipera morderi patiuntur ad experiendum antidotum, nisi eis constet ex experimento vel judicio peritorum, nullo probabili periculo mortis se committere.

c) Graviter peccant funambuli, ludentes per funem in locis altis cum probabili vitae periculo. Item viri audaces, qui ex temeraria sponsione et vana gloria in varia discrimina se injiciunt, in altum ascendendo, deorsum se demittendo, onera gravia ferendo, cum periculo vitae natando etc. — Utrum vero peccent, qui ex causa per se licita *nimis fidenter* in occupationibus periculosis versantur, non ita facile definiri potest; usus, indoles, cautela etc. efficere possunt, ut pro ipsis nullum periculum sit, vel solummodo remotum.

d) Graviter peccant, qui se mutilant pro bono spirituali, et ad vitandum quodlibet peccatum, et signanter sub praetextu servandae castitatis; ratio est, quia peccatum non est corporis membris subjectum, sed voluntati; imo dicunt, per violentiam, qua nonnulli ex falso intellecto s. Scripturae loco (Matth. XIX. 12.) in semetipsos, se evirando, desaevierunt, cupiditatem non exstingui, sed potius augeri. Hinc etiam factum Originis semet castrantis, summam totius Ecclesiae indignationem movit.

e) Graviter etiam peccant, qui se mutilant, e. g. digitum amputando etc. ad officia quaedam a se amovenda, exinde non

corpus tantum, sed saepissime etiam justitia laeditur.[1]) — Graviter etiam peccant, qui se mutilant sive ob lucrum, e. g. ut plus eleemosynae accipiant, vel ex vanitate, uti Chineses.

2. Autochiria indirecta.

2. ***Autochiria indirecta:*** Haec committitur aliquid faciendo vel omittendo, ex quo praeter intentionem mors, vel mutilatio, vel vulneratio aliqua secutura sit.

Licitum est, ex ***justa*** *et proportionata* ***causa,*** *aliquid facere vel omittere, ex quo praeter intentionem mortis periculum, imo ipsa mors consequi potest.* Ratio est, quia praeceptum conservandi vitam, utpote affirmativum, non semper obligat, et aliunde *licitum est,* ob gravem rationem, ponere causam honestam vel saltem indifferentem, ex qua praeter bonum effectum sequitur effectus malus, dummodo intendatur finis honestus, et effectus malus per bonum compensetur. Patet ex dictis de voluntario indirecto. — Imo quandoque datur *obligatio* vitam sacrificandi, si nempe ordo caritatis aut justitia id exigit.

Justae causae permittendi mortem propriam.

Justae autem causae permittendi mortem propriam sunt sequentes:

a) Bonum commune.

a) Bonum commune. Sic miles potest, imo tenetur persistere in statione, etsi moraliter certus sit, se occidendum. Item potest et tenetur ad evertendum turrim hostilem aut perdendos hostes, pulverem incendere, etsi sciat, se obruendum; uti et navem mergere vel incendere, ne hostis ea potiatur cum gravi reipublicae detrimento. Similiter licet se subjicere telo vel ictui ad servandam vitam principis; curam habere morbo infectorum tempore pestis etc.

b) Exercitium virtutis.

b) Exercitium virtutis: Sic e. g.:

α) Pro fide et justitia.

α) Pro fide martyres Christi possunt non fugere, et voluntarie mortem subire. — *Pro justitia:* malefactor potest se sistere judici plectendum, vel in carcere remanere, etsi fugere possit; non tamen licet reo semetipsum occidere, etsi judex praeciperet; item non licet se martyrio offerre sine causa urgente, vel sine inspiratione speciali.

β) Pro poenitentia exercenda.

β) Pro poenitentia exercenda: licet carnem vigiliis et inedia moderate affligere, licet vita per multos annos imminuenda foret, modo poenitentiae non sint immoderatae; quia sic non tollitur vita, sed non producitur, ad prolongandam vero vitam *per se* nulla adest obligatio. Dicunt tamen, hujusmodi macerationes non sine consilio confessarii vel Superioris fieri oportere. Unde e. g. licitum est, imo laudabile, Carthusianis a carnibus abstinere etiam cum periculo vitae, ut probabilius dicunt, si tamen nullum alium cibum haberent, quam carnem, ea vesci tenentur.

γ) Pro caritate.

γ) Pro caritate: potest innocens viator permittere, ut ab injusto aggressore occidatur, ne iste sicarius moriatur in peccato. Item, in naufragio potest quis cedere tabulam nondum a se occupatam, imo etiam a se occupatam, modo id facere

---

[1]) Cfr. Codex. crim. Austr. §. 409. et 410.

valeat, quin se ipsum projiciat in mare, artis natandi nescius. Pariter potest quis se pro amico *injuste* ad mortem condemnato, offerre occidendum.

δ) Pro castitate.

δ) *Pro castitate servanda:* quamvis virgini non liceat ad castitatem servandam directe se occidere, licite tamen potest permittere, ut occidatur potius, quam violetur, ob amorem, qui castitati debetur, et ob periculum peccati, quod semper adest in tali occasione. Et hoc probabilius etiam licet, etsi mors certe secutura sit, nec adsit proximum consensus periculum, quia etiam sola corporis integritas maxime aestimatur. Imo licet probabiliter, saltem speculative loquendo, virgo non teneatur, permittere se occidi potius, quam violari, si absit periculum consensus, in praxi tamen id omnino suadendum est; saltem, ait Lacroix, non expedit contrarium publice proponere, propter abusus inde timendos, praesertim apud rudes.

c) Mors certior vitanda.

c) *Mors certior vitanda:* Sic fervente incendio, si non suppetat alia via, qua tam atrocem mortem evites, potes e fenestra desilire, cum aliqua spe te salvandi. Permittunt etiam reis in carcere detentis, cum evidenti vitae discrimine ex alto desilire, ad evadendam certam sententiam mortis, vel etiam carcerem perpetuum, dummodo mors exinde *non omnino certe* sit secutura.

d) Necessitas artis exercendae.

d) *Necessitas artis exercendae:* Unde non peccant artifices, qui super aedificiorum tecta ascendunt et variis sese periculis, ubi opus sit, exponunt; nec fabri ferrarii, qui quotidie ignem versando vitam sibi minuunt, quia ex causa rationabili id agunt.

Nota.

Nota quoad mortis desiderium: Desiderium efficax, qua mors quacunque ratione directe acceleratur, nunquam licitum est, uti ex hucusque dictis patet. Quantum ad desiderium *inefficax,* interest, *qualis animus,* et *qualis animi resignatio* in voluntatem divinam sub isto voto lateat. Unde:

α) idem desiderium erit *vitiosum,* si ex vitiato fonte, e. g. ex frustrata avaritia, ambitione etc. descendit;

β) licitum, si cum plena erga Deum subjectione conjunctum ejusque causa non inhonesta sit; e. g. calamitas gravis, dolor seu morbus diuturnus etc.;

γ) generosum, si quis mortem exoptat ex desiderio martyrii, vel ex desiderio vitae aeternae, uti s. Paulus, vel ex eo, ut Deum non amplius possit offendere, vel ex contristatione de tot peccatis, quibus in hac vita videt continuo Deum offendi etc.[1])

---

[1]) Cfr. s. Alph. Lib. III. Müller II. §. 122. Lehmkuhl I. n. 571.—582. Marc I. n. 753.—756. Gury de V. praecepto. Stapf II. §. 220.—222. Staller II. tr. 5. §. 3. Berardi, Praxis n. 177.—179.

C. Officia specialia erga semet quoad statum externum.

Praenotanda.

Per statum externum generatim intelligitur summa conditionum externarum et eorum bonorum, quibus homo quisque aut indiget, aut juvatur in fine tum honestatis tum felicitatis suae rite persequendo et obtinendo. Hunc in finem praeprimis labore et industria quilibet opus habet, non vaga, sed satis definita, ut adeo *certi muneris* pensique partes, viribus omnique conditioni suae pares, in se suscipere, vel, ut loqui amant, *vocationem aut statum quemdam* eligere teneatur. Cum vero hominis in hoc mundo viventis conditio talis sit, ut etiam *fortunae bonis, seu opibus* indigeat, ut officiorum munera liberius et expeditius exercere, viriumque suarum ambitum efficacius dilatare valeat, ad officia erga semetipsum pertinet etiam *cura opum seu bonorum fortunae* fini honestatis adtemperata. — Denique ut muneris sui partibus rite, cum fructu et dignitate fungi valeat, *existimatione etiam aliorum*, seu *bona sui fama* opus habet; hinc etiam ad status externi rationem pertinet, *bonae famae studere, eandemque et mereri et tueri.*

§. 40. Officium certum statum eligendi.

I. ***Vocatio:*** Prout corpus nostrum multa membra habet, et unumquodque eorum locum a Creatore sibi assignatum tenet, ita et nos in utraque republica certam stationem tenere, ibique officiis nostris rite defungi debemus. Hunc in finem Deus ipse vires et facultates hominum ita distribuit, ut unusquisque nostrum ad quaedam tantum, nullus vero ad omnia sufficiat. Hinc etiam unicuique nostrum certa activitatis pars injuncta est, quam nos ex Dei ipsius voluntate implere oportet. Et hanc ipsam Dei voluntatem sufficienter cognitam, vel etiam statum ipsum divinitus nobis assignatum *vocationem* in sensu *objectivo* dicimus. — Sensu vero *subjectivo*, vocatio est ipsa hominis *habilitas* ad certa munera aut vitae negotia rite gerenda, quibus et privatam et publicam salutem in societate humana tueri licet. I. Vocatio.

Jam ad prima nostra officia spectat, severa diligentia adhibita certam vitae rationem sibi deligere. Ex hac enim certi status electione tum sors nostra temporalis, tum ipsa quoque aeternitas pendet. Quare nefas est, vel otio torpescere, vel vagam nonnisi industriam suam modo ad haec, modo ad alia transferre negotia. — Concedi quidem debet, hanc vocationem ad certum vitae genus, e. g. ad statum sacrum, interdum non rigidum praeceptum, sed nonnisi *consilium* de bono meliori involvere. Quapropter ubi rationes praeponderantes aliquem ad certam vivendi conditionem urgere videntur, circumstantiae singulares attendi debent, ut dispiciatur, utrum vocatio isthaec *moraliter necessaria*, an vero tantum *consulta* censeri debeat.

Vocatio ordinaria et extraordinaria.

Distinguitur vocatio *ordinaria* et *extraordinaria*, prout nempe Deus aliquem per media consueta, vel immediate atque per signa extraordinaria ad certum munus accersit. Generatim vero vocatio via ordinaria fit. Et haec ordinaria vocatio iterum distinguitur in *externam* et *internam; prior* per rerum temporumque circumstantias determinatur, in quibus vivimus; dum nempe per conditiones externas, vel ad statum aliquem adigimur, vel dum nonnisi unica vitae conditio nobis ineunda relinquitur. Atque hoc vocationis genus prae reliquis frequens esse solet.

Vocatio externa et interna.

Vocatio posterior seu interna ad indolem, vires atque dotes nostras refertur, per quas ad statum aliquem praecipue adaptamur.

Principia quoad electionem status.

His praemissis jam quoad vocationem sequentes tenendae sunt regulae:

1. Quilibet tenetur vocationem suam, seu hunc ipsum statum, ad quem rationabiliter a Deo vocatum esse arbitratur, explorare et eligere. Absit vero, ut quis hoc negotium gravissimum casui fortuito vel sorti committat, vel ad somnia aliaque media superstitiosa confugiat.

2. Qui per vocationem externam, i. e. per occurrentes circumstantias quodammodo necessitantes, quin illi optio relinquatur, ad certam vitae conditionem adigitur, talis ne dubitet, Deum velle, ut in statione hac ipsi deserviat; e. g. miles.

3. Qui inter plures status liberam optionem habet, totus in eo debet esse, ut postposito omni affectu praepostero, vocationem suam dignoscat, i. e. habilitatem suam ad aliquem statum ex signis praesertim *internis*, scil. ex indole et animi dotibus, tum vero etiam ex indiciis *externis* deprehendere studeat.

Ad hoc perficiendum imprimis convenienter se *praeparet* cum Deo se reconciliando, mentem ad summam sinceritatem componendo, lumina superna humiliter et devote efflagitando. Denique in negotio tam gravi et delicato; nullus *sibi soli* confidat, sed adhibeantur consilia et monita viri, qui tum prudentia, tum solida pietate conspicuus sit. — In hac *deliberatione*, quae optime sub ductu *directoris spiritualis* fiet, potissimum attendenda sunt:

Deliberatio facienda.

a) diversorum statuum, quorum ipsi accessus patet, gravitas, officia, onera, emolumenta in statera sanctuarii ponderata, utilitas pro aliis, pro bono communi etc. Attamen ex sola praestantia vel majori utilitate alicujus status nondum stricta obligatio inferri potest, illum adeundi;

b) quantum ad nos, tum quae sint vires, naevi et infirmitates nostrae; tum quae sit *perdurans animi propensio*, quae propensio inter signa et indicia vocationis principalia pertinet, modo intelligatur de perduranti animi inclinatione, non autem de motu naturae depravatae, neque de sensu subitaneo et fugaci;

c) denique signa etiam externa attendi debent; uti ratio temporum, cura familiae, pietas filialis, quin tamen consiliis parentum caeco modo adquiescere teneamur. Maximi vero ponderis est consilium illius, cui abdita cordis sincere aperuimus, nec-

non auctoritas Superiorum, habilitatem nostram ad certum statum declarantium.

Officium sedulitatis post statuselectionem.

4. *Post status cujusdam electionem imprimis occurrit officium* ***sedulitatis***, i. e. constans studium, ea omnia rite peragendi, quae cum vocatione propius cohaerent; id enim tum salus aeterna seu spiritualis; tum salus corporalis, tum bonum commune; tum denique ipse finis ultimus, ad quem destinati sumus, inexorabiliter exposcit.

Modus et dotes sedulitatis.

Modum et dotes hujus sedulitatis quod attinet, requiritur, ut haec sedulitas sit:

a) *constans et indefessa*, ut alacri animo taedium superemus, dum ardua et molesta occurrunt;
b) *prudens*, seu tum viribus nostris, quum rerum temporumque adjunctis rite adtemperata;
c) *conjuncta cum debita diligentia*, ut nempe cum justa praeparatione, atque omni meliori modo negotiis nostris defungamur;
d) *certo ordini adstricta*: sic enim omnia suo tempore fient, et proin etiam animo pacato;
e) *sanctificata per orationem et bonam intentionem*, qua mentem et operationem nostram iterato ad Deum dirigere studemus.

Quid contra taedium status faciendum sit.

5. *Si statu quodam inito taedium ejusdem subrepat, omni conatu decertandum est.* Distinguendum tamen est in hac pugna, utrum aliquis certo statui post maturam deliberationem nomen dederit, necne. *Si prius* obtineat, omne dubium de errore in status electione forsitan commisso, serio abigere, taedium fortiter vincere, turbatamque phantasiam, frequentem causam taedii, compescere oportet. Pro tali enim homine alia medicina non datur, quam sui abnegatio et sedulitas in exequendo munere suo; et hoc de iis quoque dicendum est, qui per circumstantias externas, ad certum vitae genus adstringuntur; uti milites.

Si vero posterius obtinet, seu quando quis sat solide timet, se ad statum, quem temere adiit, non esse vocatum, iterum subdistinguendum est: nam si ad aliud genus vitae transire non amplius possit, uti sacerdos, religiosus professus, matrimonio conjunctus, illam notissimam regulam s. Augustini observet: „Si non es vocatus, fac, ut voceris,“ consequenter abnega temetipsum et exequere status officia, ac si ad illum reapse vocatus esses. Sicque statio, quam jam deserere non potes, ab initio non tua, tua tamen erit coram Deo ob fidelitatem, qua operaris in illa. — Qui vero statum temere electum deserere potest, eam deserat, et post sedulam deliberationem et ferventem orationem alium eligat.

II. Peccata opposita.

II. ***Peccata recensitis officiis opposita*** sunt potissimum sequentia:

1. Vaga et dissoluta vivendi ratio.

1. Officio, semet ad certam activitatis aream determinandi, repugnat *vaga et dissoluta vivendi ratio*, qua nonnulli sine consilio et scopo huc illuc errant, et annos prae reliquis fertiles vesane prodigunt, sibi pariter ac aliis oneri futuri, licet de bono communi optime mereri potuissent. Est objective certe grave peccatum.

2. Neglectus deliberationis et praecipitantia.

2. *Officio maturae deliberationis* in eligendo statu repugnat: *neglectus deliberationis; praecipitantia* in hoc negotio; *sapientia mere carnalis* in ponderandis rationibus. Est certe grave peccatum, si agitur de statu quodam immutabili; e. g. sacerdotio, matrimonio etc.

3. Tarditas et oscitantia, negligentia et otium.

3. *Officio sedulitatis adversantur: tarditas* et *oscitantia*, qua quis ex mera desidia et studio commoditatis res gerendas cum detrimento procrastinat; vel in iis justo plus temporis insumit. Porro: *negligentia*, qua quis negotia sua luride et perfunctorie tractat. Denique *otium* seu justi laboris neglectus. Distinguitur *otium pigrum*, quo quis per desidiam ab omni labore refugit, qui aliquo virium impendio constat, et dies in „dolci far niente" consummit, *otium operosum*, si quis neglectis necessariis et utilibus, vana, vel saltem talia pertractat, quae ad rem non pertinent. Hoc otium esse potest, vel *literatum*, vel *elegans*, vel *pium seu pietisticum*, vel *diabolicum* e. g. operari contra Ecclesiam.

Omnes otiandi species, praesertim otium pigrum et diabolicum, in summam hominis perniciem et dedecus vergunt, necnon plurima scelera procreant. Objective est otium pigrum certe grave peccatum; otium operosum est vel grave vel leve pro ratione circumstantiarum; otium diabolicum semper nefandissimum crimen esse, per se patet.[1])

Nota: De singulis statibus in specie alio loco fusius tractabitur.

§. 41. Officia quoad bonam famam et honorem.

I. Bona fama et honor.

I. ***Bona fama et honor:*** Ad bona et subsidia vitae terrenae ac praesertim fructuosae activitatis nostrae externae, quam maxime *existimatio* et *fama* pertinent. *Est vero existimatio* favens aliorum judicium de nostra perfectione, seu de nostris qualitatibus et virtutibus. Favens hoc aliorum judicium, verbis expressum, *laus;* actibus externis significatum, *honor* vocatur. Idem judicium, praesertim de nostra morali bonitate, publico sermone manifestatum, seu ipse publicus de nostra perfectione sermo et persuasio, *bonum nomen,* seu *bona fama* dicitur. — Honor ipse vel *personalis* vel *civilis* vocatur; iste dotibus et perfectionibus nostris personalibus; hic vero muneri et statui exhibetur, quo in republica sive sacra, sive civili defungimur. His praemissis sequentes regulae quoad bonam famam etc. sunt tenendae:

1. Officium sibi bonam famam procurandi.

1. *Generatim omnino ad nostra officia pertinet, ut famae et aliorum de nobis existimationi rite provideamus.* Hanc curam jam imperat stimulus honoris, qui cuivis homini inest, quique a Deo nobis insitus est ad certos fines morales assequendos, ideoque illum ad hos fines dirigere et impendere debemus; quod sic probatur: tenemur existimationem et famam comparare et conservare, si eadem nobis utilis, aliquando autem prorsus necessaria est; atqui, hoc revera de existimatione et bona fama valet; nam:

---

[1]) Cfr. Stapf II. §. 326.—333. Staller II. tr. 10. §. 1.

Necessitas bonae famae.

a) *Illa promovet virtutem et perfectionem nostram.* Etenim bonum nomen, quo apud alios gaudemus, nobismetipsis fulcrum quoddam ac incitamentum studiorum laudabilium est. Quid enim homines sat multos magis ab omni turpitudine absterret, ad facienda autem patiendaque fortia vehementius incitat, quam ratio famae et nominis sui? Actum est de homine, qui omnem pudorem nominisque curam exuit.

b) *Similiter successus activitatis nostrae quam maxime ab aliorum de nobis existimatione pendet,* et qualiter in nos affecti sint. Praesertim illis bonum famae est necessarium, qui munere aliquo funguntur, quod, ut vere prosit, singularem aliorum existimationem expetit, uti praeprimis cura pastoralis.

c) *Denique salus aliorum* speciatim per hoc promovetur, ut illi, quibus bonum de nobis judicium legitimo modo ingerimus, exemplo probae conversationis nostrae aedificentur, et ad consimile virtutis studium accendantur.

Sed non tantum honorem personalem, sed etiam illum, qui *ipsi statui* et *muneri* nostro debetur, sollicite tueri jubemur; nam neque sacra, neque civilis respublica salva consistere potest, nisi singulis ejusdem gradibus condigna reverentia deferatur. — Hinc injurias, quibus non tam *persona,* quam potius *munus nostrum,* vel *sanctior personae character* impetitur, dissimulare non licet, etiamsi aliquis paratus sit ad ejusmodi injurias pro sua persona tacite perferendas; actum enim esset de auctoritate magistratuum tum civilium, tum ecclesiasticorum, si eos conviciari aut contemptui habere impune liceret.

2 Modus bonae famae studendi.

2. *Modum quod attinet huic officio satisfaciendi, seu bonae famae studendi, haec potissimum observanda sunt:*

a) *Finis principalis istius studii debet esse honor Dei;* ideoque honorem propriae personae eatenus tantum quaerere licet, quatenus ad honorem Dei inservit. Qui secus faciunt, et laudem ac gloriam propter se ipsos inquirunt, vanae philautiae indulgent, cujus impuris motivis idipsum, quod recte fit, pretio morali destituitur.

b) Cavendum est, ne bona fama *mediis indignis,* vel *plane inhonestis* expetatur. Huc pertinent malae artes hypocritarum, indigna conniventia, quae illicita quoque concedit, aut errores manifestosque abusus approbat.

c) Absit, ut affectemus laudem et existimationem *qualemcunque;* datur enim gloria, quae exigui aut nullius pretii est, scilicet dum fundatur praerogativis sive falsis, sive quasi fortuito homini obvenientibus; vel dum tribuitur ab hominibus imperitis, parum piis, vel omnino ab improbis. Contemptio et vituperatio impiorum est saepissime maxima laus.

d) Absit denique, ut in *acquisita bona fama* nimis innitamur, quia bonum est perquam mutabile; cavendum etiam est ab omni fastu et inani complacentia etc.

3. Officium famam amissam recuperandi.

3. *Quia officium hominis est — licet tantum hypotheticum — bonam famam et existimationem sibi comparandi, hinc etiam*

quilibet officium habet — *sed denuo nonnisi hypotheticum* — *famam amissam recuperandi.* Sed hic distinguendum est, *an quis culpabiliter*, vel *an citra culpam bona fama exciderit.* *Si prius*, aliud non restat, quam ut per poenitentiam seriumque emendationis studium famae dispendium reparare conemur.

Si vero ex parte nostra nulla culpa praecessit, videndum est, *quonam modo et gradu* fama nostra sit lacessita. Unde pro praxi sequentia sunt notanda:

a) *Si graviora mendacia et calumniae* contra aliquem divulgantur, defensio sui, ubi legitimis mediis fieri potest, aliquando ad *officia moralia* pertinet, et quidem tunc praeprimis, cum laesus est membrum societatis, in quam haec infamiae nota transfunditur, e. g. sacerdos, religiosus; — vel si infamatus munere suo, praesertim publico, alias non amplius rite defungi potest, e. g. concionator; — vel quoties, nisi calumnia refutetur, in alios grave scandalum redundat, uti si calumniatus sit sacerdos; — et generatim quoties vel religionis, vel nostrae aliorumve salutis multum interest, ut innocentiam nostram contestemur. — Haec tamen famae vindicatio neque animo emoto et exacerbato, neque illegitimis mediis fiat; finis etenim nunquam sanctificat media.

Notatu dignissima sunt verba s. Hieronymi, qui scribit: „Si dixeris mihi: sufficit mihi conscientia mea, Deum habeo judicem, qui vitae meae est testis, non curo, quid loquantur homines; — audi Apostolum scribentem: „Providentes bona non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus.“ [1]) — Similiter s. Augustinus dicit: „Duae res sunt conscientia et fama; conscientia tibi, fama proximo est necessaria. Qui fidens conscientiae suae negligit famam suam, crudelis est“. [2])

b) *In casibus, ubi rationes recensitae non urgent, famae lacessitae defensio non est praecepta, sed tamen licita, verum sic, ut multoties perfectius sit, generose tacere, quam semet defendere.* — Nam prae omnibus aliis adversitatibus, contemptus hominum, impiae eorum calumniae et obtrectationes patientiam, humilitatem, ceterasque nobilissimas virtutes exercent, adeo, ut generosa harum exacerbationum perpessio ingens a Deo praemium sit reportatura.

Haec piae resignationis via etiam illis ingredienda est, quibus, licet alias teneantur ad sui defensionem, testes et tabulae, aliaque legitima media desunt, quibus innocentiam suam contestari possint. In hujusmodi angustiis divinae providentiae consiliis, propriaeque saluti nil convenientius est, quam ut quis famam et nominis integritatem Deo fideliter offerat, inhaerendo vestigiis tot Sanctorum, ipsiusque divini Salvatoris, qui talem sustinuit adversum semetipsum contradictionem. — Pulcherrima sunt, quae de Imitatione Christi Lib. III. Cap. 50. pro ejusmodi casibus suggeruntur.

c) *Quia homo, uti communiter docent, dominium famae suae ha-*

---

[1]) Ep. 9. [2]) Serm. 49. de divers.

bet, — comparat scilicet famam sibi suis actibus ad suam utilitatem, quare ejusdem dominus non minus est censendus, quam rerum aliarum, quas proprio labore sibi acquisivit, — *licite potest semetipsum infamia afficere ex rationabili causa,* e. g. ad exercendam humilitatem, ad celebrandam Dei misericordiam, ut fecit s. Augustinus, libros confessionum scribendo, et s. Pater noster Franciscus, qui e publico loco suos defectus denuntiavit. — Sed dixi: *„ex rationabili causa"*; etenim sine tali causa tantum famae bonum prodigere, esset peccatum, idque eo majus, quando infamia redundaret in despectum status vel conditionis, vel officeret executioni utili muneris, vel procrearet scandalum proximo.

II. ***Peccata opposita.*** Recensitis officiis opponitur: II. Peccata opposita.

1. ***Per defectum:*** *culpabilis neglectus existimationis* et *judicii aliorum,* seu *vitiosa incuria bonae famae.* Haec incuria culpabilis est: 1. Per defectum: ratione incuriae bonae famae.

a) *Quatenus oritur ex fonte vitioso,* qui duplex esse solet, nimirum vel illa effrons et propudiosa *sui abjectio,* qua quis caeco impetu ita vitiis indulget, ut dispendium cujuscunque boni non curet; — vel *supina arrogantia,* qua homo de se ipso adeo intumuit, ut reliquorum judicia et dicta flocci habeat, iisdemque se longe superiorem esse existimans.

b) *Quia adversatur reverentiae, quam aliis debemus, et mutuae relationi nostrae,* qua sumus cives regni Dei et membra ad invicem.

2. ***Per excessum:*** peccatur per *nimiam studiositatem* in bona fama tum comparanda, tum conservanda; cum qua conjuncta esse solet *cura nimis anxia* nebeculas etiam minutissimas dispellendi, quibus famae splendorem fors obnubilari contingit. Item ejusmodi studia inordinata, quae, quia ut plurimum ex defectu humilitatis oriuntur, illas superbiae formas induere solent, quarum jam supra sub nomine *vanae gloriae* et *ambitionis* mentio est facta.[1]) 2. Per excessum: cura nimis anxia bonae famae.

§. 42. Officia quoad bona temporalia seu fortunae.

I. ***Bona fortunae:*** Ad ea, quae ad felicitatem hujus vitae tuendam spectant, pertinent etiam *bona temporalia,* sub quibus intelligimus res hujus mundi. — Dicuntur etiam *bona fortunae,* eo, quod eorum acquisitio saepe ex fortuito casu pendere videtur; suntque modo pecunia et res pecunia aestimabiles. I. Bona fortunae.

Supremum et principale dominium omnium rerum habet ipse creator Deus, nam „Domini est terra et plenitudo ejus", uti Psalmista dicit. Deus tamen res creatas ordinavit ad corporalem hominis sustentationem, et sic homini *usum harum rerum,* seu *dominium indirectum et imperfectum* concessit, ut de ipsis disponat ad

---

[1]) Cfr. Lehmkuhl I. n. 1172.—1174 Stapf II. §. 233.—236. Staller II. tr. 6. §. 1.

sua commoda. Et quidem Deus ab initio *plenam bonorum communionem* instituit, eo consilio, ut omni dominio privato penitus excluso, ex complexu rerum quivis acciperet, quantum vitae sustentandae opus esset.

At ob depravationem hominum per peccatum originale inductam, et ob immutatam hominum relationem ad rerum naturam, ex dominio communi necessario facta est *bonorum distinctio* seu *dominium privatum.* Et sane, homines post peccatum ad lites, ad rixas et jurgia adeo proclives, vix et ne vix quidem induci possent ad labores tam duros ineundos, quales cultura terrae in opere hominis maledictae jam requirit, nisi fructus laboris tamquam *suos* habere ipsis concessum esset.

Quare audiendi non sunt, qui jus proprietatis privatae rejiciunt; hoc jus inviolabile existere debet tum ex jure naturae, quia dominio privato sublato, societas humana existere non posset; tum jure divino, in septimo et decimo Decalogi praecepto promulgato, tum jure humano, civili et ecclesiastico. Unde etiam doctrina Communistarum et Socialistarum a P. M. Pio IX. Encyclica die 9. Novembr. 1846, et Encyclica die 8. Dec. 1849 et Encyclica Leo XIII. 28. Dec. 1878 jure meritoque anathemate percussa est, qua „infanda" et „nefaria" doctrina, quae impia erga Deum, injuriosa erga proximum, perniciosa societati, et in se absurdissima declarari debet.[1])

At, etiamsi dominium privatum licitum, imo et necessarium, et proinde Communismi portentum omnino detestandum sit, hominibus tamen *non dominium absolutum et independens tributum est*, uti nonnulli asserebant. Haec enim bonorum inter singulos divisio maxime de eorundem acquisitione et possessione unicuique libere concessa, non item vero *de usu rerum illimitato* intelligenda est. Quantum ad usum enim adhucdum quandam bonorum communionem servare oportet, eo nimirum sensu, ut quilibet animo prompto illa communicet in aliorum necessitatem. Eatenus nempe res exteriores revera sunt *communes*, quatenus bonorum possessores tenentur de illis communicare et subvenire indigentibus in necessitate extrema et gravi, imo et communi, uti alio loco, ubi de eleemosyna sermo occurret, dicetur.

His necessario praemissis, jam officia stabilienda sunt, quae homini circa bona temporalia seu fortunae occumbunt, suntque potissimum sequentia:

1. Officium sibi bona fortunae comparandi.

1. *Tenemur generatim bona, nobis nostrisque necessaria comparare.* — *Bona necessaria* sunt illa, quae requiruntur, ut tum nobis, tum nostris, quorum scilicet cura nobis incumbit, honesta atque statui nostro congrua sustentatio suppetat; et quidem non solum nunc, sed etiam pro casibus probabiliter imminentibus. — Quod his abundantius est, ad *bona superflua* pertinet. — Quibus necessaria desunt, *pauperes*, qui vero superflua habent, *divites* vocantur.

Rationes hujus officii.

Rationes hujus officii, scilicet necessaria sibi acquirendi sunt:

---

[1]) Cfr. Müller II. §.97. item Kirchenlexicon ed. II. tom. 3. pag. 739.—758.

a) Quia homo in terris vivens hisce bonis simpliciter carere haud potest, sed ad victum cultumque suum iis eget: etsi necessaria ad vitam corporisque sanitatem servandam pauca tantum ac facile parabilia sint. Et quia vitam et vires nostras juxta normam divinae voluntatis conservare obligamur, tenemur ipso facto etiam ad media necessaria, scilicet ad debitam industriam et seriam virium contentionem, quia res permultae, quibus indigemus, ita dispositae sunt, ut sine labore haberi nequeant.

b) Tenemur etiam nostrorum curam gerere, nam „si quis suorum, et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior".[1])

c) Experimur, quandam opulentiam id efficere, ut homo alacriore, promptiore ac liberiore animo muneris pensique sui partes sustineat et expleat.

d) Industria et labor intensus virtutis studium egregie promovet, nedum impediat; nam per laborem vires nostrae saluberrime exercentur ac perficiuntur, exinde a multis vitiorum illecebris praeservamur.

e) Constat praeterea inter omnes, opum egestatem plurimam esse causam magnorum vitiorum et gravissimorum criminum.

Modus et limites curae bonorum temporalium.

Modum limitesque curae, quae opibus acquirendis impendenda sit, ex fine earundem et pretio, statuere licet. Res omnis quippe reducitur ad summum hoc principium: opes appetere, quaerere, iisque perfrui, fas est, quatenus his ipsis indigentiae naturali satisfacere, honestatis impedimenta varia removere, ejusdem studia excitare, fovere et ampliare, et ad majorem ubertatem evehere possumus. Quidquid ergo ab hoc fine alienum, id etiam in cura opum improbum est.

Regulae speciales.

Ex his sequentes regulae speciales fluunt:

a) Improbum est, opes appetere mere et principaliter propter se ipsas, aut eo mentis consilio, ut largius cupiditatibus indulgere, voluptateque frui liceat.

b) Improbum est, ad opes parandas mediis uti injustis, quibus scilicet legis moralis sanctitas, aut bonum commune, aut jus aliorum laeditur. Justum tamen, licitumque est, jure suo et secundis rerum externarum conditionibus uti ad opes parandas et augendas, quin tamen jura perfecta aliorum laedantur.

c) Cavendum etiam est ab omni illiberalitate in alios; sed potius aequitatis et piae misericordiae ratio habeatur. Unde aliorum studia circa bona acquirenda, non solum non impediantur, sed potius promoveantur. Imprimis illi, qui magna opificia possident, vel ampliori quaestu occupantur, hominibus egentibus laboris et mercedis occasionem praebeant.

d) Cavendum denique est tum a nimia fidentia in viribus et studiis propriis, tum a nimia sollicitudine; utrumque enim pugnat contra spem rite ordinatam.

Ad bona superflua sibi comparandum nemo obligatur; quinimo

[1]) I. Tim. V. 8.

Religio nostra, licet studium ditescendi non condemnet, propter innumera pericula cum illo conjuncta, potius pietatem cum sufficientia — *αυταρκείαν* — ennixe commendat.

Attamen negandum non est, quod rerum opulentia *per se* quoddam bonum est, tamquam donum divinae largitatis grato animo accipiendum, quod per rectum usum tum virtutem, tum regnum Dei insigniter promovere potest. Etenim rerum opulentia ex fine intrinseco subsidium est, quo homo semet perficiat, aliorum indigentiis subveniat, majores conatus, qui terrenarum rerum copiam requirunt, uti sunt e. g. instituta pauperum, hospitalia, scholae catholicae, missiones externae etc., animo generoso sublevet. — At nihilo secius generatim multo tutius esse videtur, carere divitiis, quam easdem, uti oportet, possidere. Hinc Salvator ait: „Amen dico vobis, quia dives difficile intrabit in regnum coelorum.“ [1])

2. Officium quoad usum et administrationem bonorum temporalium.

2. *Alterum officium hominis circa bona temporalia consistit in eorundem recto usu et debita administratione.* Eadem ratio, quae generatim jubet, ut necessaria nobis comparemus, prudentem quoque illorum *usum* et *administrationem* expetit. Idem postulat etiam illa suprema regula, qua quoad bona temporalia in relatione ad Deum non domini, sed *oeconomi Dei* sumus, ad strictissimam Deo dandam rationem obligati.

Haec officia tum *negative* tum *positive* nos attingunt.

a) Ratione negativa.

a) Negative: prohibemur scilicet ab illa levi incuria, qua nonnulli res a Deo concessas, inutiliter perire, vel computrescere patiuntur; item prohibemur ab imprudenti bonorum dissipatione, et a quocunque eorundem usu mere arbitrario et moraliter prorsus inutili.

b) Ratione positiva.

b) Positive: tenemur scilicet studere usui harum rerum, qui rectae rationi et finibus, ad quos conceduntur, conveniat.

Parsimonia.

Ex observatione harum regularum ***virtus parsimoniae*** resultat, quae in eo consistit, ut expensas necessarias utilibus, utiles vero superfluis praeferamus, ideoque superfluas et minus utiles ita restringamus, ut rationibus altioribus et expensis necessariis non derogetur. — Est ergo parsimonia nullatenus tenax et indiscreta rerum terrenarum in manibus detentio, uti vulgo concipitur. — Ex dictis colligitur:

α) Quoad rectum bonorum usum *consilio de bono meliori* latissimum campum aperiri, atque permulta in hac re tum prudenti singulorum consilio, tum conscientiae subjectivae relinqui;

β) per officium parsimoniae pauperum subventionem adeo non excludi, ut eadem potius ad partes fidelis dispensatoris pertineat, qui certe caritatem Domini, cui famulatur, imitari debet. Imo ipsa *liberalitas,* seu largior pecuniae in bonos fines erogatio, cum officio parsimoniae optime componitur. Haec enim sumptibus parcit, quos rationes altiores sibi deposcunt; liberalitas vero, ubi nullum officium obstat, praeter strictam obligationem, etiam consilio de bono meliori defert.

---

[1]) Matth. XIX. 23.

II. ***Peccata opposita:*** Contra officia mox adducta tum *per defectum*, tum *per excessum* peccari solet. II. Peccata opposita.

1. ***Per defectum:*** rationabili bonorum tum acquisitioni tum administrationi opponitur: 1. Per defectum.

a) *Turpis inertia et incuria* sive in comparandis, sive in administrandis necessariis. Haec incuria tunc potissimum ingravescit, ubi praeter titulum generalem rationes adhuc speciales, vel omnino jura aliorum violantur; uti dum e. g. paterfamilias adeo negligit rem familiarem, ut officiis erga familiam, vel erga creditores satisfacere nequeat; vel dum quis mendicitate potius, quam labore victui suo providere mavult; vel denique dum juvenes robusti ita luride vivunt, ut aliis in aetate provectiore oneri futuri sint. a) Turpis inertia.

b) Rectae rerum administrationi opponitur *negligens custodia et asservatio rerum*, ita, ut ex mera incuria corrumpantur, putrescant, vel etiam ut hominibus improbis occasio furandi praebeatur. Et illi quidem, qui mercede conducti, res sibi commissas culpabiliter negligunt, etiam justitiam violant, et ad restitutionem tenentur. b) Negligens custodia.

c) Recto rerum usui repugnat *quivis abusus*, divinis consiliis contrarius. Quo praesertim etiam pertinet illa saeva petulantia, quae haud raro erga innocua animalia exercetur. Id quippe tum divinis consiliis, tum sensui humanitatis manifeste repugnat. — Sed vicissim culpari debet tum *inordinatus luxus*, quo illa, quae pauperibus etc. impendi deberent, inutilia animalia absumunt; tum *affectio nimis tenera*, magis saepe favens animalibus, quam ipsis hominibus, indeque valde turpis, saepe etiam periculosa. c) Quivis abusus.

d) Officio parsimoniae *prodigentia* opponitur, dum bona temporalia vel ad expensas superfluas, vel omnino inhonestas dissipantur. Cfr. §. 27. d) Prodigentia.

2. ***Per excessum*** curae temporalium rite ordinatae opponitur *avaritia* seu *immoderata habendi cupido*, qua quis bona terrena supra debitum modum vult acquirere, vel acquisita retinere. Quoad gravitatem hujus peccati et ejusdem imputationem, cfr. §. 27, ubi de liberalitate diximus.[1]) 2. Per excessum: avaritia.

---

[1]) Cfr. Stapf II. §. 228.—233. Müller II. §. 97. Staller II. tr. 7. §. 1.—3.

Caput III.

Officia erga proximum.

Praenotanda.

Hucusque illa officia consideravimus, quibus tum immediatus Dei cultus, tum vera erga semetipsum pietas absolvitur. Nunc ea pertractanda supersunt, quae nostris in praesenti palaestra sociis atque commilitonibus debentur. Etenim, etiamsi unusquisque nostrum proxime ad Deum factus sit, omnes tamen una familia, imo „unum corpus sumus“, et „membra de membro“. Unde — „si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra, sive gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra.“[1]) — Hinc etiam varia officia erga alios homines seu erga proximum habemus, quorum perplura non tantum ex titulo *caritatis*, sed simul etiam ex titulo *justitiae* nos obligant. Per caritatem scilicet homo ad proximum dirigitur tamquam ad alterum *ego*, et normam agendi et tendendi in proximum sumit ab iis, quae sibimetipsi desiderat atque procurat secundum effatum Domini: „Diliges proximum tuum sicut te ipsum.“ At quisque etiam pro se *facultate* donatus est, independenter ab aliis finem suum prosequendi et necessariis mediis ad id utendi, haecque facultas inviolabilis est, divino utique judicio et correctioni subjecta.

Huic facultati unicuique insitae ex parte aliorum hominum respondet officium et obligatio, qua revereri debent et illaesam servare hanc alterius moralem facultatem inviolabilem. — Jam officia erga proximum itidem in duas classes abeunt, sunt scilicet partim *generalia*, partim *specialia;* hinc etiam hoc caput in duos articulos dividi potest.

Articulus I.

Officia generalia erga proximum.

Praenotanda.

Quodsi officiorum erga alios conditio *generatim* consideratur, summa eorundem ad *caritatem* omnibus exhibendam reducitur, quae ceteroquin variis obsequiis, sive ad perfectionem, sive ad felicitatem aliorum universim attinentium, demonstratur, adeo, ut hinc generalia quaedam erga alios officia oriantur. — Agendum ergo hic est de caritate erga proximum in genere, necnon de variis

[1]) I. Cor. XII. 25. etc.

ejusdem exhibitionibus seu contestationibus tam generalibus quam specialibus, dein recensenda veniunt peccata his officiis opposita; et tandem disserendum est de officiis justitiae erga proximum generatim.

§. 43. Caritas proximi in genere.

Uti jam alio loco (§. 5, ubi de caritate theologica) diximus: *Proximus est objectum materiale secundarium caritatis;* unde sicut nos ipsos, ita et proximos nostros ex caritate theologica diligere debemus. — Sub nomine *„proximi“* in sensu latiori intelliguntur omnes creaturae rationales, quae aeternae beatitudinis aut in re participes, aut in spe capaces sunt. In sensu autem strictiori sub nomine proximi intelliguntur omnes homines hanc mortalem vitam decurrentes, praesertim vero ii, qui speciali quodam vinculo nobiscum conjuncti, vel qui in graviori aliqua necessitate constituti sunt.

Jam imprimis in omnibus, quotquot humanae sunt naturae compotes, stupendam ejusdem naturae dignitatem destinationemque magni *aestimare atque suspicere* tenemur. Etiamsi aliquis incultus, ad infimam vitae conditionem detrusus, vel degener, vel etiam nondum in lucem editus sit, est tamen *homo,* atque jam ex hoc titulo communem omnium aestimationem meretur. Vae illi, qui hominem qualemcunque meri instrumenti loco habet, conculcataque naturae tam sublimis dignitate abutitur!

Non minus illae dotes, quibus aliquis prae reliquis insignitur, singularem sibi aestimationem deposcunt. Atque haec eadem aestimatio, quae singulis quibusque persolvenda venit, sub ratione *negativa* omnem illorum *abusum* et *laesionem* arcet; attamen ratio per revelationem illustrata hisce solis neutiquam acquiescit, sed insuper praecipit, ut aliorum salutem etiam *positive* promovere satagemus. Unde praeter *aestimationem* justa quoque erga alios *caritas* urgetur.

Genuina aliorum caritas poscit, ut erga alios vere efficaciterque benevoli simus, et omnes homines, sicut nos ipsos diligamus, proxime quidem propter ipsos, ultimo autem propter Deum. Unde sequentia sunt notanda:

1. ***Necessitas et gravitas caritatis proximi:*** Existit gravissimum legis divinae praeceptum, vi cujus proximum revera diligere tenemur. Christus Dominus dicit: „Diliges Dominum Deum tuum etc.; hoc est maximum et primum mandatum. Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum sicut te ipsum.“[1]) — Ut vero haec dilectio rationem caritatis habeat, proximum propter Deum diligere debemus, nimirum propter bonitatem divinam in proximo relucentem, quatenus scilicet secundum imaginem Dei creatus, sanguine Christi redemptus, et ad aeternam beatitudinem in coelo destinatus est. Dilectio proximi cum dilectione Dei tam arcte conjuncta est, ut haec sine illa subsistere nequeat. Non enim

I. Necessitas et gravitas carit. proximi.

---

[1]) Matth. XXII. 37.—39.

possumus Deum vere diligere, quin ea omnia diligamus, quae diligit Deus, ac nos diligere praecipit. Hinc s. Joannes dicit: „Si quis dixerit, quoniam diligo Deum, et fratrem suum oderit, mendax est. Qui enim non diligit fratrem suum, quem videt, Deum, quem non videt, quomodo potest diligere? Et hoc mandatum habemus a Deo, ut, qui diligit Deum, diligat et fratrem suum."[1]) Et s. Augustinus dicit: „Ex una igitur eademque caritate Deum proximumque diligimus."[2]) — Ex his apparet, dilectionem proximi nil aliud esse, quam dilectionem Dei in proximo; unde Salvator ait: „Amen dico vobis, quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis."[3])

Proximum diligere debemus actibus internis et externis.

Et quidem proximum diligere debemus *actibus internis* et *externis*, seu amore *affectivo* et *effectivo*, i. e. proximo et benevelle, et benefacere tenemur. Praeceptum itaque proximum diligendi veram sinceramque exposcit cordis *benevolentiam;* atvero haec sola non sufficit, sed insuper requiritur *beneficentia,* qua internam cordis benevolentiam opere quoque externo comprobamus, juxta illud sancti Joannis: „Non diligamus verbo, neque lingua, sed opere et veritate."[4]) — Neque benevolentiam per se solam, neque beneficentiam per se solam sufficere, sed utramque de necessitate praecepti esse, patet ex propositionibus ab Innocentio XI. damnatis, scilicet n. 10.: „Non tenemur proximum diligere actu interno et formali," et n. 11.: „Praecepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos."

II. Regula dilectionis proximi.

II. ***Regula dilectionis proximi:*** *Suprema regula seu norma,* qua proximum diligere debemus, his verbis ab ipso Domino exprimitur: „Diliges proximum tuum *sicut te ipsum.*" Jubemur ergo proximum diligere „sicut" nos ipsos; quod tamen non intelligendum est de omnimoda aequalitate, sed de similitudine dilectionis. Sicuti enim nobis ipsis, ita et proximo nostro desiderare et procurare tenemur bona, eaque praesertim, quae ad amicitiam cum Deo ineundam fovendamque, et ad beatitudinem aeternam assequendam inserviunt. Christus ipse id explicat verbis: „Omnia ergo, quaecunque vultis, ut faciant vobis homines, et vos facite illis".[5])

Praeceptum hoc, ut est *negativum,* vetat pro quovis tempore omnes actus amori benevolentiae oppositos. „Quod ab alio oderis fieri tibi, vide, ne tu aliquando alteri facias".[6]) Haec regula vere *universalis* est, quia severe instat, ut nemini, quicunque ille sit, aliquid mali optemus, aut inferamus. — Ut vero est *positivum,* obligat ad actum internum amoris saepius eliciendum; ut si necessarius est ad vincendum odium; obligat etiam ad exercendum actum externum amoris, quando proximus est in gravi necessitate. — Haec regula, quatenus non tantum benevolentiam, sed et beneficentiam praecipit, *universalis non est,* quia virium nostrarum limitatio non permittit, ut in *omnes* benefici simus.

Hinc beneficentia ad illos extendenda est, qui nostro auxilio

---

[1]) Joann. IV. 20.—21. [2]) De Trinit. L. VIII. c. 8. [3]) Matth. XXV. 40. [4]) I. Joann. III. 18. [5]) Matth. VII. 2. [6]) Tobias IV. 16.

maxime indigent, quibusque aliae insuper rationes, e. g. propinquitas, amicitia etc. suffragantur.

Attamen regula, proximum diligendi sicut seipsum haud infallibilis est. Haud raro enim contingit, ut homines semetipsos non secundum rectam rationem diligere sciant. Hinc Christus Dominus huic regulae aliam, longe sublimiorem et prorsus infallibilem superaddit, dicens: „Hoc est praeceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.“[1]) Unde dilectio, qua Christus nos dilexit, summa et absolute infallibilis regula est, secundum quam proximum diligere debemus.

III. Dotes dilectionis proximi.

III. ***Dotes dilectionis proximi:*** *Ex praedictis facile colligitur, quaenam sint dotes, quibus caritas proximi insigniri debet.* Necesse est enim, ut sit:

1. Supernaturalis.

1. Supernaturalis: i. e. proximus diligendus est propter Deum; motivum esse debet ex una parte bonitas Dei absoluta, qua Deus est super omnia bonus et amabilis; ex altera parte bonitas Dei respectiva, quae in proximo relucet. Diligi tamen potest etiam ex causa rationali vel naturali, dummodo Deus sit motivum primarium dilectionis.

2. Sincera et simplex.

2. Sincera et simplex, seu in se continens benevolentiam sine fuco et simulatione, alienam a meris asseverationibus, a blanditiis et assentationibus.

3. Efficax.

3. Efficax, seu operibus testatam se faciens; non sufficit, ut sit tantum interna, qua nimirum proximo bona sinceré apprecamur, sed necesse est, ut proximo bona etiam pro viribus procuremus, et data quavis occasione aliis benefacere parati simus.

4. Sancta.

4. Sancta et ad proximi sanctificationem tendens; hinc primarie aeternam hominum salutem, et secundarie temporalem eorundem felicitatem appetere et procurare opus est.

5. Universalis.

5. Universalis, tum respectu personarum, tum respectu bonorum, quae singulis personis competunt. Hinc diligere debemus omnes homines, cujusvis religionis, nationis, aut indolis sint; peccatores quoque et eos, qui nos odio inimico persequuntur: nam et Christus omnes dilexit et pro omnibus mortuus est. Respectu bonorum singulas personas diligere debemus, quoad omnia bona, quae ipsis competunt, scilicet quoad bona animae, quoad bona corporis et quoad bona famae et fortunae.

6. Non sua quaerens.

6. Non sua quaerens, quia ille, qui studio propriae utilitatis vel delectationis aliis benefacit, reapse non illos, sed semetipsum petit.

IV. Ambitus caritatis proximi.

IV. ***Ambitus caritatis proximi:*** *Caritas proximi, quia virtus generalis est, latissime diffunditur atque patescit;* complectitur enim

1. Ratione materiae.

1. Ratione materiae omnia officia, quae nobis in relatione ad proximum incumbunt; et quidem non solum officia caritatis, sive interna sive externa, sed etiam ipsa officia juris. In haec ultima caritas sic influit:

[1]) Joann. XV. 12.

a) Quoad officia juris passiva.

a) Quoad officia juris passiva, seu illa, quae nos aliis ex titulo juris debemus, instat:

α) ut ea omnia pia sollicitudine persolvamus, quae per justitiam tum commutativam, tum legalem exiguntur;

β) ut sola legalitate non contenti, horum officiorum executioni characterem verae moralitatis imprimere studeamus.

b) Quoad jura activa.

b) Quoad jura activa, i. e. quae *nobis* competunt, eadem caritas nos saepe admonet, imo interdum etiam praecipit, ne, quantum per rationes altiores licet, juri nostro rigidius insistamus, sed potius *aequitatis* rationem habeamus, juris rigorem misericordiae dulcore temperantes.

2 Ratione personarum.

2. *Ratione personarum,* caritas Deo exhibenda postulat, ut illos diligamus, quos Deus diligit; jam vero Deus diligit omnes, qui aeternae felicitatis vel sunt participes in re vel saltem capaces in spe. Hinc soli damnati hac mutui amoris communione penitus et pro omni aeternitate exciderunt.

3 Ratione virium et facultatum.

3. *Ratione virium et facultatum nostrarum* caritas omnes vires nostras aggreditur et excitat; — *intellectum,* ut ad indigentias fratrum attendamus, et meditemur de mediis, illis subveniendi etc.; — *cor* seu *sensiones* nostras, ut ad exemplum piissimi Salvatoris illam *sympathiam* moralem erga alios foveamus, qua gaudemus cum gaudentibus et flemus cum flentibus; — *voluntatem* nostram, ut alacri et generosa promptitudine ad obsequia caritatis, etiam difficiliora, praestanda parati simus; — omnem denique *activitatem* nostram, ut caritas fiat efficax et operativa.[1])

§. 44. Ordo caritatis.

Etiamsi caritas omnes homines amplecti debeat, tamen non omnes aequaliter sunt diligendi, sed servandus est aliquis ordo in dilectione proximorum, et unus magis est diligendus, quam alius. Id constat ex s. Scriptura, ubi dicitur: „Ordinavit in me caritatem;“[2]) idem s.s. Patres et Doctores sine exceptione docent.

Duplex autem ordo caritatis attendi debet, nimirum *unus quoad personas diligendas,* et *alter quoad bona diligenda.*

I. Ordo caritatis quoad personas diligendas.
1. Ordo inter se et proximum servandus.

1. ***Ordo caritatis quoad personas diligendas:*** Sub hoc respectu haec valent principia:

1. *Post Deum unusquisque tenetur, absolute loquendo, seipsum magis diligere, quam proximum.* Unde illud vulgare axioma: „*Caritas bene ordinata incipit a semetipso;*“ constat tum ex naturali inclinatione, quam gratia non tollit, sed perficit; tum ex verbis Christi: „Diliges proximum tuum sicut teipsum;“ ex quibus verbis colligitur, hominis dilectionem ad seipsum, esse sicut exemplar dilectionis, quae habenda est ad alterum. Sed dixi: *„absolute loquendo“*, nam *in solis necessariis ad salutem* unusquisque tenetur

---

[1]) Cfr. Billuart tom. 8. Lehmkuhl I. n. 591. sqq. Marc I. n. 476.—478. Müller II. §. 238.—240. Staller II. tr. 1. §. 14. [2]) Cant. Cant II. 4.

ordine caritatis se ipsum proximo anteponere absolute, i. e. absque ulla exceptione. Unde colliges:

a) *Nunquam licitum est, nec pro salute totius mundi, peccare sive mortaliter sive venialiter, vel proximo peccandi periculo se exponere, nisi periculum aliqua ratione fiat remotum.* — Licitum tamen est, ob salutem spiritualem proximi, se exponere probabili periculo, quia periculum illud, quando adest gravis causa illud subeundi, non judicatur voluntarie suscipi; imo dicunt, ad hoc teneri, qui dubitat de suo periculo, dum periculum proximi econtra est certum, uti e. g. si alias infans sit certo moriturus sine baptismo.

b) *Quilibet ad sui ipsius perfectionem magis tenetur, quam ad alios perficiendos.* — Licet tamen aliquando privare se ipsum bonis spiritualibus non necessariis ad salutem, ob bonum proximi spirituale vel corporale, e. g. differendo ingressum in Religionem, ad parochiae providendum, ad alendos parentes aut filios. Neque tunc reipsa habetur lucrum cessans, quia ob actum virtutis, bonum minus majori vel aequali compensatur.

c) *Per se loquendo unusquisque tenetur vitam corporalem propriam alterius vitae praeferre.* — Dixi: *per se*, quia non desunt exceptiones, in quibus homo vel *tenetur*, vel laudabiliter *potest* alterius vitam suae praeponere:

α) *Tenetur* sic facere, si agitur de vita salvanda viri, qui Ecclesiae vel reipublicae civili necessarius est, aut valde utilis; item si agatur de multitudine periclitante, quia bonum publicum praeferendum est bono privato;

β) *potest* idem facere extra illas circumstantias, si ob motivum virtutis pro salvanda aliena vita propriam immolat; tunc quippe seipsum magis diligit, quam proximum, quia insigne coram Deo sibi meritum comparat, sicque magnum sibi, seu animae suae bonum operatur. Ita Theologi communiter cum s. Thoma.[1]) Nec desunt exempla Sanctorum, qui ita se gesserunt; talis actus est perfectissimus et heroicus actus caritatis. — At *per accidens* hoc aliquando non licet, e. g. si quis liberis, uxori, parentibus est necessarius.

2. Ordo inter proximos ipsos servandus.

2. *Inter proximos ipsos itidem certus ordo servandus est;* etenim non omnes aequaliter a nobis sunt diligendi, sed magis minusve, prouti vel Deo vel nobis sunt propinquiores. Ita s. Thomas[2]) et alii omnes. Constat etiam ex s. Scriptura, nam cum mandatur, quod „*maxime operemur bonum ad domesticos fidei*“,[3]) et vituperetur ille, qui non habet curam „*suorum et maxime domesticorum*“,[4]) datur intelligi, quod inter proximos meliores et nobis magis propinquos, magis debemus diligere.[5]) Ratio autem est, quia illi, qui *Deo* sunt propinquiores per majorem bonitatem, secundum se sunt magis amabiles; et quia ii, qui *nobis* sunt propin-

---

[1]) In 3. sent. dist. 29. a. 5. ad 3. [2]) 2. 2. q. 26. a. 6. [3]) Gal. VI. 10. [4]) I. Tim. V. 8. [5]) Ita s. Thom. 2. 2. q. 44. a. 8. ad 2.

quiores, propter speciales amicitias, quibus Deus illos nobis devinxit, majorem dilectionem merentur. Ubi tamen notandum est:

a) Amore benevolentiae *affectivo* magis diligere debemus homines meliores et sanctiores, quam nobis conjunctiores; ratio est, quia talis amor majori eorum bonitati per se congruit adeoque debitus est. Sic e. g. hoc modo magis diligendus est vir sanctus, quam parens improbus. — Pari ratione iis, qui sunt excellentiores aliqua dignitate, major est reverentia exhibenda; sicque pater magis honorandus est, quam uxor. Sed quando sanctitatis aut praecellentiae gradus non innotescit, omnes *aequaliter* diligendi sunt.

b) Amore tamen benevolentiae *effectivo* magis diligere debemus propinquiores, quatenus nempe majus studium adhibere debemus ad providenda illis bona nondum possessa, sive spiritualia, sive temporalia; ratio est, quia propter speciales amicitias talem curam ac provisionem ipsis debemus. Unde s. Augustinus dicit: „Cum omnibus prodesse non possis, his potissimum consulendum est, qui constrictius tibi conjunguntur.“[1]) Idipsum pariter tradunt Theologi omnes.

Inter propinquos ipsos consequenter ii sunt magis diligendi, qui nobis sunt magis conjuncti. Nimirum in necessitate *ordinaria* isti se excipiunt ordine sequenti: uxor, filii, parentes, fratres et sorores, cognati, amici, benefactores, superiores et personae bono publico utiliores. Attamen in *extrema* necessitate vitae, omnibus praeferendi sunt parentes; cum enim vitam ab eis acceperimus, justum est, ut dum vita eorum periclitatur, ceteris ipsos anteponamus.[2])

II. Ordo caritatis quoad bona diligenda.

II. ***Ordo caritatis quoad bona diligenda:*** Bona diversae sunt praestantiae. *Primum* locum tenent *bona spiritualia,* i. e. gloria, seu beatitudo aeterna, gratia, virtutes; *secundum* locum: *bona corporalia,* ut vita, sanitas, integritas membrorum; *tertium: bona externa,* ut honor, fama, divitiae. — Item *bonum commune* majus est bono privato, quia bonum commune est bonum totius, et bonum privatum est bonum partis.

Ex his simul junctis cum antecedentibus facile est, deducere, quomodo proximo in diversis necessitatibus sit succurrendum, seu qualis ordo caritatis ceteris paribus, i. e. pari necessitate et conditione sit observandus; etenim debet quisque diligere: Deum super omnia; semet secundum bona spiritualia; proximum secundum bona spiritualia; semet quoad bona corporalia; proximum quoad eadem bona corporalia; semet quoad bona temporalia externa, proximum quoad eadem bona externa.

Attendenda necessitas:

In praxi tamen semper etiam attendendum est, quanta sit necessitas in utraque parte. Distinguitur enim triplex necessitas, sive temporalis sive spiritualis, scilicet:

a) extrema;

a) Extrema, cum periculum damnationis, aut mortis, aut alterius

---

[1]) De doctrin. christ. L. I. c. 28. n. 29. [2]) Cfr. s. Thom. 2. 2. q. 26. a. 9.; q. 31. a. 3. ad 4. S. Alph. L. III. n. 27.

mali, morti fere aequalis, ita proximo imminet, ut moraliter loquendo sine alterius auxilio illud evadere non possit;

b) *gravis*, cum proximus magnum patitur periculum salutis animae aut vitae corporis, vel alterius mali temporalis valde gravis, quod sine magna difficultate effugere non valet; b) gravis;

c) *communis* seu *mediocris*, in qua quis sibi providere potest sine magna difficultate. In hujusmodi necessitate spirituali versantur vulgares peccatores, qui, si vellent conatum aliquem adhibere, e pravo statu resurgerent; in communi necessitate temporali versantur generatim mendici, quibus, attenta eorum conditione, vita non nimis molesta ac misera est.[1]) c) communis.

Insuper in praxi attendendum est, *utrum aliqua, et ex quanam parte major spes effulgeat, operam nostram reapse profuturam esse*, „ad impossibile enim nemo tenetur."

His praemissis jam sequentes regulae sunt tenendae: Regulae speciales.

1. *Tenetur quisque succurrere proximo in extrema necessitate spirituali etiam cum periculo suae vitae.* Est doctrina communis. — Ut vero hoc officium urgeat, tria constare debent, scilicet: 1. Pro extrema necessitate spirituali.

a) Ut sit aequa spes adjuvandi, seu ut affulgeat spes fructus;

b) ut proximus nullum alium habeat, a quo sublevetur;

c) ut proximus certo damnandus sit, nisi a te adjuvetur, ita, ut tibi constet, proximum aliter non esse convertendum contritione vel alia operatione divinae gratiae.

Hinc e. g. teneris baptizare vel absolvere moriturum, etiam cum vitae damno, si alius non adsit, qui id faciat. Item si scias aliquem existentem in peccato mortali interficiendum in somno, vel nil cogitantem, teneris cum vitae periculo ei subvenire, modo prudenter judices, te illi profuturum; nemo enim tenetur ad opus prorsus inutile cum proprio gravi damno. — Econtra non teneris ad Indos convertendos navigare, cum sint alii, qui hoc facere possunt, et alias fructus sit incertus.

2. *Tenetur quisque succurrere proximo in extrema necessitate temporali cum magno quidem incommodo, non tamen ordinarie cum extremo.* Ita communiter. Hinc e. g. potes, si ex motivo virtutis fiat, sed non teneris alteri tempore famis cedere panem, tempore pestis inservire infecto, quamvis exinde tibi immineat periculum mortis. — Sed dixi: *ordinarie*, nam si proximus sit necessarius ad bonum commune, tunc ipsi succurrendum est in extrema necessitate etiam cum periculo vitae, quia bonum commune praeferendum est bono privato. Ita s. Thomas. 2. Pro extrema necessitate temporali.

3. *In gravi necessitate, sive spirituali sive temporali succurrendum est proximo cum mediocri tantum incommodo, secluso tamen justitiae, pietatis vel officii titulo.* Ita communiter. — Hinc nemo tenetur cum periculo vitae alios retrahere a peccatis, a quibus possunt ipsi se liberare per Sacramentum Poenitentiae aut contritionem perfectam, etiamsi in periculo vitae versarentur; secus autem dicendum, si judicari nequeat, posse illos actum contritionis elicere, ut 3. Pro gravi necessitate spirituali vel temporali.

---

[1]) S. Alph. L. III. n. 27.

sunt rudes aut peccatis assueti. — Econtra tenentur ex justitia pastores, scilicet episcopi, parochi, necnon coadjutores seu vicarii parochorum, cum vitae periculo subvenire ovibus in gravi necessitate constitutis, adeoque ipsis Sacramenta necessaria administrare, si adsit spes successus. — Item opera supererogationis, imo quandoque praecepta Ecclesiae possunt et debent omitti pro salute non solum spirituali, sed etiam corporali proximi. — Cfr. supra dicta.

4. Pro communi necessitate utriusque ordinis.

4. *In communi necessitate utriusque ordinis succurrendum est proximo cum incommodo levi.* — Sane succurrendum est, quia id amor proximi postulat; sed cum incommodo tantum levi, quia proximus satis facile ab illa necessitate sese expedire potest, vel quia non est ei nimis molesta. Non teneris autem omnibus in communi necessitate positis opitulari, hoc enim impossibile vel saltem nimis grave foret. Ita Bonacina, Elbel, Scavini etc.

5. Pro gravi necessitate spirituali communitatis.

5. *In gravi necessitate spirituali communitatis teneris ei subvenire etiam cum vitae periculo.* Ita communiter. Ratio est, tum quia bonum commune praevalet; tum quia necessitas gravis communitatis semper conjuncta esse solet cum extrema aliquorum privatorum. Hinc si in persecutione vel hostili invasione, vel tempore pestis, populus sit pastore vel aliis sacerdotibus necessariis destitutus, debes cum periculo vitae illi opitulari etc.[1])

§. 45. Exhibitiones generales caritatis proximi.

Caritas, tamquam virtus quascunque relationes, quae exstant inter nos et proximum, compenetrans, pro diversis aliorum indigentiis, diversas quoque formas induit. Potissimae vero contestationes generales caritatis sunt sequentes:

1. Affabilitas et comitas.

1. ***Affabilitas et comitas,*** sunt virtutes justitiae adnexae, quae procurant, ut conversatio cum proximo grata et decens sit, spectata conditione personae, i. e. neque nimis blanda, neque asperior. Praecipua harum virtutum officia sunt: omnes benigne audire, eosque libenter et benevole alloqui; interrogantibus humaniter respondere, quamquam importune aliquando esse videantur; obvios salutare et salutantibus vicem reddere, ex honoris et benevolentiae significatione, quam vel locorum consuetudo, vel amicitiae ratio aut dignitas postulat.

Oppositum.

Opponuntur affabilitati: per excessum adulatio vel *blanditia,* quae est nimia et indecora ad homines accommodatio; *per defectum* autem *asperitas* et *morositas*, quae proximis molestiam et taedium afferunt. Sunt *per se* peccata venialia; ex adulatione tamen non raro peccata mortalia fiunt.

Amicitia.

Ad affabilitatem etiam referri possunt: *amicitia,* quae est mutuus, manifestus et gratuitus amor inter personas, quae sibi invicem bene volunt, et se mutuo bonis cumulare cupiunt. Etiamsi obligatio non detur, amicum sibi quaerendi, tamen homo ingenuae

---

[1]) Cfr. s. Alph. L. III. Billuart tom. 8. Müller II. §. 28. Stapf II. §. 241. Marc II. n. 479.—484. etc.

indolis virtutisque studiosus operam dabit, ut verae amicitiae emolumenta sibi comparet. — Porro *urbanitas,* quae mores et actiones hominis dirigit, ut boni sint atque decori. Haec virtus illos praesertim decet, qui ad animarum curam vocati sunt. Urbanitas.

2. ***Pia sinceritas,*** qua benevolentiam erga proximum non verbis dumtaxat contestamur, sed bonum ipsius sine fuco et simulatione vere intendimus. Ejus opposita sunt: *fallacia, mendacitas, simulatio* vel *occultatio, nimia dissimulatio, adulatio, turpis assentatio* aut *servilitas.* — Sunt per se venialia. 2. Pia sinceritas. Oppositum.

3. ***Prompta officiositas,*** qua aliis nostra obsequia libenter exhibemus, eorumque utilitati deservire studemus. Ejusdem opposita sunt: *inofficiositas, commoditatis propriae studium immodicum; nimia officia obtrudendi pronitas, polypragmosyne,* seu alienis negotiis sese immiscendi libido; sunt per se venialia. 3. Prompta officiositas. Oppositum.

4. ***Misericordia:*** est virtus, quae inclinat ad compatiendum et sublevandum miseriam alienam. Quamquam igitur actus externos cum liberalitate eosdem saepe habet, tamen formaliter diversa est, cum honestatem illam respiciat, quae in sublevandis alienis miseriis est. 4. Misericordia.

Objectum igitur remotum sunt miseriae aliorum hominum, tum mala corporalia et temporalia, tum mala spiritualia et alterius vitae; *proximum objectum* materiale sunt actus illi, quibus aliorum malis succurritur. — Haec virtus imprimis est divini Numinis imitatrix, quum s. Scriptura innumeris locis testetur: „Universae viae Domini misericordia et veritas."[1])

Ejus *opposita* sunt: *indifferentia* circa alios, seu *apathia, antipathia, misanthropia, anthrophobia,* in quantum nempe ejusmodi naevi sunt voluntarii. Oppositum.

5. ***Hospitalitas*** in excipiendis peregrinis et advenis, quae antiquitus ubique gentium tanta religione observata fuit, ut ejusdem violatio maximis criminibus adnumeraretur; et hinc tum in veteri, tum in novo testamento enixe commendatur. Oppositum per se patet. 5. Hospitalitas.

6. ***Gratitudo:*** est virtus, inclinans ad compensandum receptum beneficium. Recompensatio autem fit: *affectu* per benignam accepti beneficii agnitionem seu aestimationem; ad hanc omnes statim post acceptum beneficium obstringuntur; *effectu* per gratiarum actionem et beneficii retributionem; haec fiant pro temporis opportunitate, et pro conditione aut facultate recipientis. 6. Gratitudo.

Oppositum gratitudinis est *ingratitudo,* quae est vel *formalis* vel *materialis.* Formalem ingratitudinem committit, qui beneficium vel animum benefactoris *contemnit, ne illi videatur esse obnoxius;* quod ex genere suo mortale peccatum est; attamen ut mortale sit ex se, requiritur *gravis contemptus.* Quare ipsa formalis ingratitudo veniale peccatum fit, vel ex imperfectione actus; vel secluso scandalo et gravi offensione, ex parvitate materiae; ipsam autem parvitatem materiae valde late Lessius explicat, docens, nisi alias Oppositum.

---

[1]) Psalm. XXIV. 10.

malignus animus subsit, non esse mortale, si beneficium alterius *temporale* et affectum benefactoris reputes minoris momenti.

Materialis ingratitudo est, absque contemptu officii gratitudinis illam omittere, seu nil rependere — quod tamen peccatum non est, nisi quis benefactori egenti succurrere possit; vel dissimulare beneficium, gratias non agendo — quod erga homines non est per se mortale, facilius tamen aliquod veniale; mortale fieri *potest* ratione offensionis; — vel nolle agnoscere beneficium, sed erga privatum hominem non videtur esse per se mortale; — vel *positiva actione* mala pro bonis retribuere, quod si ex beneficii contemptu fit, formalis est ingratitudo; alias sine dubio peccatum mortale aut non mortale est secundum rationem mali, quod infertur; ut autem *nova mortalis malitia* ingratitudinis accedat, excessus *valde magnus* esse debet, sive ratione actionis, qua benefactor laeditur, sive ratione beneficii, quod ingratus malis rependat.[1])

7. Studium pacis et concordiae.

7. ***Studium pacis et concordiae,*** ut nempe simus solliciti, cum illis, quibuscum convivimus et quotidie conversamur, servare „unitatem spiritus in vinculo pacis".[2]) Quare plurimum refert, ut servetur concordia, vel si turbata sit, quam primum restituatur. Unde notandum:

a) *Ut concordiam conservemus,* potissimum nobismetipsis invigilare, *affectus*que nostros strenue coërcere debemus, ne alios quocunque modo offendamus vel irritemus; dein in supportandis defectibus aliorum mansuetos, humiles, atque nisi rationes altiores obstent, ad cedendum faciles nos esse oportet.

Quantumcunque tamen pacis et concordiae studiosi esse debemus, tamen studium hujus boni suos limites habet. Non quovis pretio pax servanda est, sed „si fieri potest, et quod ex nobis est, cum omnibus hominibus pacem habeamus".[3]) — Absit, ut vel nefariis aliorum consiliis et conatibus in detrimentum regni Dei cedamus, vel ut perversis eorum placitis et moribus conniveamus. Talis pax revera non est pax, sed potius mollis ignavia, vel omnino vecors transitus ad castra hostilia.

b) *Quodsi concordia infeliciter turbata fuit, caritas instat, ut gliscens discordiae scintilla quam citissime exstinguatur.* Hinc ubi nosmetipsi aliis offensioni fuimus, nostrarum partium est, ut quantocius cum illis reconciliari studeamus; vel si alicui damnum vel injuriam intulimus, eidem omni meliori modo satisfaciamus.

Quod si nos ipsi ab aliis offensi vel laesi fuimus, eadem caritas jubet, tum ut ante omnia caveamus, ne sensu irritato aequilibrium mentis et sanum judicium turbetur, cujus est, ea, quae ab aliis minus recte fiunt, humanae potius infirmitati quam malitiae adscribere; tum ut veniam petentibus prompto et placato animo occurramus; imo ut eosdem pro circumstantiarum diversitate etiam *praeveniamus,* praesertim si offensio mutua

---

[1]) Cfr. Lugo de poenit. q. 16. n. 311. [2]) Eph. IV. 2. [3]) Rom. XII. 18.

fuit; — tum denique, ut in exigenda restitutione vel satisfactione benigni et indulgentes simus.

Quodsi ex rationibus altioribus juri nostro insistere, et plenam satisfactionem, vel etiam delinquentis punitionem urgere debemus, id non ipsius odio, sed ideo dumtaxat fiat, ut tum nostrae aliorumque securitati, tum ipsius peccantis emendationi rite consulatur.

Oppositum.

Opposita studii pacis et concordiae sunt: *studium dissentiendi* seu *discordia; contentio* seu pugna verborum; *studium rixandi; libido litigandi;* seu per fas et nefas causas controversas agendi; *inflexibilitas animi; pertinacia tenacitasque judicii; obstinatio animi*, et agendi *pervicacia; implacabilitas; nimia indulgentia; timiditas*, et animi *mollities*. Sunt vel mortalia vel venialia, pro gravitate materiae, et perfectione actus.[1])

§. 46. Dilectio inimicorum.

Praestantissima contestatio caritatis erga proximum est dilectio inimicorum, hinc decet illam specialiter considerare. Praeceptum diligendi inimicos non imponit quidem specialem obligationem, diversam ab illa, qua erga omnes homines tenemur; sed id tantum requirit, „ut quis diligens Deum et proximum, ab illa generalitate dilectionis proximi, inimicos suos non excludat.“[2]) At caritas erga inimicos quodammodo characterem et criterion caritatis genuinae constituit.

Inimicos dicimus, qui perduranti erga nos odio, seu affectu malevolo et nocendi studio ducuntur. Hinc ab inimicis distinguendi sunt tum *aemuli* seu *competitores*, qui sine odio ad idem nobiscum bonum tendunt, — tum *adversarii*, qui consiliis nostris obnituntur quidem, sed juste, vel tamen nonnisi ex erronea passione; tum denique illi, qui nobis non animo maligno, sed solum ex praecipitantia, inadvertentia, vel subito affectu abrepti, damnum intulerunt. De his ne gentiles quidem dubitarunt, utrum diligendi sint.

Quoad dilectionem inimicorum jam duo potissimum ventilanda sunt, scilicet: *obligatio hujus dilectionis*, et *modus huic obligationi satisfaciendi*.

I. Obligatio dilectionis inimicorum.

I. ***Obligatio dilectionis inimicorum:*** Est strictissimum officium, inimicum diligendi; id postulat:

a) Lex naturae, quia et inimici sunt proximi nostri, quos diligendos esse, jus ipsum naturale dictat.

b) Lex positiva divina: „Ego autem dico,“ ait Christus, „diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos“[3]) etc. — quibus verbis amor tum affectivus, tum effectivus erga inimicos postulatur.

---

[1]) Billuart tom. 8. Lehmkuhl II. n. 768. et sqq. Marc I. n. 402 seqq. Stapf §. 242. et 243., 248., 250. [2]) Cfr. s. Thom. 2. 2. q. 25. a. 8. [3]) Matth. V. 44.—45.

Quod Christus verbo docuit, etiam exemplo suo demonstravit, dum in cruce pendens sic orabat: „Pater, dimitte illis, non enim sciunt, quid faciunt.“[1])

c) *Ratio salutis propriae*, quia nonnisi sub hac conditione peccatorum nostrorum veniam impetrare possumus.

d) *Ratio salutis alienae,* et quidem tum *ipsius inimici*, cujus animam placabilitate lucrari possumus; tum *aliorum*, quorum scandalum et offensio, dum placabiles sumus, evitatur; imo *integrarum saepe communitatum*, quae ob mutua odia haud raro in factiones scinduntur et diuturnis litibus implicantur.

e) Denique ipsa *virtutis hujus nobilitas et praestantia* mentes nostras commovere debet; nam ut s. Chrysostomus dicit: „Nihil est, quod sic Deo similes nos faciat, quam malignis atque laedentibus esse placabiles.“[2])

II. Modus huic obligationi satisfaciendi.

II. ***Modus huic obligationi satisfaciendi:*** Praeprimis notandum est, quod hoc officium nullatenus exposcit:

a) *Ut nullam amaritudinem aut aversionem adversus inimicos nostros* ***sentiamus.*** „Sensus enim non est consensus,“ dicit s. Bernardus; hujusmodi etenim sensiones haud semper a nostra voluntate pendent, neque proinde rationem peccati habere possunt. Inde tamen concludi non potest, nos quoad tales sensus et motus prorsus indifferentes esse posse; sed potius ad nostras partes pertinet, ut sensum exacerbatum pedetentim sedare studeamus; quod fiet, si cogitatus nostros ab offensa nobis illata avertere, inimicorum facta quam mitissime interpretari, rationes, quibus ad condonandas illorum injurias provocamur, ad vivum nobis proponere, et quidquid nobis acciderit, cum pia resignatione Deo offerre satagimus. — Nec hoc officium poscit:

b) *Ut juribus nostris indiscriminatim cedamus;* etenim plena injuriarum *condonatio,* si universim praeciperetur, aliud non foret, quam privilegium hominibus improbis concessum, reliquos impune divexandi. Quapropter ut communiter dicunt, nemo tenetur inimico remittere satisfactionem debitam sive honoris, sive pecuniae; imo quisque potest adversus illum publica tribunalia adire, et actionem civilem vel criminalem instituere; *civilem* quidem eo tantum fine, ut damnum illatum compensetur; *criminalem* vero ex justitiae amore, ne crimina impunita maneant cum reipublicae detrimento; quamvis periculo non vacet, actionem criminalem adversus inimicos movere, eo quod pauci inveniantur, qui hac in re justitiam et commune bonum sincero animo spectent, et non etiam propriae vindictae cupiditatem explere velint. — Hinc si poenitens dicat, quod reparationem alicujus injuriae sibi illatae juridice petere cogitet, id quidem concedi potest cum admonitione, in ejusmodi lite deponendum esse omne

---

[1]) Luc. XXIII. 34. [2]) Homil. 20. in Matth.

odium et vindictae studium, et nihil quaerendum, nisi quod justum sit.

Quae vero lex Evangelica postulat, potissimum haec sunt:

Lex evangelica postulat: 1. Ut omne odium etc. deponamus.

1. Ne malevolum animum, odium aut vindictae studium adversus inimicos nostros voluntarie teneamus, utpote quod dilectioni directe contrariaretur. — Hinc dum contra inimicos jura nostra prosequimur, id nunquam ex odio aut studio nocendi fieri debet. Non tamen confestim peccatum, saltem grave, censendum est, si poenitentes de odio se accusant; saepe enim nonnisi naturali illo et invincibili amaritudinis sensu afficiuntur, qui, ut diximus, quandoque omni culpa vacat; — vel confundunt *odium inimicitiae*, quo aversamur aliquem, ipsique malum volumus praecise, quia ipsi malum est, cum *odio abominationis* seu qualitatis, dum nempe non proximum ipsum, sed malam qualitatem in ipso, e. g. luxuriam, superbiam, in inimico autem malignitatem ipsius odio habemus. — Unde peccat contra caritatem; qui ex odii affectu inimico malum optat, vel de damnis illatis laetatur; item qui petenti veniam ignoscere recusat, satisfactionem sponte oblatam non acceptat, vel justo majorem postulat; item qui proximum nimis premit, ita ut notabili cum detrimento suo cogatur minimo damno satisfacere; item si is, qui intulit injuriam, satisfecit, quod potuit, contra caritatem est, illum amplius urgere, ut faciat, quod non poterit; item absolvi nequit offensus, qui non, nisi damnis compensatis, remittere vellet offensori, qui tamen ob paupertatem nullo modo satisfacere posset.

2. Ut inimicos etiam efficaciter diligamus.

2. Ut inimicos etiam efficaciter diligamus, et quidem actibus tum internis, tum externis. Quoad actus internos requiritur, ut inimicis bona quaeque sincere apprecemur, atque tum ad reconciliationem cum ipsis, tum ad promovendam eorum salutem simus parati.

Quantum ad actus externos potissimum duo necessaria sunt:

a) Tenemur ad communia dilectionis signa et beneficia.

a) *Tenemur inimicis ex interno affectu exhibere communia dilectionis signa et beneficia*, qualia scilicet christianus christiano, civis concivi, cognatus cognatis, frater fratri, ordinarie praestare solet. Ratio est, quia illa, quae omnibus debentur, inimico denegare, esset manifestum signum odii atque vindictae. — *Excipe tamen*, si rationabilis causa adsit, ea denegandi ad tempus, e. g. in justam punitionem, vel debitam correctionem filiorum et subditorum; vel ob fundatum timorem, ne inimicus in sua malitia sit futurus obstinatior, vel incepturus rixas etc. seu brevius: quoties vel nostra, vel ipsius inimici utilitas id requirere videtur, — modo interius sit caritatis affectus, et scandalum aliorum excludatur. — Poenitens, qui inimico suo communia dilectionis signa absque justa causa exhibere recusat, non potest absolvi, donec officio suo satisfecerit, aut satisfacere paratus sit. — Hinc non licet excludere inimicos a communibus saltem precibus; imo, ut plures contendunt, speciatim pro ipsis orandum est, si timendum, ne odium perseveret; et

saepe tamquam remedium efficax pro poenitentia a confessario injungendum est. — Item non licet eos excludere a communibus eleemosynis, mercium venialium venditione, responsione et resalutatione; — imo si antea intercesserit mutua salutatio, vel si civilitas aut consuetudo eam exposcat, ipsa salutatio ad signa communia spectat. — Item ordinarie graviter peccant, qui inimicum declinant, praesertim si hic graviter ferat; vel qui invitati ire cum eo, ex animi aversione recusant; vel qui inimicum alloqui nolunt, licet possint et debeant. — Eo magis culpabiles sunt, qui asseverant, se nunquam verbum ei dicturos, aut in conspectum ipsius esse venturos, quia tales malam animi dispositionem in corde tenent. Tales plerumque absolvendi non sunt; nisi tamen hujusmodi metu rixarum aut novi rancoris, vel alia justa causa excusentur.

Quod attinet signa caritatis specialia, qualia e. g. sunt: aegrotos visitare, convivio recipere, obsequia extraordinaria praestare etc., *distinguendum est, an haec signa prius usitata fuerint, necne.* — *Prius usitata* generatim continuanda sunt; nam horum omissio aversionem voluntariam, imo animum reconciliationi impervium proderet. — *Signa prius inusitata* vero, *per se* tantum de consilio sunt et non debentur; ratio est, quia hoc ipso, quod sunt specialia, non teneris exhibere ea omnibus, ergo nec inimicis, cum ii non sint melioris conditionis, quam alii. Dixi: *per se;* nam exceptive hujusmodi signa inimico exhiberi debent, si nimirum id exigit ratio scandali vitandi, vel ratio spei, inimicum placandi, vel necessitas temporalis aut spiritualis inimici; attamen haec obligatio non urget cum gravi proprio incommodo. Ita s. Thomas, Alphonsus et alii omnes. — Hinc per se loquendo non teneris inimicum aegrotum invisere; moestum solari; ipsum hospitio recipere; familiariter cum eo agere; eum salutare, nisi mos obtineat, ut omnes indiscriminatim sese invicem salutent.

At vero *signa specialissima,* etiam antea usitata, nunquam inimico exhibere tenemur, cujusmodi sunt e. g. signa amicitiae specialis; nam tenemur quidem inimicos diligere, sed non *dilectione singulari,* qualis esse solet inter amicos.

b) Tenemur caritatem per inimicitiam violatam reparare.

b) Tenemur caritatem per inimicitiam violatam per reconciliationem reparare. — Quoad ordinem in reconciliatione facienda servandum naturalis aequitas dictat, ab illo, qui alium offendit, prius media reconciliationis adhibenda esse. Quapropter offensus inimicum *generatim non tenetur praevenire* ad ineundam reconciliationem, sed eidem exspectare licet, donec alter reconciliationem justis sub conditionibus exquisierit. — Haec tamen ita intelligenda sunt, ut odium et studium vindictae sollicite excludantur. — Quodsi offensio mutua et fere aequalis praecessit, qui prior offendit, prius reconciliationem quaerat; si vero fuit inaequalis, qui gravius offendit, praeire debet. — Ceterum reconciliatio fieri potest colloquio, variis officiis vel beneficiis praestandis, veniam a laeso petendo etc. Nec

tamen ante reconciliationem signa communia caritatis inimico denegari possunt, nisi fortasse ad tempus, ex justa causa, uti superius diximus.

Praedicta sunt de praecepto. *Consilio* de bono meliori in hac quoque causa amplissimus campus patet. Hujus *singularis* dilectionis specimina in gestis Sanctorum plurima referuntur, ita, ut inimicis signa benevolentiae etiam specialia exhibere, pro injuriis beneficia et preces reddere, atque dum offensi fuerunt, ipsimet prius reconciliationem quaerere consueverint. Eo magis nos pudeat, si ne ea quidem fecerimus, quae stricte praecepta sunt![1])

§. 47. Peccata caritati erga proximum generatim opposita.

Contra praeceptum caritatis proximi quis peccare potest jam ex *sola omissione*, prout contingit, si quis illa caritatis opera proximo denegat, quae ipsi in casu dato exhibere debet. Gravitas horum peccatorum, quae sub generico nomine *illiberalitatis* comprehendi possunt, dimetienda est ex diverso gradu necessitatis, in qua proximus versabatur; ex majori vel minori facilitate proximo subveniendi; necnon ex diversitate causae, propter quam proximo subvenire neglexìmus. Peccata illiberalitatis haud raro ad gravem culpam pertingere possunt, uti patet ex verbis Christi: „Discedite a me maledicti in ignem aeternum! esurivi enim, et non dedistis mihi manducare“ etc.

Caritati proximo debitae directe opponuntur:

1. ***Contemptus proximi,*** qui oritur ex judicio de vilitate proximi. Contemptus totalis proximi a mortali vix excusari poterit; idem valet de contemptu proximi relate ad specialem ejusdem characterem, e. g. contemptus parentis, sacerdotis, superioris, qui contemptus haud raro simul in contemptum Dei transit. — Contemptus tamen proximi propter certum ejusdem defectum, sive moralem, sive corporalem, e. g. propter deformitatem, peccatum veniale vix excedet. 1. Contemptus proximi.

2. ***Invidia:*** est tristitia de bono proximi, quatenus aestimatur ut malum proprium, scil. quatenus videtur minuere propriam excellentiam et gloriam. Invidus enim dicitur, quasi non videns, quia bona alterius sine tristitia videre non potest. 2. Invidia.

Sunt tamen et plures aliae causae, ob quas tristitia de bono alterius concipi potest, quas Christi fideles in accusatione sacramentali non raro confundentes omnes invidiam vocant. Scilicet:

a) tristari de bonis alterius, quibus utitur, ut mihi damnum inferat, non est invidia, et malum non est, nisi propter excessum;
b) tristari de bonis alterius, quia eis utcunque male utitur, non est invidia, neque malum, nisi propter excessum;
c) tristari de alterius bono, quia vere indignus est, non est in-

---

[1]) Billuart tom. 8. S. Alph. L. II. Müller II. §. 27. Lehmkuhl I. n. 621 sqq. Marc I. n. 500 sqq. Stapf II. §. 242 sqq. Staller II. tr. 1. §. 15.

vidia, neque malum, nisi forte divinam providentiam quodammodo accusem;

d) tristari de alterius bono sive promotione, eo quod ego revera inde malum patiar bonisque priver; si ita vere est, nondum est invidia, neque malum, modo ne ordo caritatis laedatur;

e) tristari non de eo, quod proximo bene sit, sed de eo, quod non ego potius boni illius — quum plures non possint, — particeps evaserim, invidia nondum est, neque per se peccatum, modo maneam inter limites justos ordinis caritatis. — Haec ultima affectio facile concipitur ab hominibus in quotidianis victus quaerendi occasionibus; quum venditores potius ad se velint attrahere emptores, quam ad alios. Si igitur affectus non transit in tristitiam de eo, quod alteri bene sit, non est, quod poenitentes condemnentur, nisi forte *immodice* sibi prae aliis divitias quaesiverint. Nihilominus melius et consultius semper est, ab omni tali tristitia mentem avertere, ne affectus primo innoxius, transeat in malum, atque rerum temporalium caducitatem considerare.

Invidia ut plurimum ex superbia ortum ducit, qui namque vanam gloriam appetunt, de bono aliorum contristantur, per quod quippe propria excellentia et gloria minui videtur. — Nihilominus tamen invidia ipsa est fons aliorum scelerum, proindeque inter vitia capitalia merito numeratur; imo dum fit de gratia divina, est *peccatum in Spiritum Sanctum.*

Invidia ex genere suo est peccatum mortale, quia directe opponitur caritati, cujus quippe est, de bono proximi gaudere; hinc refertur ab Apostolo inter peccata, quae a regno Dei excludunt; estque diabolicum scelus, „nam invidia diaboli mors intravit in orbem terrarum.“[1])

Filiae invidiae.

Filiae invidiae similiter mortales sunt ex genere suo, ac numerantur sequentes: *odium, detractio, gaudium de malo proximi, susurratio* et *contumelia.* — Ut plurimum autem haec peccata, aeque ac invidia, tantum venialia sunt ob parvitatem materiae vel imperfectionem actus.

3. Odium proximi.

3. ***Odium proximi:*** Odium seu malevolentia est perversus affectus animi, quo quis alteri aliquid *mali vult, quatenus eidem est malum;* seu est aversatio positiva proximi, conjuncta cum desiderio ipsius prosperitatem destruendi. — Hinc odium non est, ubi quis alteri malum aliquod vult, non *qua tale,* sed quatenus exinde bonum majus in illum vel in alios redundat; unde licitum est, malum temporale proximo desiderare ob bonum spirituale ipsius, vel ob bonum communitatis, vel ob bonum plurium multo majoris momenti, e. g. familiae; et proin licet optare, ut homines nefarii humilientur, ut criminosi justa poena afficiantur etc.

Odium duplex est:

a) Odium inimicitiae.

a) ***Odium inimicitiae*** seu personae proximi; est peccatum mortale ex genere suo, quia directe contrariatur caritati. Potest

---

[1]) Sap. II. 24.

tamen esse veniale ex parvitate materiae; ut si ex levi displicentia personae, leve malum proximo optetur; vel etiam ex imperfectione actus.

b) ***Odium abominationis*** *seu qualitatis* proximi; potest esse vel bonum, vel malum, prout qualitas ipsa, quae in proximo odio habetur, mala vel bona est. Hinc si oderis in proximo vitae sanctitatem, gratiarum dona, odium malum est, et ex genere suo peccatum mortale; — si autem odio habeas in proximo ejus peccatum, e. g. superbiam, avaritiam etc., odium bonum est, dum procedit ex amore benevolentiae erga Deum vel proximum. b) Odium abominationis.

Pro praxi notandum est, quod in confessione odii declarari debet: qualitas personae, quae odio habita est; numerus personarum et natura mali optati.

Manifestationes odii sunt vel *oris*, vel *operis*. Sub priori ratione occurrunt *imprecationes*, dum nempe quis proximo malum aliquod *qua tale*, sive verbis, sive scriptis, imprecatur; quod ubi quis sui sat compos et serio facit, a peccato nunquam omnino excusari potest, atque reatus eo major incurritur, quo gravius est malum, quo plures sanctioresque tituli simul violantur; dum e. g. filius proprio parenti, conjux conjugi etc. maledicit. His saepenumero scandalum accedit; sique hujusmodi imprecationes alieni in faciem, seu alio praesenti fiant, eidem etiam contumelia infertur. — Saepe tamen culpa gravis deest, vel ob parvitatem materiae, vel ob statum moralem notabiliter perturbatum; vel denique ex defectu seriae voluntatis ut scil. mala intentata eveniant; quod vero difficilius supponi potest, si inimicitia praecessit, et a fortiori, si dira maledicta modo imprecatorio, ex corde ira inflammato, jactata sunt. Praesertim imprecationes filiorum in parentes suos, etiam cum non adeo serio proferuntur, pietati filiali summopere repugnant. Manifestationes odii.

Maledicta contra animalia suapte indole tum solum grandescunt, ubi ex odio erga hominem aliquem, vel omnino erga Deum evomuntur. Dico: *suapte indole*, nam alia quaestio est, quid ratione scandali, irae, usurpationis sanctissimorum nominum etc. obtinet.

Denique notandum, quod odium saepenumero alios etiam damnis afficere studet, quae in totidem species abeunt, quot bonorum classes dantur.

4. ***Studium vindictae:*** Est studium pro malis, quae quis patravit, eidem paria reddendi. Equidem aeterna justitia severe petit, ut sontibus poena promerita infligatur; attamen ipsa inflictio poenae soli Deo reservatur, juxta illud: „Mihi vindicta, ego retribuam, dicit Dominus.“[1]) Deus vero potestatem *dominativam* et *coërcitivam* in legitimum magistratum contulit, qua in facinorosos animadvertat. 4. Studium vindictae.

Praeterea etiam parentes et superiores potestatem *domesticam*

---

[1]) Rom. XII. 17.

a Deo acceperunt, ut suos, quoties necesse fuerit, puniant et emendent. — Verum *privatorum vindicta* lege christiana regulariter omnino interdicitur; ratio inter alia est, quia per ipsam justitia destruitur potius, quam promovetur. Nam si privatis quibusque facultas concederetur, in eos, a quibus se offensos putant, pro arbitratu suo vindictam exercendi, non pro merito, sed secundum impetum irae et odii immissio poenae fieret; exinde vero adversarii ad novas et semper atrociores injurias provocarentur, atque sic jura inter homines in meras violentias et mutuas digladationes desinerent. Paucis: studium vindictae cum societate rite ordinata nequit componi; et hinc est ex genere suo grave peccatum licet saepissime tantum leve esse possit.[1])

§. 48. Officia justitiae erga proximum generatim.

Uti jam supra diximus, singuli homines possident personalem dignitatem et individualem independentiam, qua pro se quisque finem a Deo praestitutum prosequi, seque ut ens rationabile perficere *debet.* Unde ex *justitia* tenemur hanc alterius facultatem inviolabilem revereri et ex omni parte illaesam servare.

I. Notio justitiae.

I. ***Notio justitiae.*** Justitia *generatim accepta*, significat virtutum omnium complexum: *Justitia autem qua virtus specialis,* et simul *cardinalis, est constans ac perpetua voluntas jus suum cuique tribuendi.* Sicque definita comprehendit omnes virtutes morales, quae sunt ad alterum, i. e. ad Deum, vel ad proximum. Distinguitur triplex genus justitiae:

1. Justitia legalis.

1. ***Justitia legalis,*** quae ordinat partes ad totum, seu inclinat subditos ad reddendum communitati seu principi, quod ipsi debitum est propter bonum commune; e. g. ad leges servandas, ad onera publica ferenda, ad tributa solvenda etc. Vocatur *legalis*, quia pro objecto id habet, quod debetur communitati seu principi juxta legem naturalem vel positivam.

Motivum seu objectum formale est honestas, quae in eo conspicitur, quod singuli *ut partes* proportionate conferant ad bonum communitatis.

Objectum materiale sunt praecepta legesve supremae auctoritatis. — Quare haec virtus aliter est in subditis, aliter in principe; hic enim a justitia legali ex amore boni communis ad justas et convenientes leges ferendas determinatur; subditi ad leges illas implendas.

2. Justitia distributiva.

2. ***Justitia distributiva,*** quae ordinat totum ad partes, et inclinat principem seu ejus ministros, ad bona et onera juxta merita et vires subditorum distribuenda. Ad hanc quoque pertinet congrua punitio reorum in bonum publicum, quae dicitur *justitia vindicativa.*

---

[1]) Billuart tom. 8. Lehmkuhl I. n. 616. sqq. Müller II. §. 32 sqq. Marc I. n. 498. Stapf II. §. 248 sqq. Staller II. tr. 2. §. 16.

3. ***Justitia stricta seu commutativa***, quae ordinat partes inter se, et inclinat privatum, ad reddendum privato, quod ei stricte debetur, secundum aequalitatem rei ad rem; ita nempe, ut quantum acceptum fuit, tantum vicissim reddatur vel restituatur, nulla ratione habita ad circumstantias personae, vel loci etc.; ideoque servat *aequalitatem mathematicam*, seu absolute determinatam, dum justitia legalis et distributiva servant aequalitatem *geometricam* seu proportionis. — Dicitur haec justitia ideo *commutativa*, quia praecipue circa commutationes aliosque contractus versatur. Justitia commutativa perfecte participat de ratione justitiae, non item ceterae species, legalis nempe et distributiva. 3. Justitia stricta seu commutativa.

II. ***Objectum justitiae:*** est ***jus***. Jus in sensu strictiori, quo hic sumitur, significat rem justam, et communiter definitur: „facultas legitima aliquid habendi vel agendi". — Jus vocatur etiam illud, quod dicimus *meum et tuum*. Esse aliquid *meum*, seu habere me in aliquam rem jus, dicit, hanc ipsam rem ad me ita referri, mecum ita connexam esse, ut in ejus usu omnibus aliis praeferri debeam, neque me invito ullus alius eam invadere possit. *Res* autem latissime intelligitur, ut pro quovis, quod aliquid utilitatis afferre potest, sumatur. II. Objectum justitiae.

Jus multiplex distinguitur, et quidem: Divisio juris.

1. ***Ratione originis:*** *jus naturale*, quod in lege naturae fundatur, uti e. g. jus tuendi vitam, acquirendi dominium etc. — *jus positivum divinum*, quod a lege revelata descendit, e. g. jus Sacramenta suscipiendi etc. — et *jus humanum*, quod a lege humana sive ecclesiastica, sive civili emanat, unde duplex est, scil. *ecclesiasticum* et *civile*. 1. Ratione originis jus naturale, positivum divinum et humanum.

Jura naturalia sunt *innata* seu *primitiva;* jura positive divina et humana sunt *adventitia*.

Porro inter haec jura alia sunt *abdicabilia*, alia *inabdicabilia*, prouti aut cedi possunt, aut non possunt absque dispendio ultimi finis nostri, aut laesione jurium aliorum.

2. ***Ratione effectus*** distinguitur: *jus strictum seu proprie tale*, et *jus non strictum seu improprie tale*. *Jus strictum* dicitur facultas legitima aliquid habendi vel agendi, quod per se ordinatur ad proprium commodum, uti est e. g. dominium seu jus proprietatis — *το „meum et tuum"*. — *Jus non strictum* vocatur facultas legitima aliquid habendi vel agendi, quod principaliter ordinatur ad bonum commune; tale jus est, quod digni habent, munera seu officia communitatis obtinendi, vel jus superioris ex titulo jurisdictionis. 2 Ratione effectus jus strictum et jus non strictum.

Jus strictum duplex est, nempe *jus reale*, seu *jus in re*, et *jus personale*, seu *jus ad rem*. Jus reale et personale.

a) Jus reale seu in re, est illud, quod quis habet in re jam *sua*, seu jam obtenta. Tale est jus illius, cui tradita jam res est donata vel vendita. Hoc jus confert *actionem realem*, i. e. actionem, quae rem ipsam immediate attingit, quatenus ille, qui hoc jure gaudet, rem suam vindicare et repetere potest, ad quemcunque ea devenerit. — Jus in re potest esse *per-*

fectum seu illimitatum, et *imperfectum* seu secundum aliquid. Jus plenum seu *dominium perfectum* est jus stabile disponendi de rei utilitate et substantia, ita, ut homini sit facultas disponendi de re universaliter tamquam de sua. — *Jus imperfectum* adest, vel si alicui competit sola *radicalis* facultas de re tamquam de sua disponendi, quae tamen in actualem usum et utilitatem transire nequeat — dominium *directum;* — vel si dempta illa sola radicali facultate, ex qua homo „dominus" vocatur, *plena* facultas stabilis est percipiendi quamlibet rei utilitatem, habes *dominium indirectum* seu *utile.*

b) *Jus personale* seu *jus ad rem* (in rem) est illud, quod quis habet, ut *res fiat sua.* Hujusmodi est jus illius, cui res quidem promissa, vel donata, vel vendita, sed nondum tradita est. Hoc jus dat *actionem personalem*, i. e. actionem, quae personam immediate attingit; efficit nimirum, ut persona, quae abnuit vel impedit rei obtentionem, citari possit ad judicium seu judicem, atque per ejus sententiam cogi, ut rem vel ejus pretium tradat.

Quoad objectum juris in genere haec notanda sunt:

a) *Quilibet homo habet dominium utile circa bona sibi interna,* seu circa omnia illa bona, quae intrinsecus hominem constituunt vel perficiunt; quod ex eo patet, quia ejusmodi bona, i. e. *facultates et vires tum internas, tum externas* habet, ut iis utatur, easque exerceat, quo tendat vel melius tendat ad finem suum; quum ergo habeat obligationem, etiam facultatem iis utendi easque quodammodo administrandi habere debet.

Attamen in interna bona, quae hominem perficiunt, ut essentialiter homo sit, aut ut perfectius haec persona sit, *dominium* veri nominis, seu jus in eorum substantiam non habet; nam nemo suiipsius dominus seu superior esse potest; ergo in illa dominium non potest habere, quibus ipse constituitur, i. e. in facultates animae, rationem, voluntatem, memoriam, in vitam, in corporis membra.

In actiones autem seu operationes suas homo dominium exercet; eo ipso enim quod uti possit facultatibus ut suis, habet dominium in fructus earum, i. e. in operationes suas; nec quidquam est, quod tam intime homini connectitur, quodque tam plene suum ipse vocat, ut proprias operationes.

b) *Quilibet homo habet vel habere potest dominium plenum in bona externa fortunae;* seu jus proprietatis tamquam jus nativum homini vindicandum est. Ratio est, quia si solus usus rerum, non autem stabile jus disponendi homini naturaliter competeret, perpetuis timoribus esset expositus, stimulis laborandi careret, ad omnis generis artes, quae pro humana societate ornatissimae, utilissimae atque necessariae sunt, non excitaretur; paucis, omnis humana activitas et energia langueret et plane jaceret, imo dissidiis et rixis omnia replerentur, perfectior culturae status impossibilis evaderet.

c) *Quilibet homo habet jus plenum seu dominium in famam*

suam; id ostendit omnium persuasio, qui putant sibi summam fieri injuriam famae laesione. Quare homo ex justa causa etiam famae laesionem condonare, et se ipsum diffamare potest, uti jam antea dictum est.

d) Homo in alios homines plenum dominium habere nequit; jus autem in alterius labores et operationes aliorum habere, per se quidem non repugnat; at etiam ejusmodi jus plenum et illimitatum saltem minus decet dignitatem humanam. Quare servitus sensu ethnico prorsus repugnat recto ordini; item etiam servitus sensu moderatiore gravissimam injuriam continet, si injusta via inducitur, aut si ultra justos limites exercetur; et tandem, etsi intra justitiae limites omnino coërcetur, legi christianae minus conformis est.

III. Obligatio justitiae.

III. ***Obligatio justitiae:*** *Justitia tum legalis, tum distributiva, tum commutativa obligat sub gravi per se, et commutativa insuper cum onere restitutionis.* Ratio primae partis est, quia jus suum unicuique tribuere, quod pertinet ad justitiae munus, per se est aliquid grave et valde necessarium ad bonum tum publicum, tum privatum servandum et promovendum. Ratio secundae partis, quia obligatio restituendi, ut infra dicetur, tunc obtinet, quando jus strictum est violatum; atqui, jus strictum violatur justitiae commutativae violatione.

Econtrario laesio justitiae tam legalis quam distributivae *per se* non inducit obligationem restitutionis, quia per illam jus strictum alterius non violatur. Dico: „*per se*“, etenim *per accidens* etiam ex violatione justitiae legalis vel distributivae onus restitutionis exurgit, scilicet, quando eis per pactum explicitum vel implicitum justitia commutativa consociatur.

Determinatio gravis materiae quoad justitiam commutativam fieri debet, tum ex damno illo privato, quod alteri infertur, eumque prudenter reddit graviter invitum; tum ex damno et periculo quod bono publico, publicaeque securitati inferretur, si impune id agere liceret. Jus singulorum enim servare illaesum postulatur ex duplici causa tum propter singulos homines, tum propter humanae societatis tranquillitatem.

Quoad alias species justitiae gravitas materiae alio modo mensuratur; scil. *legalis justitia* sub gravi obligat, si lex, prout communiter eam interpretantur, graviter praecipit. — *Justitia distributiva* materiam longe graviorem requirit, ut gravis sit deordinatio. Idem valet, si *sola* vindicativa justitia laeditur, quod obtinet, si in justa poena imponenda deficitur; nam si exceditur in justa poena, etiam commutativa justitia erga reum violatur.[1])

§. 49. Peccata justitiae in genere opposita.

Justitiae generatim opposita est *injustitia*, quae est inclinatio ad non tribuendum unicuique jus suum. In specie: laesio justitiae

---

[1]) Cfr. Lehmkuhl I. n. 748 sqq. Marc I. n. 398. Müller II. §. 92 sqq.

commutativae dicitur: *injuria;* violatio justitiae legalis: *injustitia illegalis;* et violatio justitiae distributivae vocatur: *acceptio personarum.*

I. Injuria.

I. ***Injuria:*** est *violatio juris alieni.* Injuria est vel *positiva* vel *negativa*, prout aliquis eam infert sive commissione, agendo contra jus alienum, sive omissione, omittendo facere, quod alteri stricto jure debetur; porro injuria dicitur *materialis*, si laesio juris alieni est involuntaria; *formalis* est injusta actio vel omissio cum animo nocendi directe vel indirecte: *directe*, si nocumentum intendatur; *indirecte*, si praevideatur, cum ponitur causa, et permittatur.

Requisita ad injuriam. 1. Ut sit involuntaria ex parte patientis.

Quoad injuriam jam haec principia sunt tenenda:

1. Ad rationem injuriae, sive materialis sive formalis, requiritur, ut sit *involuntaria ex parte patientis,* i. e. contra rectam ejus voluntatem; nam: „Scienti et consentienti non fit injuria," ut dicit regula juris 27. Ratio est, quia qui potest et vult juri suo cedere, non retinet illud, ac proinde nulla ei infertur injuria. — Illi autem fit injuria, qui suo damno non libere, sed ex vi, dolo, metuve injuste incusso consentit, sicut et illi, qui suo juri renuntiare non potest, eo quod aliqua lex vel jus alterius obstant; hoc enim in casu jus revera violatur. — Hinc e. g. injuria afficitur, qui metu intentatae mortis adactus, porrigit pecuniam latroni, vel mutuatarius solvens usuras ex metu mortis; item fit injuria clerico, qui percutitur, etsi consentiat, quia hic non potest renuntiare privilegio canonis, quod ad statum clericalem spectat; — item fit injuria marito mulieris moechantis, etsi ejus adulteria approbet, quia obstat jus Sacramenti, quod prorsus inviolabile est; unde etiam ab Innocentio XI. damnata est sequens propositio: „Copula cum conjugata, consentiente marito, non est adulterium, adeoque sufficit, in confessione dicere: se esse fornicatum." — Similiter injuriam a tortoribus passi sunt martyres, licet mortem libenter pertulerunt, quia non renuntiarunt juri ad vitam, quod abdicare non potuerunt.

2. Ut sit voluntaria ex parte agentis.

2. Ad rationem injuriae formalis requiritur praeterea, ut sit *voluntaria ex parte agentis;* ratio enim primaria injuriae formalis est animus nocendi, cum injuria sine tali animo sit solummodo materialis. Hinc injuria formalis non patet latius, quam animus nocendi; item non patet latius, quam cognitio vel aestimatio damni, quia voluntas eligere nequit, quod penitus et invincibiliter ignorat.

Injuria itaque *formalis* non est aestimanda ex damno subsecuto, sed *ex cognitione damni*, saltem in confuso praevisi; et sic fieri potest, ut ipsa existat minor damno, e. g. qui destruit gemmam pretio decem florenorum, quam putat non valere nisi quinque, injuriam quinque tantum florenorum infert, et ceteri quinque ad injuriam tantum materialem referendi sunt.

3. Gravitas injuriae.

3. Injuria est peccatum *grave ex genere suo*, quia adversatur graviter rectae rationi, bono ordini et lege divinae. Admittit ergo parvitatem materiae. — Gravis censetur ea materia, quae ex natura sua, vel ex communi hominum aestimatione, apta est ad

causandam gravem alteri tristitiam, difficile sedandam, seu ad caritatem mutuam dissolvendam; porro gravis est ea materia, quae proximo grave damnum infert.

Ceterum proximo injuria inferri potest etiam per actum mere internum, quia etiam per hujusmodi actum jus alterius revera laedi potest, uti e. g. per judicium temerarium. Nec tamen facienda est in hoc casu restitutio seu externa reparatio, sed sufficit, ut inconsideratum judicium deponatur.

Ultimo notandum est, quod tot sunt *species injuriarum*, quot sunt bona aut jura, in quibus laedi potest proximus. Bona autem, in quibus laedi potest, sunt quadruplicis generis:

a) bona *vitae*, corporis scil. et animae; *b)* bona *pudicitiae*; *c)* bona *famae et honoris*; *d)* bona *fortunae*; de quibus omnibus infra fusius tractatur.

II. ***Injustitia illegalis:*** justitiae legali opponitur nempe: II. Injustitia illegalis.

1. *Materialiter*, omnis transgressio legum.

2. *Formaliter*, et tamquam speciale peccatum, *contemptus legis*; vel boni communis, sive ex parte privatorum, quando ex proposito agunt contra illud, uti e. g. *Internationalistae*, *Nihilistae*, *Socialistae*, *Francomuratorii*; sive ex parte principis et aliorum praepositorum, quando bonum commune, quod periclitatur, negligunt, vel illi bonum privatum anteponunt.

III. ***Acceptio personarum:*** opposita est justitiae distributivae; quae, uti jam dictum est, saepe etiam justitiam commutativam violat. Hinc: III. Acceptio personarum.

1. Graviter peccat contra justitiam distributivam superior, qui non distribuit fideliter bona communia; verum etiam peccare potest contra *justitiam commutativam*, et quidem in sequentibus casibus:

a) Si proponat *concursum*, et obligat se ad dandum officium vel beneficium publicum *digniori* ex concurrentibus; tunc enim peccat contra justitiam commutativam; si digniorem omittat, propter pactum saltem implicitum. Similiter:

b) Si conferat beneficia vel officia *indignis*, relictis *dignis*; tunc enim violat justitiam commutativam erga Ecclesiam vel rempublicam, propter pactum implicitum, quo se obligavit Ecclesiae vel reipublicae, ad procurandum ejus bonum et impediendum ejus malum.

Inde facile colligitur, quandonam iniquus beneficiorum vel munerum publicorum distributor obstringatur ad restitutionem. Scilicet *non tenetur* ad restitutionem superior, qui *minus digno* officium societatis contulit, et quidem nec erga praetermissum digniorem, nec erga communitatem; dignioris enim jus strictum non violavit; communitas vero aliud exigere nequit, nisi ut *indigni* ab officiis arceantur. — *Excipe tamen casum*, quo beneficium confertur *per concursum*, ut supra diximus; in hoc quippe casu dignior acquirit jus ad rem, et superior, qui eligit minus dignum, tenetur ad restitutionem erga digniorem praetermissum.

Superior, qui *indigno* contulit beneficium, non tenetur quidem ad restitutionem erga dignum praetermissum, nisi in casu concursus, sed *tenetur ad restitutionem erga communitatem*, propter pactum implicitum, quo superior se obligavit, communitati ad impediendum ejus malum, proindeque ad non eligendos ministros indignos, ut supra habitum est. Ita s. Alphons.

2. *Graviter contra justitiam vindicativam* peccat superior, non puniendo reum gravis delicti, si advertat, ex impunitione delicti augeri audaciam improborum, rempublicam turbari etc. — Imo peccat etiam *contra justitiam commutativam*, et consequenter ad restitutionem tenetur, quando propter gravem negligentiam in puniendo causa est, quod privati vel communitas grave damnum patiantur. Ita s. Thomas.[1])

Articulus II.

Officia specialia erga proximum.

Praenotanda.

Postquam caritatem et justitiam erga proximum generatim spectavimus, jam ad obsequia, illi debita, specialia descendamus. Perfectio et felicitas hominum partim ab animi, partim a corporis, partim a rerum et conditionum externarum statu integro pendet. Hinc sub triplici hoc respectu etiam obsequia caritatis et justitiae erga proximum speciatim definienda sunt, ut omnium dignitas undequaque salva et incolumis servetur. — Unde et officia specialia erga proximum triplicis classis sunt; attinent scilicet vel *animum*, vel *corpus*, vel *statum externum* aliorum hominum.

A. Officia specialia erga animum proximi.

Praenotanda.

Officia, quae ad animum et ad indigentias spirituales proximi pertinent, vel ejusdem *intellectui*, vel *voluntati*, potissimum debentur. *Intellectum* prae reliquis respicit officium *veracitatis* in asserendo et promittendo, cui vero etiam *fidelitas* in promissis exequendis sociata sit, necesse est. — Relate ad *voluntatem* proximi, ejusdem perfectionem juvare, nulloque modo turbare oportet; hinc alios *bono exemplo* ad honestatem concitare, et ab hoc deficientes *amica monitione* seu *correctione fraterna* ad saniora consilia reducere oportet; unde etiam minime fas est, eos nullo modo ad prava vitae exempla seducere, et proin non solum *scandala*, sed et *cooperationes ad malum* omnino vitandae sunt.

---

[1]) Cfr. s. Alph. L. III. Lehmkuhl I. n. 761 sqq. Marc I. n. 722 sqq. Müller II. §. 121.

§. 50. Officium veracitatis et fidelitatis.

Manifestum est, veram, quam in omni homine suspicere oportet, dignitatem et perfectionem, in animo ejus sitam, atque illum ex parte hac maxime nobis venerandum esse. Quare vera aliorum caritas in nobis non datur, nisi in illis et rationis et libertatis, et virtutis et felicitatis dona atque jura, quibus utique pollent, revereamur et tueamur, atque nostram operam, quantum licet, conferamus, ut praeclarae animi dotes in homine quolibet conserventur et suo modo excolantur. Hinc praeprimis ad officii hujus partes pertinet, ut intellectualem hominis cujuslibet naturam tueri et perficere studeamus, veritatem illi communicando, eundem ad omne utilis cognitionis genus instituendo, eumque errore, quantum licet et sat est, depellendo; atque id caveamus maxime, ne vi illata corpori aut mala arte quaecunque naturales intelligentiae vires in ullo homine vel subplantemus vel destruamus.

Intellectus hominis factus est ad *veritatem*, hinc rationalem obtutum hominis a veritate nunquam directe detorquere licet. Unde erga proximum praeprimis *veraces* esse debemus.

I. Veracitas.

I. ***Veracitas*** est virtus, qua inclinamur ad verba et facta menti nostrae conformanda. — Est pars potentialis justitiae; nam aliquando in altero, ad quem loquor, jus seu exigendi facultas esse potest, ut verum ei pandam, aut ne cum suo damno decipiatur; quare non raro officium veracitatis ab ipsa justitia exigitur.

Veracitas dicitur etiam *simplicitas*, in quantum non aliud praetendit, et aliud intendit, ergo duplicitatem excludit, qua scil. quis aliud habet in corde, et aliud ostendit exterius. S. Thom.

Objectum materiale et formale.

Objectum materiale hujus virtutis sunt signa externa, vel verba, vel facta, quibus mentem nostram patefacimus proximo nostro.

Objectum formale est specialis honestas in eo relucens, quod lingua menti, facta dictis concordant. Lessius.

Officium veracitatis ergo est: amare veritatem in dictis et factis; — cavere, ne quid contra judicium mentis dicatur; — pandere aliis mentis judicium, at non semper, sed pro circumstantiis; — inquirere rei veritatem, si quid absolute affirmandum aut negandum est; — et sequi promissa.

Momentum veracitatis.

Officium veracitatis est gravissimi momenti, a lege naturae et Evangelica expresse praescriptum; veracitas etenim debetur Deo, qui est veritas; *proximo*, cujus intellectus ad veritatem factus est; *nobismetipsis* ex eadem ratione; et *societati humanae*, quae sine ipsa subsistere non potest.

II. Fidelitas.

II. ***Fidelitas:*** est virtus, qua in iis, quae aliis promisimus, nobis firmiter et integre constamus. Id praeter modo allatas rationes, etiam *character*, vel *rectitudo* et *constantia virilis* postulat. — Quodsi promissio ab altero rite acceptata fuerit, illius complementum etiam justitia stricte talis exigit; ubi accedit juramentum, obligatio novo vinculo, eoque religionis confortatur.

Prout vero caritas postulat, ut veraces et fideles simus, ita vicissim petit, ut aliorum verbis *fidem*, promissionibus *fiduciam* adhibeamus. Sic demum, ubi veracitas et fides, fidelitas et fiducia mutuo sibi occurrunt, sociale hominum commercium, imo et regnum Dei prospere florebit.

III. Limites horum officiorum.

III. ***Limites horum officiorum:*** Licet veracitas atque fiducia summi momenti sint, nihilominus ad officia tantum hypothetica pertinent.

Simplicitas, ut s. Ambrosius monet „cauta esse debet et provida, ut noverit, quid cavendum sit. Neque enim otiose dictum est: estote astuti, sicut serpentes, et simplices sicut columbae.“[1]) Et s. Chrysostomus: „Hoc est enim philosophiae culmen, simplicem esse cum prudentia.“[2])

Veracitas tantum abest, ut petat communicationem indiscretam omnium eorum, quae vera sunt, ut potius multa aut prorsus sileri, aut nonnisi magna cum circumspectione communicari debeant. — Pari modo *fiducia* erga alios habet suos limites Etiamsi enim „caritas non cogitat malum,“ — „vide tamen, cui fidas!“ Redemptor noster ipse monet: „Cavete autem ab hominibus.“[3]) — Haec cautio non tantum circa res spirituales, sed et circa res nostras temporales opus est, ne circumferamur dispoliemurque astutia et nequitia hominum; „totus enim mundus in maligno positus est.“ — Absit tamen, ut cautionem ultra, quam necesse est, extendamus, neve vanis suspicionibus detineamur, aut ob compertam multorum perfidiam, omnem erga homines fiduciam abjiciamus.

Sunt vero limites harum virtutum: *taciturnitas* et *reticentia*,

1. Taciturnitas.

1. ***Taciturnitas*** est virtus, quae prudentem parsimoniam verborum expetit. Negotium taciturnitatis constituit ergo justa refrenatio linguae; res tum summi momenti, tum perquam difficilis. „Mors et vita in manu linguae;“[4]) et „si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir“![5]) Quanti momenti est ergo *silentium!*

2. Reticentia.

2. ***Reticentia*** est virtus prohibens, ne notitias divulgemus, quae audientibus periculosae vel nocivae videntur, aut quae ratio officii communicare vetat. — Potissimum vero officium tum taciturnitatis tum reticentiae postulat:

a) Nil pandatur, quod proximum peccandi periculo exponit.

a) *Ne pandatur, quidquid ex comperta proximi fragilitate, eundem peccandi periculo exponit.* Sub hac consideratione taciturnitas et reticentia non tantum prohibet, ne aliis doctrinis perversis, vel verbis scandalosis etc., ruina spiritualis adducatur, sed huic inde etiam in munere pastorali, ac praesertim in ipso s. tribunali locum habet, quoties nempe solide timendum est, ne, quae hucusque non nisi *materiales transgressiones* fuerunt, accepta instructione *transgressiones formales* fiant; uti in Theologia pastorali fusius dicetur.

---

[1]) In Psalm. XXXVI. [2]) Homil. 62. in Matth. [3]) Matth. X. 17. [4]) Prov. XVIII. 21. [5]) Jacob. III. 2.

b) *Ne prodantur „arcana", quae et quatenus illa celari oportet;* id quod prudentia etiam in causa propria saepenumero jubet, ne scil. homines improbi simplicitate nostra abutantur; in causis vero aliorum, caritas, justitia, fidelitas eo fortius imperat. — b) Non prodantur arcana.

Distinguitur vero triplex arcanum, seu secretum.

α) ***Secretum naturale,*** quod ab ipsa natura imponitur, puta si quis casu rem occultam sciat, servari debet ex justitia, ubi ex manifestatione graviter alter laederetur in fama vel bonis fortunae; nemo tamen regulariter illud servare tenetur cum gravissimo incommodo, nisi ex revelatione immineat damnum commune grave. — α) Secretum naturale.

β) ***Secretum promissum*** *est illud,* ad quod ex promissione spontanea obligamur. Hoc secretum igitur habetur, si quis alteri promittat, se rem jam antea sibi cognitam non revelaturum esse. Obligat juxta intentionem promittentis, et quidem sub levi, si ex mera fidelitate promittatur; si vero ex justitia, sub gravi vel levi pro ratione materiae. Sed notandum, secretum promissum nullo modo obligare in iis casibus, in quibus aliis rem manifestare teneris. Unde judici legitime interroganti debes testari crimen alterius, etsi illud celare promiseris; nec ipsum juramentum promissioni adjectum obest, quia promissio etiam jurata non potest derogare obedientiae, judici vel superiori debitae. — β) Secretum promissum.

γ) ***Secretum commissum*** seu communicatum, est illud, quod sub fide silentii ab alio concreditum est, vel quo quis tenetur secretum servare, quia muneris seu officii susceptione, per pactum tacitum vel expressum ad id se obligavit, ut contingit in consiliariis principis, advocatis, medicis, parochis, confessariis, vel in iis, quibus consilii, solatii, auxilii causa secreta committuntur. — γ) Secretum commissum.

Hoc secretum (Amtsgeheimnis) dicitur etiam *rigorosum,* et strictius urget, quam secretum naturale et promissum, et quidem *sub gravi per se ex justitia,* quia praeter obligationem naturalem adest etiam obligatio ex contractu suscepta. Unde dicunt, hoc secretum non posse licite revelari etiam legitime interroganti, sed respondere debes, te nihil scire de hac re, quia sic scire perinde est, ac ignorare. In quo non refert, utrum secretum sit *expresse,* vel *tacite* commissum.

Obligatio servandi secretum cessat in sequentibus casibus: — Cessatio obligationis servandi secretum.

α) *Consensu recte praesumpto illius, cujus interest, secretum occultare.*

β) *Si arcani divulgatio jam aliunde facta sit,* quae tamen divulgatio certa esse debet.

γ) *Ex justa causa,* seu quoties secreti occultatio cum officio altioris ordinis colliditur, nempe: si servare secretum verteret in damnum commune; vel si verteret in damnum alicujus privati innocentis; vel etiam ipsius committentis; vel

si occultatio arcani verteret ad grave damnum illud recipientis, ergo ad grave damnum proprium, et quidem etiamsi inde alteri immineat periculum mortis, modo illud sine vi et fraude exceperit, quia nemo tenetur cum tanto proprio incommodo damnum proximi vitare, et non praesumitur, quis ad tale onus se obligasse, nisi ex circumstantiis id certe appareat. Est sententia communior et probabilior juxta s. Alphonsum.

Ratio desumitur ex ordine caritatis. Ex dictis colliges, Superiori praecipienti revelationem secreti, subditum teneri obedire, si agatur de peccato committendo, quod aliter impedire non potest; non teneri autem, si agatur de peccato commisso, ex quo nullum amplius cuiquam imminet detrimentum, aut de aliquo faciendo nemini nocivo.

Ultimo notandum, quod aliquando etiam urget gravis obligatio secretum revelandi, sive naturale, sive ex contractu — excepto semper sigillo sacramentali — praesertim si bonum publicum manifestationem postulat; quia jus naturale vel obligatio titulo contractus vel fidelitatis suscepta, adstringere nequit cum detrimento reipublicae vel religionis.[1])

§. 51. Peccata praedictis officiis opposita.

Recensitis officiis sequentia peccata opponuntur:

1. Mendacium.

I. ***Mendacium*** seu ***falsiloquium:*** est locutio contra mentem sive verbis sive factis. Videlicet ad mendacium tria concurrunt: voluntas dicendi falsum; locutio et significatio contraria judicio mentis; ex quibus plerumque sequitur deceptio proximi. Sed neque deceptio, neque decipiendi voluntas ad essentiam mendacii requiritur, ut patet ex eo, qui mentitur, *ne convinci possit,* quamquam scit, alterum minime credere; qui vero decipere vult sua locutione, semper mentitur. Ita Lehmkuhl contra Linsenmann.

Hinc mendacium non est, si dicitur falsum ab eo, qui putat esse verum — hoc est error; econtra mentitur, qui verum dicit, quod falsum reputat, non enim veritati, sed veracitati mendacium directe opponitur. Item non sunt mendacia locutiones tropicae, ironicae et hyperbolicae, quae ab audientibus facile percipi possunt; multo minus parabolae sunt mendacia, quibus tam frequenter Dominus usus est.

Divisio mendacii.

Distinguitur triplex mendacium, *jocosum, officiosum, damnosum. Mendacium jocosum* est, quod causa voluptatis vel recreationis admittitur; — *officiosum,* quod fit ad propriam vel alienam utilitatem; huic subordinatur: *mendacium necessitate extortum,* quod fit, ut quis se vel alios ex certis angustiis expediat; — *damnosum* est illud, quo injustum damnum alicui infertur: ideoque etiam restituendi obligationem inducit.

---

[1]) Cfr. s. Alph. L. III. Billuart tom. 10. Lehmkuhl I. n. 1196 sqq. Marc I. n. 1184 sqq. Stapf II. §. 251 sqq. Staller II. tr. 6. §. 9.

Quoad mendacium jam haec valent principia:

Principia quoad mendacium:

1. Mendacium semper est peccatum.

1. ***Mendacium semper est peccatum, quia intrinsece malum absolute,*** ideoque ne vitandae quidem mortis causa admitti potest. Patet ex s. Scriptura et Traditione; mendacium enim naturalem institutionem et finem locutionis pervertit, et ordinem societatis in mutuo hominum commercio misere perturbat.

2. Mendacium est peccatum mortale vel veniale.

2. ***Mendacium peccatum est vel mortale vel veniale.*** — Mendacium, ut repugnat veracitati, tantum veniale est; in hoc enim est tantum inordinatio levis; potest tamen mortale esse propter oppositionem ad aliam virtutem. Hinc e. g. mortale est mendacium conjunctum cum gravi injuria in Deum, aut cum gravi damno proximi, sive spirituali sive temporali. Quodsi in rebus fidei et morum proximus inducitur per mendacium in errorem, ejusmodi mendacium non solum repugnat caritati, sed etiam virtuti fidei et religionis et justitiae. — Mendacium officiosum et necessitate extortum, per se veniale non excedit; a fortiori id etiam de mendacio jocoso dicendum; imo hoc interdum omni culpa vacare dicunt, quoties nempe intentio jocandi ita patet, ut facillime ab auditoribus percipi possit, sive ex re ipsa, quae dicitur, sive ex circumstantiis; in tali casu, ajunt, mendacium proprie dictum non occurrit, siquidem falsa materialiter tantum proferuntur.

3. Mendacii culpa vacat:

3. ***Culpa mendacii vacat: sermonis ambiguitas et restrictio sensibilis.***

a) Sermonis ambiguitas.

a) ***Sermonis ambiguitas,*** seu aequivocationes, amphibologiae; dum scilicet vel singula verba, vel ipse sermo sensum duplicem habent, unum magis obvium, alterum minus; aut etiam unum litteralem, alium spiritualem; sic e. g. Abraham Saram, uxorem suam, dixit esse „sororem“; omnes nempe sumus fratres et sorores, quia omnes ab Adam et Eva descendimus; vel etiam, quia in sensu biblico sub nomine fratrum, sororum intelliguntur non solum stricte tales, sed etiam proxime consanguinei et conjuncti.

Attamen uti amphibologia, *humano modo non perceptibili,* non licet; hoc esset simpliciter mentiri; eadem vero uti modo quidem perceptibili, sed non urgente justa causa, repugnat sinceritati.

b) Restrictio late mentalis.

b) ***Restrictio mentalis sensibilis:*** Restrictio mentalis est actus mentis, quo quis suum sermonem ad sensum alium, quam naturalem et obvium restringit seu detorquet. — Restrictio mentalis duplex distinguitur:

α) ***Restrictio pure seu stricte mentalis,*** si ex nullis adjunctis mens loquentis intelligi potest. Haec restrictio, quae etiam *proprie mentalis* dicitur, nunquam licita est; nec a potiori licet unquam cum eadem jurare; ratio in promptu est; sic enim loqui putidum est mendacium; confirmatur ultra ex propositionibus 26., 27., 28. ab Innocentio XI. damnatis. De hac loquendi fallacia etiam s.s. Literae monent: „Labia tua

ne loquantur dolum;"[1]) et: „Qui sophistice loquitur, odibilis est."[2])

β) ***Restrictio late seu improprie, non pure mentalis,*** si sensus verborum ex modo vel usu loquendi, vel ex aliis circumstantiis percipi potest. Et hac restrictione uti ex justa causa, sicut et verbis aequivocis, ex quibus mens loquentis intelligi potest, licitum est. Etenim hujusmodi restrictione uti, non est mentiri, quia deceptio audientis non intenditur, sed tantum permittitur; ac praeterea sensus loquentis ex adjunctis satis percipi potest, licet forte ex defectu advertentiae ab audiente non percipiatur. Adde, quod ad bonum societatis requiritur, ut medium habeatur honeste celandi secretum magni momenti; aliquando autem aliud medium non suppetit praeter illam restrictionem. Unde etiam Dominus N. J. Chr. ipsa hac restrictione usus est;[3]) idem legimus de nonnullis Sanctis, e. g. de s. Athanasio, s. P. nostro Francisco, qui interrogatus a latronibus, num quidam per viam, in qua erat, transiisset, positis manibus inter manicas vestis, respondit: nullus huc transiit. — Concordant s.s. Patres et Theologi omnes.

Ut vero liceat uti restrictione non pure mentali, requiritur:

α) *Justa et proportionata causa;* quia si usus talium restrictionum promiscue fieret, nemo posset aut vellet alteri fidem habere; unde non posset non grave damnum vitae sociali exoriri. Justa autem causa juxta s. Alphonsum esse potest quicunque finis honestus ad servanda bona spiritui vel corpori utilia, vel etiam ad se liberandum ab importuna et injusta interrogatione.

β) *Ut omnino absit intentio decipiendi.*

γ) *Ut interrogans jus non habeat, veritatis communicationem a nobis exigendi,* quia illi juri respondet in subdito obligatio, veritatem sine aequivocatione manifestandi, saltem regulariter, uti e. g. superiori, judici, legitime et juridice interroganti.

δ) *Ut non laedatur justitia commutativa,* uti fieret, si quis e. g. in ineundis contractibus uteretur tali restrictione.

Ultimo notandum quod, quando licite utor restrictione non pure mentali, etiam, *pro gravitate causae,* cum tali restrictione mihi jurare licet, uti jam alio loco diximus.

Hinc possunt uti restrictione late mentali: omnes personae publicae interrogatae de rebus suae fidei commissis, ut sunt ministri et legati principum, secretarii, duces exercituum etc. — Confessarius affirmare potest, etiam juramento, se nescire peccatum auditum in confessione, subintelligendo *ut hominem* vel *ad manifestandum.* — Quoties tenetur aliquis occultare infamiam alterius, licite dicit: nescio! nempe scientia communicabili. — Reus a judice *non juridice* aut *non legitime* interrogatus, potest respondere,

---

[1]) Psalm. XXXIII. 14. [2]) Eccli. 37, 23. [3]) Cfr. Marc. XIII. 32.

se non patrasse crimen, subintelligendo: de quo possit inquiri, seu quod fateri teneatur. — Adultera, a marito interrogata, potest aequivoce asserere, se non fregisse matrimonium, quod revera persistit; et si adulterium sacramentaliter confessa sit, potest respondere: innocens sum ab hoc crimine, quia per Sacramentum jam est ablatum. — Requisitus ad mutuandum licite potest dicere: se non habere pecuniam, quamvis eam habeat, intelligendo, se non habere ad mutuandum, si ita res sit. — Qui debet bonis cedere, indigens bonis absconditis ad sustentationem, potest judici respondere, se nihil habere, quod nempe teneatur cedere, quia attento jure naturali cessor potest sibi aliquid retinere, quo indiget ad gravem suam suorumque necessitatem sublevandam. — Potest famulus jussu domini negare, illum esse domi, quamvis adsit, quia talis locutio communiter est usu recepta ad significandum, eum non esse domi, quatenus videri possit, seu domi non est *ad colloquendum*. Doceri tamen debent famuli timorati, ne subjective peccent. — Ita juxta s. Alphonsum et alios communiter.

II. ***Simulatio:*** est fictio, qua quis per exteriora signa factorum vel rerum significat contrarium ejus, quod in eo est; uti si tristis est, simulet se laetum; si iratus, placatum. — Simulatio est vel *formalis* vel *materialis*. *Simulatio formalis* est actio, qua quis intendit aliud significare, quam in animo habet; et haec nunquam est licita, quia est verum mendacium in factis consistens. Hinc e. g. simulare improbitatem est peccatum, nempe mendacium, et quidem scandalosum. — *Simulatio materialis* est actio non mala, qua quis praevidet, sed non intendit deceptionem alterius; et haec licita est ex justa causa, semper ac ex circumstantiis conjici possit, ad alium finem id agi; proin assimilanda est restrictioni late mentali. II. Simulatio.

III. ***Hypocrisis:*** seu simulatio virtutis et sanctitatis, quam quis non habet, nec curat habere. Opponitur *directe* virtuti veracitatis, quae exigit, ut quis se talem exhibeat vita et sermone, qualis est; *indirecte* vero opponitur illi virtuti, cujus habitum et apparentiam assumit hypocrita, quasi volens videri eam habere. Hypocrisis *perfecta*, quae adest, ubi quis omnino non curat sanctitatem habere, sed solum vult sanctus apparere, est peccatum mortale. III. Hypocrisis.

IV. ***Adulatio*** — genus perniciosissimum mendacii et simulationis; — est grave vel leve, prout intentio, aut consectaria etc. graviter vel leviter mala sunt. IV. Adulatio.

V. ***Jactantia;*** repugnat eatenus veracitati, quatenus videlicet aliquis per eam supra id, quod est in eo, sese extollit. Est mortale, si vel infert injuriam Deo, vel si conjuncta est cum gravi contemptu proximi. V. Jactantia.

VI. ***Perfidia*** (fidelitati opposita), cum nempe quis ea, quae promisit non servat, sive ex parte, sive ex integro adimplere negligit; est grave vel leve, pro gravitate materiae, et prout promissio ex justitia aut tantum ex fidelitate facta resultat. VI. Perfidia.

VII. Dubitationes et suspiciones.

VII. ***Dubitationes et suspiciones***, necnon ***imprudens credulitas*** (contra mutuam fidem). Sunt ex circumstantiis taxandae; praesertim dubitatio et suspicio propter laesionem famae seu aestimationis proximi, facile ingravescere possunt.

VIII. Loquacitas.

VIII. ***Loquacitas et vaniloquentia*** (contra taciturnitatem et reticentiam); sunt itidem ex circumstantiis et consectariis taxandae.[1])

§. 52. Cura boni spiritualis proximi.

Cura saluti spirituali proximi impendenda complectitur illa opera misericordiae, quae spiritualia dicuntur, — *spiritualem quasi-eleemosynam.* — Comprehenduntur versiculo: „Consule, carpe, doce, solare, remitte, fer, ora!" — Possunt ad haec fere capita revocari:

I. Oratio.

I. ***Oratio*** pro vivis et defunctis, ac praesertim pro periclitantium salute, atque peccatorum conversione.

II. Aedificatio.

II. ***Aedificatio*** aliorum in sensu latiori seu biblico, sub qua serium studium intelligimus, aliorum virtutem mutua cooperatione efficaciter promovendi. — Modi speciales aedificationis proximi distingui possunt juxta animi facultates, in quas pro diversitate indigentiarum aliorum nos influere oportet, dum scilicet sive in *intellectum*, sive in *mentem*, sive in *voluntatem* proximi salubriter agimus.

1. Quoad intellectum.

1. ***In intellectum*** per aliorum ***institutionem*** seu per ***doctrinam et consilium.*** Et quidem doctrina tamquam remedium adhibetur contra defectum intellectus speculativi; consilium contra defectum intellectus practici et in rebus ad conscientiam pertinentibus. — Quod praesertim *doctrinam* attinet, illos instruere tenemur, qui in rebus, scitu necessariis, vel tamen vere utilibus, ignorantia, errore praejudicatisque opinionibus laborant, maxime in iis, quae veram religionem morumque honestatem attinent. Hoc tum genius christianae caritatis praecipit, tum s.s. paginae disserte commendant, tum denique haud paucis vi muneris seu officii incumbit, uti e. g. curatoribus animarum.

2. Quoad mentem.

2. ***In mentem***, per ***moestorum consolationem***, quod opus misericordiae ab ipso naturalis humanitatis sensu dictatur, et a religione christiana, necnon exemplo Christi et Sanctorum maxime commendatur.

3. Quoad voluntatem.

3. ***In intellectum et voluntatem simul*** maximam efficaciam exercere solet ***bonum exemplum*** quod continuum quoddam praedicationis genus vocat Concilium Tridentinum. — „Exempla trahunt, verba movent." — Officio boni exempli quidem omnes, singulariter vero illi adstringuntur, qui auctoritate pollent. Quapropter tum praesertim summi regnantes, tum vero etiam publici ma-

---

[1]) Cfr. s. Alphons. Lib. III. Billuart tom. 12. Reiffenstuel tract. 6. q. 3. etc. Lehmkuhl I. n. 771 sqq. Müller II. §. 87. Marc I. n. 1177 sqq. Stapf II. §. 254.—257. Berardi, Praxis n. 523. Aertnys tom. 1. 522.—529.

gistratus et officiales, necnon parentes et patresfamilias formidandum judicium subibunt, si huic suos aedificandi officio defuerint, vel omnino exemplum pravum exhibuerint. Quantopere vero sacerdotes bono exemplo praecellere teneantur, Concilium Tridentinum[1]) gravissimis verbis edixit.

II. Correctio fraterna.

III. ***Correctio fraterna*** est amica admonitio ex caritate proximo data eo fine, ut a peccato vel proximo peccati periculo avertatur, vel de lapsu suo erigatur. — Correctio fraterna, quae tendit in solum privatum bonum delinquentis, differt ergo a correctione *judiciali*, quae procedit a judicio seu legitimo Superiore ad reorum castigationem propter bonum commune; item a correctione *paterna*, qua Superior, cum auctoritate quidem, sed absque forma judicii reprehendit delinquentem ad eum emendandum et ad tollendum scandalum. *Fraterna* correctio igitur a quolibet, etiam privato homine aequali et inferiore fieri potest; *judicialis* a solo legitimo Superiore.[2])

Principia quoad correctionem fraternam:
1. Illa jure naturali et positivo divino praecepta est.

His praemissis quoad correctionem fraternam haec valent principia:

1. ***Correctio fraterna tum jure naturali, tum positivo divino praecepta est.*** Etenim vi juris naturae membra ejusdem corporis se mutuo juvare tenentur, unde proximo non tantum in necessitate corporali, sed eo magis in necessitate spirituali succurrere tenemur. Speciale praeceptum positivum continent verba Divini Salvatoris: „Si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum inter te, et ipsum solum: si te audierit, lucratus eris fratrem tuum.[3]) Dicitur: „in te“, i. e. contra te, vel coram te, seu te sciente, ut explicat s. Augustinus.[4])

Attamen cum praeceptum correctionis fraternae sit affirmativum, non obligat pro semper, sed in certis circumstantiis et positis quibusdam conditionibus. Requiritur scilicet:

Requisita.

a) Peccatum moraliter certum.

a) Ut peccatum aut proximum peccandi periculum sit moraliter certum; in dubio enim valet verbum s. Pauli: „Caritas non cogitat malum.“[5]) Unde non est hominis privati, in dubio inquirere in vitam aliorum, sed Superioris, nisi forsan de gravissimo avertendo malo, e. g. de homicidio agatur.

b) Ut necessaria judicetur.

b) Ut correctio ad emendationem proximi necessaria judicetur; nam si aliunde speretur rationabiliter emendatio, vel si reus jam resipuit, et prudenter sperari possit, eum non amplius relapsurum, non datur obligatio.

c) Ut desit alius correcturus.

c) Ut non adsit alius aeque vel magis idoneus, qui eum correpturus credatur, quia tunc non adest vera et absoluta necessitas. Quodsi vero alii suo officio desint, obligatio correctionis ad quemlibet aptum devolvitur.

d) Ut affulgeat spes fructus.

d) Ut affulgeat spes fundata emendationis seu alicujus fructus; quia desperato fine, nulla est ratio adhibendi media. Unde

---

[1]) Sess. XXII. cap. 1. de Reform. [2]) Quoad correction. pastoralem cfr. „Der kathol. Seelsorger“, 1889, I. Heft, pag. 30 sqq. [3]) Matth. XVIII. 15. [4]) Serm. 82. c. 7. n. 10. [5]) I. Cor. XIII. 15.

in dubio an profutura vel obfutura sit correctio, non teneris, nisi corrigendus versetur in periculo mortis, vel timenda sit aliorum perversio in fide aut moribus. Raro itaque aderit obligatio hominem ignotum corrigendi; imo suadet plerumque prudentia, ut eorum omittatur correctio, quorum indoles est penitus ignota, ne scilicet iniquo animo eam accipientes, fiant deteriores.

e) Ut sine gravi incommodo fieri possit.

e) Ut correctio generatim sine gravi incommodo fieri possit; nam cum tali incommodo caritas non obligat, nisi extrema sit proximi necessitas spiritualis, vel nisi accedat obligatio justitiae seu officii, ut in Praelato, Pastore, Magistratu erga subditos.

2. Praeceptum correctionis obligat sub gravi.

2. ***Praeceptum correctionis fraternae sub gravi obligat, si conditiones modo recensitae certo adsint, simulque de materia gravi agatur.*** — Materia autem gravis intelligitur quodlibet peccatum mortale, in quod proximus aut lapsurus est, aut jam lapsus est, et in quo perseverat. — Patet ex consensu theologorum et ipsa rei natura, cum res in se sit gravis.

Materia correctionis fraternae.

In materia levi tamen hoc praeceptum obligat *per se sub levi* tantum; nam cum omnis correctio sit onerosa corripienti, et odiosa correpto, et peccata venialia sint frequentissima, si urgeret obligatio ea corripiendi, onus foret importabile tam corripientibus, quam corripiendis, et neque pax, neque tranquillitas inter homines servari posset. Imo in praxi privatus vix unquam tenetur corrigere in materia levi, nisi facillime possit, ut dicit s. Alphonsus.

Materia autem in hoc, sicut in ceteris praeceptis potest esse gravis *sive ex se*, *sive per accidens* seu ob circumstantias. Unde *per accidens etiam peccata venialia possunt esse materia necessaria correctionis fraternae*, ut si ex his sequeretur scandalum, perturbatio tranquillitatis in communitate, periculum proximum peccandi mortaliter, aut detrimentum disciplinae regularis. Unde tenentur Superiores in Religione sub gravi corripere venialia, imo et transgressiones regularum obligantium tantum sub poena, quando vident, quod ex impunitate et licentia peccandi venialiter, aut transgrediendi regulas et constitutiones, disciplina regularis notabiliter laederetur. Idem proportione servata dicendum est de aliis Superioribus respectu suorum subditorum, si sint in iis graviter negligentes.

Sub praecepto correctionis fraternae cadunt etiam *peccata ignorantiae;* et quidem in specie:

a) Peccata ex ignorantia vincibili et graviter culpabili, quia sunt vere peccata.

b) Peccata ex ignorantia invincibili ratione juris naturalis vel juris positivi divini, ob reverentiam juri divino debitam; dummodo tamen non desperatur fructus, neque fiant ex materialibus formalia.

c) Probabilius et communius etiam, si ignorantia invincibilis respiciat jus mere humanum, ut e. g. si quis ignorans feria IV. quatuor temporum commedit carnes, vel sacerdos cubitum iturus oblitus recitare Vesperas etc. — dummodo fructus speretur. Ita Lacroix et alii cum s. Alphonso contra alios paucio-

res, qui dicebant, non urgere obligationem correctionis quoad ignorantiam invincibilem juris humani, saltem sub gravi et pro iis, qui Superiores non sunt.

d) *A fortiori fieri debet correctio, si invincibilis ignorantia sit eorum, quae necessaria sunt necessitate medii ad salutem;* quia talis ignorantia conjuncta est cum evidenti damnationis periculo, aut timendum scandalum publicum, ne videlicet alii putent, id licere, quod non corrigitur. — Recole etiam dicta de admonitione ex parte confessarii quoad illum, qui laborat conscientia erronea.

3. ***Praeceptum correctionis fraternae obligat omnes, qui utiliter corrigere possunt, strictius tamen Superiores.*** — Est enim officium caritatis, quae ex natura sua ad omnes se extendit. Strictius tamen Superiores tenentur, quia ipsis specialis cura incumbit, providendi spirituali suorum subditorum saluti. Et quidem Superiores etiam *cum gravi damno proprio* subditos corripere tenentur. Imo juxta s. Alphonsum et alios, episcopi et parochi cum ipsius vitae periculo obstringuntur ad subditorum peccata arguenda, si tamen spes aliqua emendationis affulgere videatur, et quidem ratione officii. — Iidem porro in subditos invigilare debent et in eorum peccata inquirere, cum probabilia adsint indicia. Sed cavendum est Superiori, ait Cajetanus, ne ex una parte nimia suspicione fiat praeceps et odiosus, et ex altera, ne sua incuria invalescant delicta occulta; neque debet nimis particulariter in unum aliquem absque sufficientibus indiciis inquirere, ne eum apud alios reddat suspectum et infamem. 3. Praeceptum correctionis obligat omnes.

Concionatores vi muneris sui debent corripere peccata publica, etiamsi nulla effulgeat spes emendationis; imo, si ex reprehensione speretur fructus, nec majus damnum commune timeatur, tenentur ad hanc publicam correctionem etiam cum periculo proprii damni.

Privati inter se raro tenentur ad correctionem, saltem sub gravi, nisi inter se sint familiariter conjuncti, quia raro, imo rarissime omnes requisitae conditiones reperiuntur; neque debet privatus inquirere in vitam aliorum ad finem correctionis, id enim redundaret in injuriam proximi.

Scrupulosi, qui in omnibus timent et suspicantur peccatum, *ordinarie* excusantur a correctione fraterna facienda.

Ultimo notandum, quod etiam *ipsi peccatores* non eximuntur a praecepto correctionis fraternae faciendae, licet eorum peccata corripiendis sint nota; nam nemo propter peccatum eximitur ab obligatione legis. In tribus casibus peccator tenetur se emendare, ut alium corripiat, nempe: *si sit Superior*, vel *si aliis scandalo sit*, et *si proximus sit in peccato mortali moriturus, nisi ipse emendatus corripiat.* Extra hos casus probabilius est, quod peccator teneatur ex praecepto se emendare, ut alium corripiat. Ita Soto, Sylvius et Serra apud Billuart.

4. ***Si adsint omnes conditiones ad correctionem requisitae, tunc si agitur de peccato gravi impediendo, seu hominem e periculo proximo peccati gravis eripiendo, quilibet statim ad correctionem tenetur;*** si vero 4. Correctio interdum statim fieri debet.

agitur de correctione propter grave peccatum jam commissum, sed nondum emendatum, instantanea correctio opus non est, sed tenetur quilibet *statim moraliter* ad illam, ita, quod si ex timore vel cupiditate ita differat quis correctionem, ut sinat elabi opportunitatem faciendi, praeponens in animo timorem vel cupiditatem fraternae caritati, peccet mortaliter; venialiter autem tantum peccabit, si ex timore vel cupiditate tardior efficitur ad correctionem, modo sit ita affectus, ut si ei constaret, quod posset per suam correctionem fratrem retrahere a peccato, non omitteret propter timorem aut cupiditatem, quibus in animo suo praeponit caritatem fraternam. Et hac ratione quandoque viri sancti negligunt corripere delinquentes. — Nullo autem modo peccabit, si differat correctionem spe majoris opportunitatis.

An vero liceat correctionem differre *spe majoris utilitatis,* sic nimirum, ut proximus saepius et gravius peccans efficacius corrigatur et emendetur, controvertitur; quidam affirmant, quia, quamvis nunquam liceat facere mala, ut eveniant bona, aliquando tamen licet permittere mala ex intentione majoris boni; et hoc est probabile. Attamen si supponatur spes fundata praesentis emendationis, id nec satis tutum in praxi, nec satis probabile arbitror, ait Billuart, quia in hac hypothesi major utilitas, quae exspectatur, non est tantum bonum, ut praeponderet honori Dei, qui iteratis et forte gravissimis offensis laeditur, et securitati salutis proximi, qui interim potest mori, aut qui ex iteratis actibus obstinatior factus, frustrabit spem, efficaciorem emendationem exspectantis.

5. Correctio fraterna debito modo et ordine fieri debet. Modus correctionis.

5. ***Correctio fraterna convenienti modo et justo ordine fieri debet.*** — ***Modum*** quod attinet, facienda est correctio:

a) *Cum humilitate,* ut propriae infirmitatis memores fratrem nostrum non confundamus, sed modesta agendi ratione potius lucremur.

b) *Cum caritate,* quia caritas benigna aliorumque infirmitatibus compatiens est, correctio quoque eandem indolem praeseferat oportet.

c) *Cum prudentia*, quae suadet, ut non solum temporis, loci aliarumque circumstantiarum, sed etiam indolis, aetatis, status etc. ratio habeatur. Unde monitio erga Superiores sit reverentialis, erga aequales benigna et fraterna, erga subditos paterna. — Denique prudentia petit, ut correctio quandoque *non atim st*adhibeatur, sed ad tempus opportunius differatur, „secundum consilium caritatis", ut s. Augustinus observat. — Hinc graviter peccat, qui alium corripit vel denuntiat non ex caritate, ut emendetur, sed ex gravi odio, ut confundatur et deprimatur.

Ordo correctionis.

Justum ***ordinem*** quod attinet, in correctione fraterna servandus est ordo a Christo ipso his verbis assignatus: „Corripe eum inter te et ipsum solum. Si te non audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos, ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum. Quodsi non audierit eos, dic Ecclesiae."[1]) — Hic ordo

[1]) Matth. XVIII. 17.

obligat sub gravi — nisi circumstantiae aliud suadeant, — cum agatur de consulendo famae proximi. — Quodsi ergo monitio secreta sufficere videatur, testes non sunt adhibendi; si unus testis sufficiat, non sunt adhibendi plures; si vero testes non sufficiant, res Ecclesiae, scil. legitimo Superiori denuntianda est.

Dantur tamen nonnunquam rationes graves, unum alterumve gradum hujus ordinis omittendi; nam omissa praevia monitione sive privata, sive coram testibus, res statim ad Superiorem deferri potest:

Exceptiones ab hoc ordine.

a) Si peccatum sit publicum, vel mox publicandum, quia tunc cessat ratio servandi delinquentis famam.

b) Si delinquentis emendatio, quae est praecepti finis principalis, facilius vel efficacius obtineri posse speretur; qui casus est frequentior in communitatibus religiosis.

c) Si proximus cesserit juri suo, ut est apud quosdam Religiosos; quae tamen cessio ita intelligitur, ut crimen reveletur Praelato tamquam patri, non vero tamquam judici.

d) Si sit graviter alteri vel ipsi communitati noxium, quando res non statim Superiori innotescit.

Imo res ad Superiorem statim deferri *debet*, si per hanc evangelicam denuntiationem optatus speretur fructus, qui aliter aut non posset obtineri, aut solum cum gravi incommodo. Id maxime valet, si proximi peccatum vergat in damnum tertii vel communitatis, ut conjuratio, haeresis, juvenum corruptio etc. Ratio est, quia tunc non est tantum adhibendum remedium ei, qui peccavit, sed etiam aliis, in quorum damnum crimen vergit. — Hinc in communitatibus sub regula viventibus, in collegiis, seminariis etc., si agatur de re magni momenti, plerumque *expedit*, ut correctio fiat via denuntiationis ad Superiorem ut patrem, nec possunt absolvi alumni aut convictores denuntiare nolentes, si de gravi damno communitatis agatur, uti de seductione aliorum convictorum ad turpia etc. Attamen denuntiaturus prius a confessario suo consilium petat, ut in hac re caute ac prudenter procedat, ad vitandas divisiones, aversiones, discordias etc. Item Superioribus ecclesiasticis denuntiandi sunt sacerdotes corruptores, qui magnum fidelibus spirituale damnum inferunt, vel illaturi sunt.

Non tamen licet peccatum occultum jam emendatum denuntiare, nisi adsit periculum relapsus, vel damni, delinquenti alterive imminentis, — excipe tamen casum sollicitantis sacerdotis in confessione. Porro non licet deferre delictum ad Superiores mediatos, si Superior immediatus potest per se corrigere, et nulla sit probabilis suspicio, fore ut hic officio suo desit; famae enim proximi, quoad fieri potest, consulendum est.[1])

---

[1]) Cfr. s. Alphons. Lib. II. et IV. Reiffenstuel tr. 4. q. 5. Billuart tom. 8. Müller II. §. 31. Lehmkuhl I. n. 610 sqq. Marc II. n. 490 sqq. Stapf II. §. 257 sqq. Staller II. tr. 4. §. 27. Aertnys tom. 1. n. 51 sqq.

§. 53. Peccata curae boni spiritualis proximi opposita.

Curae salutis alienae, atque praeprimis aedificationis et correctionis officio, opponitur ex una parte *scandalum* et ex altera parte *cooperatio seu consortio* actionis pravae alienae.

I. Scandalum. 1. Notio et divisio scandali.

I. ***Scandalum.*** *1.* ***Notio scandali:*** Scandalum graece idem est ac latine *offendiculum* in via positum, ad quod viator incaute offendens prolabitur. Unde scandali nomen e physicis translatum ad mores, significat *id omne, quod proximo praebere potest ansam ruinae spiritualis, tum ipsam ruinam spiritualem inde ortam.* — Distinguitur:

a) Scandalum activum.

a) ***Scandalum activum*** *seu* ***datum:*** *est dictum vel factum minus rectum praebens alteri occasionem ruinae spiritualis.* Ita s. Thomas.[1] Dicitur:

α) „*Dictum vel factum*", quia externa tantum actio — subintellige quoque *omissionem* ejus, — potest habere rationem scandali, non autem sola cogitatio interna.

β) „*Minus rectum*", i. e. quod vel in se malum est, ut si loquaris turpia coram adolescentibus; vel quod mali speciem habet, ut si justa de causa coram aliis eam ignorantibus carne die vetito vescaris.

γ) „*Praebens alteri occasionem ruinae spiritualis*"; sub „*ruina spirituali*" intelligitur peccatum, sive mortale sive veniale, ergo „praebens occasionem peccati"; sed ad rationem scandali non requiritur, ut spiritualis ruina proximo reapse inferatur, sed sufficit ipsi occasionem lapsus seu ansam peccandi ita praebere, ut, attentis circumstantiis, ejus lapsus probabiliter timendus sit. — Scandalum activum duplex est:

α) Scandalum directum.

α) Directum, si alterius ruina spiritualis seu peccatum intenditur. Potest autem intendi sive *formaliter*, si nempe ideo aliquid fit, ut proximus in peccatum inducatur, et tunc scandalum dicitur *diabolicum;* sive *materialiter*, si nempe proximus in peccatum ideo inducitur, ut ejus peccatum utilitati vel voluptati inducentis inserviat, et tunc dicitur scandalum *simpliciter directum.*

β) Scandalum indirectum.

β) Indirectum: si peccatum proximi non quidem intenditur, sed tamen probabiliter secuturum praevidetur, ex dicto vel facto sine justa causa posito.

b) Scandalum passivum.

b) ***Scandalum passivum*** *seu* ***acceptum:*** *est ipsa spiritualis proximi ruina, seu peccatum, in quod occasione illius dicti vel facti minus recti proximus prolapsus est.*

Hoc scandalum iterum duplex est:

α) Scandalum pusillorum.

α) Scandalum pusillorum seu infirmorum, quando ruina spiritualis scandalizati oritur potius ex fragilitate aut ignorantia, ita ut alterius actio per se ansam non dederit, vel notabi-

---

[1]) 2. 2. q. 43. a. 1. c.

liter non dederit, ut e. g. si ex honesto ornatu mulieris juvenis ansam sumit libidinis.

β) *Scandalum pharisaicum*, quando peccatum scandalizati oritur unice ex ejusdem malitia, seu quando proximus ex actione bona vel indifferenti, ob meram malitiam peccandi ansam sumat, uti Pharisaei, qui, ut Christum perderent, ex sanctis ejus verbis scandalum sibi obvenire fingebant. β) Scandalum pharisaicum.

Ex dictis sequentia profluunt corollaria: Corollaria.

α) Quandoque simul reperiuntur scandalum activum et passivum, cum nempe aliquis ex occasione peccandi, quam proximus ipsi praebuit, reapse in peccatum incidit. — Quandoque est scandalum activum sine passivo, cum nempe aliquis inducit alterum verbo vel facto ad peccandum, quin subsequatur effectus. — Quandoque est scandalum passivum sine activo, ut evenit in scandalo pharisaico, et pusillorum.

β) Non semper est scandalum, si peccas coram aliis, sed tantum quando, attentis circumstantiis tam personae agentis, quam earum, coram quibus fit actus, potest probabiliter timeri, ne per hunc actum trahantur ad peccatum, qui alias peccaturi non essent. S. Alphons.

γ) Non censetur dare scandalum, qui licet publice peccet, facit tamen id coram iis, qui vel sunt ita viles, vel infames aut improbi, vel qui sunt ita probi, ut nemo moveatur ad peccatum; e. g. si coram mansuetis quis contendat, rixetur, vel alium caedat. S. Alphons.

δ) Econtra scandali peccatum est, a proximo requirere rem pravam, etsi ad eam faciendam jam sit dispositus. Est doctrina communis et certa; ratio est, quia gravius est peccare actualiter, quam dispositum esse ad peccandum, quapropter qui ad actum malum opere complendum alium inducit, certe ei ruinam graviter majorem infert. Hinc e. g. qui opus turpe a meretrice petit, non solum contra castitatem, sed etiam contra caritatem scandalo peccat.

2. ***Malitiam scandali*** quod attinet, notandum est, quod *scandalum non solum directum, sed etiam indirectum est peccatum ex genere suo grave*, cum ordinarie caritatem proximo debitam graviter laedat. *Potest tamen tantum veniale esse* ob imperfectionem actus, vel ob parvitatem materiae. Scandali gravitas pendet nempe a gravitate peccati, cujus est occasio, quia hujus peccati malitiam participat. Est igitur peccatum mortale, si inducit ad peccatum mortale; veniale, si inducit ad culpam solum venialem cujuscunque generis. — Hinc fieri potest, ut peccatum secundum se grave sit veniale ratione scandali, e. g. si tuum furtum grave sit occasio alteri committendi furtum leve. E converso, peccatum secundum se leve potest esse grave ratione scandali, e. g. si religiosus verbum minus honestum proferat coram feminis, vel iis, qui inde occasionem peccati mortalis sumere possunt. S. Alphons. 2. Malitia scandali.

Imo omne scandalum, sive directum, sive indirectum habet malitiam saltem duplicem, unam contra caritatem, alteram contra

illam virtutem, ad quam violandam proximus inducitur. Et hoc quidem extra dubium est, quando agitur de scandalo directo; verum juxta probabiliorem sententiam, idem etiam de scandalo indirecto tenendum est, licet sententia contraria etiam sat probabilis sit. Ex quo sequitur, in confessione non quidem necessario urgendum, sed saltem consulendum esse, ut exprimatur species peccati mortalis, ad quod quis, licet tantum indirecte, inductus fuit, vel induci potuit.

Malitia scandali in concreto per diversas circumstantias plurimum aggravari, imo et multiplicari potest. Ad hoc discernendum attendi debet: quis scandalum praebeat? an forsan parentes, praepositi, sacerdotes etc.? dein: quot personis scandalum detur? quia quot sunt personae, tot jura laesa, ergo tot peccata; porro: quaenam personae scandalum patiantur, an forsan persona qualificata, innocens etc.? dein qua ratione scandalum detur? an directe vel indirecte, an maturo consilio, exquisita arte etc.? et denique quaenam peccata peccatorumque consectaria ab auctore scandali intenta, vel saltem in confuso praevisa sunt, quamvis per accidens non secuta? — Sed licet juxta sententiam probabilem scandalum indirectum speciem peccati non induat, quod ex illo sequitur, specialior hujus scandali accusatio plerumque saltem necessaria erit ad gravitatem ejusdem cognoscendam.

Scandali multum perniciosi rei habendi sunt potissimum: qui consuetudinem retinent *blasphemandi,* praesertim coram junioribus; qui principia fidei aut bonis moribus infesta aliis ingerunt; qui sermones aut cantilenas turpes effutiunt; qui libros pravos componunt atque divulgant; qui statuas aut imagines obscoenas conficiunt, easdem vendunt aut publice exponunt; viri, qui mulieres variis donationibus aliisve blanditiis turpiter sollicitant; mulieres, quae habitu lascivo pravam libidinem in viris excitant, vel quae gestant pectus notabiliter nudatum; eo magis viri coram aliis se turpiter denudantes aut turpe facientes; denique omnes, qui pravo suo exemplo bonos aliorum mores corrumpunt atque pervertunt.

3. Obligatio scandalum aliorum vitandi.

3. ***Obligationem scandalum aliorum vitandi*** quod attinet, haec potissimum observanda sunt: Certum est, strictam dari obligationem omittendi ea omnia, quae mala sunt, non solum, quia mala sunt, sed etiam ratione scandali inde secuturi. Actionem, quae in se mala non est, attamen *speciem* mali habet, non semper omittere obstringimur, ad impediendum scandalum passivum seu acceptum proximi. Ad discernendum, quod sub hac ratione fieri vel omitti oporteat, tum *ad indolem scandali* accepti, tum *ad naturam bonorum,* quae ad impediendum scandalum dimitti vel omitti deberent, respiciendum est. Hinc in specie sequentia tenenda sunt:

a) Scandalum pharisaicum non est necessario vitandum.

a) Scandalum pharisaicum seu malitiosum non est necessario vitandum, saltem ordinarie, quoties adest rationabilis causa ponendi actionem, ex qua sumitur scandalum; quia tale scandalum pure acceptum et nullo modo datum est; oritur enim ex sola malitia illius, qui scandalum accipit. Confirmatur exemplo divini Salvatoris. — Jubet tamen caritas impedire peccata

etiam ex mera malitia alterius oritura, quoties id sine graviori incommodo fieri potest.

b) Scandalum pusillorum vitari debet quoties sine gravi incommodo fieri potest.

b) Scandalum pusillorum vitari oportet, quoties fieri potest sine gravi incommodo; ratio est, quia tenemur ex caritate impedire peccata proximi, si facile possumus; econtra caritas non obligat ad grave subeundum incommodum, ne proximus subeat damnum, quod pendet a sua libera voluntate. Requiritur autem major necessitas, ut permittatur scandalum pusillorum, quam pharisaicum; item major, si plures sint scandalizandi, vel si timeatur peccatum grave.

Vitari vero potest hoc scandalum actionem vel occultando, vel ad tempus differendo, vel prorsus omittendo, vel etiam agendi rationem declarando, per admonitionem factam proximo de actionis rectitudine, e. g. ob dispensationem, causam excusantem etc. Si autem post datam admonitionem perduret scandalum, pharisaico jam aequiparari potest, ut s. Thomas[1]) dicit.

Regulae in concreto.

Speciatim vero hic juxta probatos auctores sequentia sunt notanda:

α) Illa praecepta, quae sunt de necessitate ad salutem, ut praeceptum suscipiendi veram fidem, et baptismum, nunquam sunt omittenda ad alterius scandalum, sive pharisaicum, sive pussillorum vitandum. Nec unquam in hunc finem violare licet praecepta juris naturalis negativa, nec facere opera intrinsece mala a lege divina prohibita. Ratio utriusque est, quia quilibet semetipsum plus diligere debet quam alios, in ordine ad animae salutem, et quia non facienda sunt mala, ut eveniant bona. Et regula juris est: „Utilius scandalum nasci permittitur, quam veritas relinquatur.“ — *Praecepta juris naturalis et divini positiva seu affirmativa, ob scandalum pharisaicum quidem non sunt omittenda,* quia alias daretur depravatis hominibus occasio, aliorum bona malitiose impediendi; *ob scandalum pusillorum vero nonnunquam per epikiam cessant obligare,* uti e. g. praeceptum correctionis fraternae, restituendi etc.

β) Opera bona a lege humana praecepta, uti auditio Missae, jejunium etc. probabilius aliquando omittenda sunt ob scandalum pusillorum, ratio est, quia in collisione legum praeceptum naturale (impediendi scilicet alterius peccatum), praeferendum est praecepto positivo.

Sed dicitur: „*aliquando*“ seu „*ad tempus*“, nempe semel atque iterum, scilicet si sit spes fundata impediendi alterius grave peccatum, nec inde proprium habeatur grave incommodum. — Hinc, si die festo, inadvertenter sacerdos fregerit jejunium, adstat autem populus Missam auditurus, nec alius sacerdos haberi possit, probabilius tenetur non jejunus Missam celebrare, ad populi scandalum vitandum, si aliter

---

[1]) 2. 2. q. 43. a. 7.

vitari nequeat. Item mulier omittere tenetur praeceptum audiendi Missam ad peccatum vitandum mariti, qui inde blasphemandi occasionem sumeret; ad id tamen non nisi semel vel iterum tenetur, cum grave esset incommodum, ad longum tempus a Missa abstinere. — Similiter puella, ne se offerat conspectui juvenis, a quo scit se turpiter amari, debet semel et iterum omittere Sacrum, ut sic alter advertere possit, se ab eo vitari. Ita s. Alphonsus. — Alii tamen contrarium tenent, dicentes, quod leges humanae propter peccata aliorum non cessant obligare; unde, quia de stricta obligatione omittendi non constat, illa a confessario non potest quidem urgeri, bene tamen consuli.

γ) *Opera bona de consilio ad scandalum quidem pharisaicum praecavendum haud dimittere tenemur*, alioquin iniquis et perversis hominibus daretur locus impediendi opera perfectionis, cum vellent. *Propter scandalum autem pusillorum ejusmodi opera regulariter vel occultanda, vel differenda, aut hinc inde omittenda sunt*, donec reddita ratione scandalum cesset, vel saltem cessare debeat, si proximus bonae voluntatis sit. Unde e. g. si quis Ordinem religiosum ingredi cupit, ob scandalum propinquorum remurmurantium propositi sui executionem ad tempus differre debet, quodsi tamen isti reddita ratione resistere pergant, Religiosus sine ulla peccati labe fieri potest.

δ) *Opera indifferentia, ut e. g. visitatio alicujus loci vel personae, ad scandalum pusillorum vitandum prorsus omittenda sunt, nisi necessitas vel utilitas, sive propria, sive aliena exquirat, ut perficiantur.* Hinc e. g. peccat mulier, quae ex mera curiositate vel vanitate prospicit per fenestram, vel moratur ad ostium domus, sciens scandalum exinde oriturum, quia rationabilis causa talia agendi deest. — Ad longum autem tempus hoc omittere non tenetur, cum hoc esset valde onerosum.

ε) *Bona temporalia, si sint propria, licite quidem dimitti possunt, ad aliorum vitandum scandalum, sed non necessario dimitti debent.* Ratio semper eadem est, nempe quia caritas erga proximum non obligat cum tanto incommodo. Quare e. g. non teneris solvere plus aequo alicui operario vel rhedario, licet praevideas illum secus esse blasphematurum; similiter parochus per se non tenetur remittere jura stolae sibi debita, quamvis parochianus, de obligatione sua satis conscius, in varias erumpat obtrectationes etc., inde enim grave incommodum obveniret tum ipsi parocho, tum ejus successoribus. S. Alphons.

Sed dixi: „*si sint propria*“, nam *si bona sint aliena, ne licite quidem dimitti possunt, nisi ex consensu domini, saltem rationabiliter praesumpto.*

Ex dictis patet, *permitti* aliquando posse proximi ruinam, quod praesertim etiam eum in finem licet, ut proximus

corrigatur; quando e. g. parentes filiis, quos ad furtum propensos sciunt, non auferunt occasionem furandi, ut in furto deprehensi puniantur et resipiscant. Taliter se habere non est, nisi permittere unum peccatum, ut impediantur plura. Imo juxta s. Alphonsum probabile est, *licere etiam occasionem ponere aut objicere* ad fidelitatem alicujus dubiam experiendam, dum e. g. herus consulto apponit clavem arcae, in qua pecunia reconditur, vel monetam supra mensam ponit, vel si maritus occasionem peccandi uxori vel adultero praebet, ad suspectam sibi uxorem probandam. Aliud enim est inducere ad peccatum, aliud praebere occasionem. Illud est intrinsece malum, non autem hoc; alioquin nunquam liceret etiam ex causa justa petere mutuum ab usurario, juramentum ab infideli etc., quod est contra communem Theologorum sententiam. Ita s. Alphons. et alii.

II. Cooperatio ad aliorum peccata.

II. ***Cooperatio ad aliorum peccata:*** Cooperari in genere idem est, ac operari cum alio. Potest autem aliquis cum alio operari, seu ad alterius peccatum concurrere vel *positive* vel *negative*. *Positiva cooperatio* fit *vel inductione, aut modo morali,* i. e. jubendo, consulendo, consentiendo, incitando; *aut modo physico,* e. g. praebendo talem opportunitatem, qua alter ad peccatum allicitur; vel fit *participatione*, et quidem iterum vel modo *morali* vel *physico*. *Negativa cooperatio* est omissio actus debiti ad peccatum impediendum, e. g. omissio correctionis fraternae; negative ergo cooperatur: mutus, non obstans, non manifestans. — Ex quibus patet, scandalum et cooperationem res esse per quam affines, et utrumque in genus idem fere recidere; licet ceteroquin aliquando scandalum esse possit sine cooperatione, et vice versa; unde venit, quod scriptores quamplurimi de cooperatione, et scandalo promiscue agant. Communiter tamen ille cooperandi modus, qui fit *per inductionem, scandali* nomen obtinet; ille vero modus cooperandi, quo alteri ad agendum jam determinato *auxilium praestatur,* quo opus suum perficere valeat, pressius *cooperatio* appellatur; et definiri potest: *Concursus ad pravam actionem alterius principaliter agentis.*

Positiva cooperatio.

Negativa cooperatio.

Cooperatio pro variis modis, quibus concursus in pravam alterius actionem influit, multiplex distinguitur; est enim:

1. Cooperatio immediata et mediata.

1. ***Immediata vel mediata:*** *Immediata est,* quando cooperans agit cum principaliter agente in ipso actu peccati, e. g. adjuvando furem auferentem rem alienam, vel simul fornicando etc.; *mediata est,* cum cooperans quid praestat, quod principaliter agenti ad opus pravum exequendum inservit, e. g. latroni ensem praebendo, furi scalam tradendo aut recursum dando etc.

2. Cooper. proxima et remota.

2. ***Proxima vel remota:*** prout nempe ex natura sua aut ex circumstantiis censetur habere, vel non habere moralem connexionem cum principaliter agentis peccato; sic e. g. cooperatio proxima est, dare occisuro gladium; remota autem materiam subministrare, ex qua gladius conficiendus est.

3. Cooper. formalis et materialis.

3. ***Formalis vel materialis:*** *Formalis* est, quae concurrit ad malam voluntatem principaliter agentis, ita, ut illam vel excitet, vel confirmet, vel augeat. — *Materialis* est, quae concurrit tantum ad malam actionem alterius, ponendo actum ex se indifferentem, quo tamen alter abutitur ad peccandum, licet eo etiam sine peccato uti possit; hujusmodi cooperatio e. g. foret subministratio vini ei, qui se inebriare vult, quin subministrans id intendat.

Principia.

His praemissis sequentia statuimus principia:

1. Nunquam licet formaliter cooperari peccato alterius.

1. ***Nunquam licet peccato alterius formaliter cooperari, nec per actum indifferentem nec per actum peccaminosum;*** quia per hoc proximus incitatur ad malum, vel saltem istius mala voluntas fovetur, quod perinde est, ac velle ipsum peccatum, ergo intrinsece malum, et hinc ne metu mortis quidem excusari potest. Hinc:

a) *Nunquam licitum est, praestare operam, quae ex natura sua ad solum peccatum qua tale ordinari potest*, ut esset e. g. quaerere domino concubinam, scribere pro concubinario litteras amatorias ac turpes, invitare mulierem ad crimen cum domino committendum, sunt enim haec servitia, quae ex natura sua ad turpitudinem determinata sunt. Pariter juxta s. Alphonsum nunquam licet famulo deferre litteras amatorias concubinae domini, vel deferre munuscula et esculenta meretrici, quia et hoc servitium ex natura sua fovet turpem amorem, nec alium per se effectum producere natum est. Sunt tamen nonnulli probati auctores, qui praedicta, licet non ex ratione *solius famulatus*, sed insuper ex *metu gravis damni*, licita esse concedunt. — Similiter *ex gravissima causa* excusant: servare terga latroni aut sicario, ut securius furetur aut occidat; furi annuntiare horam ad furandum opportunam.

b) *Nunquam licet petere ab alio aliquid, quod ipse non praestabit sine peccato, si res, quae petitur, sit intrinsece mala*, e. g. fornicatio. — *Si vero res sit de se bona, vel indifferens, possitque praestari sine peccato, tunc demum licet illam petere, si adsit justa causa*, quia unusquisque potest licite, causa alicujus sui notabilis boni permittere peccatum alterius, quod provenit tantum ex illius malitia. Sic e. g. licitum est, necessitatis vel notabilis utilitatis causa, petere mutuum ab usurario, juramentum a pejuraturo, Sacramentum a sacerdote sacrilego (praesertim a parocho), actum licitum conjugii a conjuge abutente etc. — Ita s. Alphons.

c) *Nunquam licet directe aliquem inducere ad peccatum aliquod, licet jam sit dispositus ad peccatum peragendum*, uti jam supra dictum est; nec licet aliquid facere, quod influit in malam voluntatem proximi volentis peccare, aut quo proximus animosior ad peccandum redditur, aut quo ei ansa datur ad peccatum exequendum. — *Probabilius tamen licet, juxta s. Alphonsum, alicui suadere minus malum, qui jam determinatus est ad majus committendum;* ratio est, qui tunc suadens non

quaerit malum, sed bonum, scilicet electionem minoris mali. Hinc, parato occidere inimicum, licet suadere, ut potius eum percutiat, vel quidpiam ei furetur. — Aliquando tamen justitia id prohibet: si nempe suadeatur, ut *alii* determinatae personae inferatur minus malum, quod ipsa hic et nunc pati non tenetur, tunc enim suadens esset causa efficax damni tertii; sic e. g. parato ad furandum Cajo, non licet suadere, ut Titum exspoliet etc.

2. ***Cooperatio materialis per se loquendo pariter illicita, est,*** quia ex caritate peccatum proximi impedire tenemur, quatenus illud sine graviori incommodo impedire valemus; tanto magis utique tenemur abstinere a materia vel opera suppeditanda, quam proximus ad peccandum adhibere cognoscitur. — *Licet autem cooperari materialiter actionibus pravis seu peccatis aliorum, quoties tres concurrunt conditiones,* scilicet:

2. Cooperatio materialis per se loquendo pariter illicita est.

Exceptiones ab hac regula.

a) *Si actio cooperantis de se bona aut saltem indifferens est.*

b) *Si finis cooperantis est bonus, seu recta ejusdem intentio.*

c) *Si adest causa justa et proportionata tum ad gravitatem peccati alterius, tum ad proximitatem concursus, qui praestatur ad peccati executionem;* et tandem: *ut alterius peccatum impedire nequeas, vel saltem non tenearis impedire ex officio.*

His stantibus ponens ex bona intentione et ex justa causa actionem indifferentem, ad pravam alterius voluntatem nonnisi permissive se habet; ergo actio ejusdem non est causa per se influens in peccatum, sed tantum occasio, qua ille abutitur.

Sed difficillimum est, in singulis casibus determinare, tum utrum *actio sit in se indifferens,* an intrinsece mala; tum quaenam sit *causa justa et proportionata,* ad actionem indifferentem praestandam. Ad hoc dijudicandum imprimis recurrendum est ad judicium Doctorum atque Prudentum; sententia in hac materia communior erit etiam probabilior, dicit s. Alphonsus. — Hoc tamen apud omnes constat: eo majorem requiri rationem ad cooperandum, quo propinquior et major est cooperatio; quo gravius est peccatum, cujus occasio datur; quo probabilius est, te non cooperante alterum non peccaturum; quo minus juris habes ad tale opus; denique, quo magis peccatum cum justitia pugnat, idque propter damnum tertii.

Exinde eruuntur sequentes *regulae speciales:*

Regulae speciales.

a) Semper licitum est, ad peccatum alterius cooperari materialiter, *ob majus malum vitandum;* fert enim axioma: „Ex duobus malis minus est eligendum;“ sic e. g. licite praebes vinum sese inebriaturo, ne in blasphemias prorumpat etc. Ita s. Alphonsus.

b) Licet materialiter cooperari *ad minus damnum proximi, ut ipse a majori liberetur,* si aliud medium desit; cum enim dominus de re sua disponere possit, id rationabiliter velle censetur; sic e. g. licet hostem adjuvare ad furandum, ne dominus occidatur. Ita s. Alphonsus.

c) Licet materialiter cooperari etiam *immediate* damno tertii, e. g. fores effringendo, *ut vitetur damnum proprium superioris or-*

dinis; sic e. g. licet incendere domum ad vitandam mortem; in tali etenim necessitate constitutus supponere potest consensum domini, qui irrationabiliter esset invitus. — *Mediate* autem cooperari licet, si agatur de vitando damno proprio *aequali.* Sic e. g. licet reddere gladium occisuro, ut ita propriae vitae consulatur; ratio est, quia ex ordine caritatis non tenemur impedire damnum alterius, etiamsi hic sit in extrema necessitate, cum aequali proprio detrimento. Ita s. Alphonsus.

d) Causa, quae sufficit ad excusandum cooperatorem privatum, non sufficit ad excusandum Superiorem, Magistratum, aut quemvis alium, qui non solum ex caritate, sed *vi muneris sui,* tenetur arcere malum, vel impedire peccata aliena; ubi enim duplex est obligatio, ibi causa excusans moraliter duplex sit, necesse est. Sic e. g. parentes impedire debent peccata filiorum, parochi peccata parochianorum, magistratus delicta civium etc.; sic etiam mercatores quandoque ex speciali lege tenentur ad non vendenda arma quaedam periculosa, potiones venenatas etc. Ita s. Alphonsus.

Ultimo notandum, quod *omnis illicita cooperatio,* tum *formalis,* tum *sine justa causa materialis,* non secus ac scandalum habet duplicem saltem malitiam, unam contra caritatem, alteram contra virtutem, quae a proximo violatur. Ita s. Alphonsus.

Nota pro praxi. Pro praxi prudens confessarius in recensione casuum, in quibus cooperatio intervenit, advertat:

α) Bonam fidem saepe in hac materia excusare;

β) pro variis locis et temporibus, multum attendendum esse ad communem aestimationem;

γ) in dubio, non favendum esse libertati, ubi obstat ratio scandali, periculum perversionis, peccati formalis etc.; et si de republica agatur, non omittendum ad Superiores et ad prudentiores recursum.[1])

Nota 1.: Recensio frequentiorum casuum, in quibus cooperatio intervenit, videri potest vel apud s. Alphonsum L. II., vel apud Lehmkuhl I. n. 651.—677.; vel apud Marc I. n. 521.—527. et alios.

Nota 2.: De reparatione damni proximo in bonis animae illati, infra, ubi de restitutione, sermo occurret.

B. Officia specialia erga corpus et vitam proximi.

Praenotanda.

Dantur plurimi modi, quibus aliorum vitae et sospitati providere possumus. Praecipue vero sic dicta ***opera misericordiae corporalia*** huc pertinent. Inter illa sunt septem magis vulgata, ad

[1]) Cfr. s. Alph. L. II. Billuart tom. 8. Reiffenstuel tr. 4. dist. 7. q. 2. Müller II. §. 35. et 36. Gousset n. 303. Lehmkuhl I. n. 626.—677. Marc I. n. 505.—527. Staller II. tr. 4. §. 28. et 29. Linzer Quartalschrift 1877, pag. 21 sqq. et 193 sqq. Aertnys I. n. 57.—87. Berardi, Prax. n. 227.—260.

quae cetera reducuntur, et hoc versiculo exprimuntur: „Visito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo;" quae omnia opera sub generali nomine *eleemosynae corporalis* intelliguntur. Dicemus ergo pauca de officiis erga vitam corporalem in genere, et de eleemosyna corporali in specie.

§. 54. Officia erga vitam corporalem proximi generatim.

Omnia, quae de cura corpori *nostro* vitaeque *nostrae* impendenda antea demonstravimus, hoc quoque loco vim suam habent. Unde generatim haec notentur, quae ex Staller transscribo:

1. Vitam corporalem proximi revereri et tueri debemus.

1. *Vitam corporalem proximi corporisque incolumitatem summopere revereri et pro viribus tueri debemus.* Hoc jam procedit ex generali caritatis praecepto, vi cujus quodlibet grave damnum a proximo avertere tenemur, quod sine graviori incommodo nostro ab ipso avertere possumus. Hoc officium strictius utique pertinet ad eos, qui ex officio curam aut custodiam aliorum gerere debent, uti medici, obstetrices, custodes infantium et infirmorum, qui graviter peccant, si ex eorum incuria et negligentia grave vitae aut sanitati damnum exoriatur.

2. Singularis cura aegrotis exhibenda est.

2. *Singularem prorsus sollicitudinem* **aegrotis** *exhibere debemus,* utpote qui non uno tantum, sed plerumque multiplici obsequio, e. g. salubri victu, medicamentis, servitio, consolatione aliisque auxiliis spiritualibus quam maxime indigent. — Equidem haec cura praecipue ad eos spectat, qui aegroto arctiori vinculo junguntur, ac praesertim filii tenentur mutuam vicem reddere parentibus. Attamen christiana caritas in quovis infirmo membrum Christi, imo Christum ipsum suspicit, et proinde omnibus, qui ejusdem ope indigent, praesto esse conatur.

In specie infirmo obsequia omnia applicanda sunt, quae quilibet sibimetipsi, laesa sanitate, applicari desiderat, et in quantum potest, applicare debet, ut alibi dictum est.

Praesertim vero omnes, quibus cura infirmorum incumbit, sollicite sibi caveant, ne quid admittatur, quod vel recuperandae sanitati, vel ipsi vitae eorum nocere possit. Et sane impium esset, ex avaritia, vel omnino ex taedio et malevolentia in aegrotum non adhibere medicum, aut negligere media ab ipso praescripta, stupidaque socordia mortem infirmi accelerare potius, quam praepedire. — Ceterum officia ajentia, quae nobis circa vitam corporalem proximi incumbunt, plenius intelligi possunt ex iis quae paragrapho sequenti de eleemosyna corporali dicentur.

3. Cavendum est, ne vita proximi ex nostra culpa laedatur.

3. *Tanto magis curare tenemur, ne proximus ex culpa nostra in vita, sanitate aut membrorum integritate modo positive injurioso laedatur.* Sub hoc respectu praesertim culpabiles sunt:

a) Qui alios vulnerant, mutilant, aut violentas manus in eos injiciunt.

b) Qui rixis et mutuis verberationibus sese impetunt; quae ferocia praesertim tunc severam censuram meretur, ubi homines jurgiorum amantes vel studio vindictae capti, quavis data occa-

sione rixas intendere et disponere solent, vel alios ad ejusmodi pugnas hortantur et excitant.

c) Qui suos absque necessitate nimiis laboribus onerant; qui nutrimenta cum nocumento sanitatis corrumpunt; qui aliis vestimenta exhalationibus aegrotorum aliisve morbidis infectionibus referta exhibent.

d) Qui alios ex sua petulantia terrore afficiunt, aut mentem eorum gravi moerore injuste afflictant, ita, ut praemature contabescere videantur.

4. Diligens cautio proli in utero matris adhibenda est.

4. Diligens quoque cautio adhibenda est, ne ***proli*** *in utero matris adhuc existenti noxa quaedam inferatur.* Ex hoc titulo praesertim redarguendi sunt, qui, etiamsi praeter intentionem, culpabiliter tamen abortus causam praebent. Huc ex parte feminae praegnantis periculosi labores, intemperantia, corporis compressio, et generatim vehementiores tum corporis tum animi agitationes pertinent; ex parte autem aliorum, dum illam terrore, afflictione, injuriis, contumeliis vel etiam nimiis durisque occupationibus multum exagitant. — Praeprimis maritus culpandus est, si uxorem gravidam, sua saevitia periculo partus abortivi exponat. Multa porro dantur exempla, infantes adhuc tenellos misere contritos aut suffocatos fuisse, ubi parentes vel alii eos secum in lectum assumserunt. Quare parentibus severe inculcandum est, ne hoc fiat. Si vero propter rerum penuriam aliud medium expediens haud occurrat, necessarias saltem cautelas adhibeant, ne ex incuria sua homicidii indirecti reatum incurrant.

5. Cavendum est ab homicidio.

5. Quam maxime vero cavendum est, ne quis homicidii stricte sumti reus efficiatur, directe transgrediendo gravissimum illud Decalogi praeceptum: „Non occides"! de quo fusius infra dicetur.[1])

§. 55. Eleemosyna corporalis.

Sub ***eleemosyna*** in sensu latiori intelligimus quodlibet auxilium, quo proximum juvemus, malum temporale ab eo avertentes. — *In sensu vero strictiori eleemosyna juxta s. Thomam, est opus, quo datur aliquid indigenti ex compassione propter Deum.*

Certum est, exstare praeceptum tum naturale, quum positive divinum, eleemosynam pauperibus erogandi. Attamen praeceptum hoc, cum sit affirmativum, non obligat omni tempore. — Ad rite intelligendum, quandonam et in quantum hoc praeceptum urgeat, tum *ad diversos gradus necessitatis,* qua proximus affligitur, tum *ad facultates nostras* attendendum est.

Necessitas proximi, uti jam supra dictum est, potest esse vel *extrema,* vel *gravis,* vel *communis.*

Facultates seu bona sunt vel alicui *necessaria* vel *superflua.* Utriusque generis bona iterum sic distinguuntur: Bona sunt alia *necessaria vitae,* alia *necessaria statui;* haec posteriora sunt vel *simpliciter necessaria ad statum,* ut est e. g. alere se suosque sta-

---

[1]) Cfr Staller II. tr. 4. §. 4. Stapf §. 263.

tui convenienter; — vel *aliquo modo necessaria*, i. e. ad sumptus luxus moderati statui convenientis; e. g. ad famulos sustentandos, hospites recipiendos, donationes faciendas, ad moderata cum amicis convivia struenda etc. — Omnia bona superflua vel vitae, vel statui, vel utrique, dicuntur simpliciter *bona superflua*.

His praemissis jam quoad obligationem eleemosynae elargiendae sequens regula generalis tenenda est: *Praeceptum eleemosynae obligat sub gravi in necessitate gravi, imo etiam in necessitate communi;* et quidem quo major est indigentia proximi, eo majori bonorum dispendio ei subvenire tenemur; nam praeceptum hoc est in se grave et praecipue respicit necessitatem communem, cum casus necessitatis gravis raro eveniant.

Hinc graviter peccant divites, qui tempore caritatis annonae nihil de splendore status sui, lautitia mensae detrahentes, sinunt pauperes inedia confici. Item, qui pauperes dure a se semper repellunt, quique reservant omnia superflua ad statum altiorem acquirendum. Gravius adhuc peccant avari, qui tempore sterilitatis frumentum abscondunt, quo fit, ut pauperes famem patiantur, et subinde fame enecentur.

Sed nunc quaeritur in specie: *cui? ex quibus bonis? a quibus?* et *quomodo?* eleemosyna sit elargienda.

1. ***Cui eleemosyna est tribuenda?*** *Vere pauperibus;* ad hos enim respicit praeceptum; nec excludendi sunt infideles, haeretici, peccatores, inimici, alienigenae etc.; juxta ordinem tamen caritatis illos praeferre oportet, qui praeferendi sunt. 1. Cui eleemosyna elargienda est?

Hinc si proximus non sit absolute pauper, i. e. si hic et nunc quidem careat necessariis, sed aliunde habeat in re, vel saltem in spe, tunc eleemosynam illi erogandi obligatio non datur, sufficit enim, illi mutuare id, quo in praesenti indiget. Similiter, si proximus tantum egeat usu rei, satis est, illam ei commodare. Sed notandum, quod nulla est obligatio eleemosynam faciendi pauperibus laborare nolentibus, imo illicitum foret, utpote illis nocivum. Cavendum tamen est, ne cum voluntarie otiosis confundantur ii, qui ob defectum laboris necessitatem patiuntur; his itaque succurrendum est, vel eleemosynam dando, vel convenientem laborem procurando, quod, si fieri possit, melius ac salubrius est. — Denique dicendum, quod illi, qui sub paupertate ementita eleemosynam petunt, vel omnino importune extorqueant, ad restitutionem tenentur.

2. ***Ex quibus bonis eleemosyna est tribuenda?*** *Id pensandum est juxta qualitatem et quantitatem necessitatis proximi.* Unde haec tenenda sunt: 2. Ex quibus bonis eleemosyna est elargienda?

a) ***In extrema necessitate*** proximo succurrendem est ex bonis *vitae superfluis*, licet statui necessariis. Ita omnes, et ratio patet ex ordine caritatis. Unde nemo tenetur dare eleemosynam ex bonis sibi ad vitam necessariis, nisi pauper esset talis, ex quo penderet salus reipublicae, ut dicit s. Alphonsus. Imo nemo tenetur, proximo in tali necessitate constituto succurrere cum incommodo damnove vere magno; unde nemo a) In extrema necessitate.

tantam bonorum jacturam pati tenetur, ut ex statu suo penitus decidere debeat; imo dicunt, neminem generatim teneri maximam pecuniae summam erogare ad pauperem e periculo mortis liberandum, vel adhibere media extraordinaria, quae sumptus pro conditione personae admodum graves requirunt; caritas enim nec ad propriam vitam mediis extraordinariis servandam nos obligat, ut antea diximus.

b) In gravi necessitate.

b) ***In gravi necessitate*** proximo subveniendum est *ex superfluis statui,* sed cum mediocri tantum incommodo. Ita communiter; et ratio iterum patet ex ordine caritatis. Obligatio autem urget sub gravi, nisi prudenter judicetur alium esse subventurum; nam cum in s. Scriptura frequenter damnentur homines ob neglecta opera misericordiae, haec certe non sunt restringenda ad extremam et rarissimam necessitatem, id, quod etiam inferri potest ex propositione 12. ab Innocentio XI. damnata, quae sic sonat: „Vix in saecularibus invenies, etiam in regibus, superfluum statui; et ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tenetur tantum ex superfluo statui.“ Hinc graviter peccant, qui in magna temporum calamitate consuetis vestimentorum, mensae et recreationum lautitiis indulgent, quin afflictorum misereantur.

c) In communi necessitate.

c) ***In communi seu mediocri necessitate*** proximo subveniendum est *ex superfluis statui cum aliquo leviori saltem incommodo,* quin tamen isthaec obligatio generatim loquendo ad hunc vel istum pauperem in particulari restricta sit. An vero haec obligatio sit gravis, vel levis, controvertitur; negant multi cum s. Antonino, quia cum pauperum communis miseria soleat esse levis et tolerabilis, non videtur culpa gravis, auxilium eis denegare. — Affirmat vero cum communiori s. Alphonsus, si de pauperibus in genere, et non de aliquo particulari agatur. Ratio praecipua est, quia si divites absolutam non haberent obligationem subveniendi communiter mendicis, possent isti ab omnibus in sua necessitate relinqui, et ita necessitas eorum fieret gravis. Pro praxi tamen observat Laymann:[1] „Confessarius absolutionem a peccatis diviti non facile negare debet, quod communes (i. e. non graves) pauperum miserias per eleemosynam sublevare monitus recuset: tum quia de obligatione hac, an et qualis sit, Doctores non consentiunt, tum quia moraliter vix accidit, divitem nullam, saltem in specie, causam afferre posse; cur eleemosynam dare non soleat.“

Sed divites minime tenentur erogare totum superfluum, at nec sufficit erogare tam modicum, pro quantitate suae substantiae, ut si alii divites eadem parcimonia uterentur, pauperibus subsidium deesset. Communiter censentur satisfacere divites, erogando in pauperes communes *quinquagesimam partem* suorum redituum, seu 2%; si vero haec superflua non sint, minus; imo etiam, si ingentes essent redditus, non eadem

---

[1]) De car. cap. 6. n. 4. et 5.

proportione obligatio urget. Excipe tamen Beneficiatos, qui tenentur totum superfluum pauperibus aut locis piis distribuere, ut suo loco dicetur.

Ceterum si quis dives diu neget omnes eleemosynas, cum proposito, dandi meliore et commodiore loco ac tempore, vel egentioribus, vel in alium pium usum convertendi, is non peccat, cum habeat justam causam negandi. Si vero talis, sine rationabili causa, omnes a se pauperes inhumaniter repellat, eum dicit Laymann in statu malo versari.

Ex his deduces:

α) Excepto casu, quo publicis stipendiis pauperes utuntur, peccat mortaliter *dives*, qui statuit nullam dare eleemosynam in communibus necessitatibus; vel qui in hoc est notabiliter negligens, et superflua omnia accumulat ad altiorem statum assequendum. Nec certe modicae eleemosynae quemquam impediunt, quominus honeste ad superiorem statum ascendat.

β) Tenentur *medici, advocati* etc. operam pauperibus gratis impendere, quando hi sunt in vera necessitate, nec ab aliis adjuvari possunt. Ita s. Thomas.[1])

γ) Homines *privati* non tenentur inquirere pauperes. Si tamen dubitent de extrema alicujus indigentia, tenentur inquirere veritatem.

δ) Quodsi, praesertim in necessitate gravi, reliqui officio suo desint, quatenus agitur de stricta obligatione, ceteri non tenentur eorum defectum supplere; hoc enim praeceptum non obligat in solidum singulos, sed in communi omnes divites pro sua parte.

ε) Ille, qui praeceptum dandi eleemosynam negligit, non tenetur ad restitutionem, licet graviter peccet, quia contra caritatem quidem, non autem contra justitiam commutativam egit; siquidem eleemosyna ex caritate, non ex justitia pauperi debetur. Concedendum tamen, quod aliqua compensatio salutare remedium contra culpabilem omissionem esse potest. Ita Suarez.[2])

3. ***A quibus hominibus eleemosyna est elargienda?*** *Eleemosynam illi soli facere possunt et debent, qui sunt veri domini vel administratores bonorum.* Ratio est, quia non licet alicui dispensare aliena. Excipe, quando proximus est in extrema vel quasi-extrema necessitate, et aliunde ipsi succurri non potest. — Hinc non licet dare eleemosynam de rebus aliorum sine eorundem consensu expresso vel prudenter praesumpto. Unde e. g. non licet dare eleemosynam ex bonis restitutioni obnoxiis; licet tamen ex acquisitis per quaestum peccaminosum, sed non ex iis, quae per injustitiam acquisita sunt. — Uxores eleemosynas ordinarias et communes, convenienter ad suam conditionem, facere possunt, etiam invito marito, quippe qui invitus esse non potest; — extraordinaria tamen nonnisi cum consensu mariti, vel ex bonis propriis dare

3. A quibus hominibus eleemosyna est elargienda?

---

[1]) 2. 2. q. 71. a. 1. [2]) De carit. disp. 7. sect. 6.

possunt. — Filii per se nihil dare possunt, nisi in rebus minutis; tanto minus famuli de rebus domini, nisi adsit ejusdem consensus, saltem rationabiliter praesumptus, qui adesse censetur e. g. quoad panem et similia. Si tamen dominus seu domina reliquias mensae potius in cloacam projicere, quam pauperibus distribuere juberet, uti non raro fit, famula nihilosecius illas pauperibus clam distribuere potest. — Tutores et curatores, qui habent curam alienorum bonorum, possunt facere modicas eleemosynas ex bonis, quae administrant, quales nimirum illi, quorum sunt, facere deberent. Ita s. Alphonsus.

4. Quomodo eleemosyna est elargienda?

4. ***Quomodo eleemosyna est tribuenda?*** Modus in eleemosyna danda sequens servetur, scilicet detur:

a) Secrete et humiliter.

a) *Secrete et humiliter*, ut absit omnis pharisaica ostentatio, licet nonnunquam praestet, ut palam fiat ad aliorum exemplum.

b) Hilariter et benigne.

b) *Hilariter et benigne*, ita ut omnis oris frontisque asperitas caveatur: „Hilarem enim datorem diligit Deus"; et „qui cito dat, bis dat;" ergo etiam *prompte*, seu statim exhibeatur, si necessitas urget.

c) Large.

c) *Large*, in quantum scilicet facultates nostrae id permittunt. „Quomodo potueris, esto misericors,"[1]) dicit s. Scriptura.

d) Prudenter.

d) *Prudenter*, ut nempe pro diversis personarum temporumque adjunctis attendatur, qua ratione et quibus mediis aliorum necessitati optime provideri possit.

e) Pie.

e) *Pie*, scilicet ex motivo religioso, et in utilitatem non solum corporalem, sed quantum fieri potest, etiam in utilitatem spiritualem proximi, ita, ut ad eleemosynam corporalem etiam meritum eleemosynae spiritualis accedat.[2])

§. 56. Peccata praedictis officiis opposita.

Praeter peccata in prioribus paragraphis per transennam jam commemorata, curae debitae aliorum corpori, vitae et sanitati praesertim sequentia vitia quam maxime adversantur:

I. Homicidium.

I. ***Homicidium:*** — „Non occides!" hac prohibitione quaelibet injusta laesio — sicut in membris et vita propria — ita etiam in membris et vita aliena comprehenditur.

Homicidium est violenta hominis occisio ab homine facta. Distinguitur:

a) Homicidium totale et partiale.

a) *Homicidium totale et partiale; prius* est caesio hominis; *posterius* laesio hominis quoad corpus, vitam et sanitatem.

b) Homicid. voluntarium et casuale.

b) *Homicidium voluntarium et casuale; prius* contingit ex ipsa hominis intentione, atque duplex esse potest, nempe vel *directe voluntarium*, cum quis data opera aliquem interficit; vel *indirecte voluntarium*, cum quis directe alterius mortem non vult, ea tamen ponit, ex quibus potest praevideri mors alterius secutura. — *Posterius seu casuale* est, quod infelici aliquo eventu accidit, quin intentum aut praevisum fuerit.

---

[1]) Tob. IV. 8. [2]) Cfr. s. Alph. L. II. Müller II. §. 30. Lehmkuhl I. n. 605 sqq. Marc II. n. 485 sqq. Stapf II. §. 261.—264. Staller tr. 7. §. 4. et 5. etc.

c) *Homicidium simplex* et *qualificatum*, prout vel correspondet data definitio, vel aliam peccati speciem adnexam habet. Hujusmodi est: homicidium *sacrilegum*, sive ratione personae occisae, sive ratione loci, in quo fit occisio; — *Parricidium*, i. e. caedes parentum; *Conjugicidium*, i. e. caedes uxoris; *Prolicidium* i. e. caedes filiorum; *Fratricidium*, i. e. caedes fratris aut sororis; *Regicidium*, seu caedes principis; *Latrocinium*, quod ad praedam obtinendam committitur, ac proinde cum rapina conjungitur. — *Veneficium magicum*, cum nempe ope daemonis malum corporale aut etiam mors, alicui infertur. — Non quidem specie, bene vero gravitate distinguenda sunt: *homicidium proditorium*, quod sub specie amicitiae, homicidium *assassinium*, quod ex condicta mercede patratur.

c) Homicidium simplex et qualificatum.

d) *Homicidium violentum* et *subtile*, prout violenter, uti per gladium, vel subtilius, uti per venenum lentum patratur.

d) Homicidium violentum et subtile.

His praemissis quoad homicidium hae valent regulae:

Regulae:

1. *Absolute prohibitum est, directe innocentem occidere, etiam ad bonum publicum procurandum;* est enim actio intrinsece mala, et tum a lege naturae, tum a lege positiva divina, necnon a legibus humanis, — ecclesiastica et civili — expresse prohibita. Innocentes quoad bonum vitae autem censendi sunt omnes, praeter injustum aggressorem, hostem in bello injusto pugnantem, et malefactorem publica auctoritate puniendum.

1. Absolute prohibitum est, directe innocentem occidere.

Hinc nunquam licet aliquem occidere ex falsa misericordia, uti e. g. graviter vulneratum aut doloribus cruciatum, ut citius dolores finiantur; nec rabidos, ne aliis noceant, dummodo aliter a nocendo prohiberi possint; item non licet legatos aut obsides occidere, etiamsi hostes, qui illos miserunt, fidem datam non servaverint, et obsides et legatos ad eos missos, injuste interfecerint, quia innocentes sunt; imo nec licet *unum* innocentem occidere, ut plures salventur, e. g. tyranno ipsius caput postulante.

2. *Illicitum pariter est, ponere actionem de se et communiter periculosam, ex qua frequenter homicidium sequitur.* Ratio est, quia homicidium istud est voluntarium in causa. Hinc e. g. homicidii rei sunt, qui calce percutiunt mulierem praegnantem, vel eam terrefaciunt, ita ut abortus sequatur; vel qui alios, fors ipsos parentes aut conjugem, contumeliis et moerore afficiunt, ut praemature contabescant etc.

2. Illicitum est, ponere actionem de se periculosam, ex qua frequenter homicidium sequitur.

3. *Licitum tamen est, operam dare rei honestae, ex qua praeter intentionem mors alterius sequitur, dummodo res sit necessaria et tanti momenti, ut vitae ipsi aequivaleat.* Causa igitur, ex qua mors aut proximum mortis periculum alterius praevidetur, eo gravior esse debet, quo propinquius certiusque mortis periculum instat. — Hinc e. g. licite potes fugere per viam angustam, quamvis equi cursus forsan proterat claudum ibi jacentem, si non valeas alio modo evadere necem ab hoste tibi imminentem. Quodsi tamen claudus in statu peccati mortalis esset moriturus, lege caritatis deberes permittere te occidi, quia salutem proximi spiritualem tuae temporali teneris anteponere.

3. Licitum tamen est, ponere actum honestum, ex quo praeter intent. mors sequitur, dummodo res sit necessaria etc.

Indirecta innocentium occisio tum maxime licita est, si intervenit causa boni publici. Quare quae ad bonum publicum necessaria sunt, agere licet, etsi plures innocentes interfectum iri praevidentur: ut tormenta bellica in bello justo contra urbem dirigere, etsi multi innocentes etiam vitae damnum patiantur.

4. Non est homicidium, si mors alterius ex actione quadam mere per accidens sequitur.

4. *Non est homicidii criminis reus, qui adhibita diligentia ponit actionem sive licitam sive illicitam, minime de se vel raro periculosam, ex qua occisio per accidens sequitur;* ratio est, quia homicidium illud est omnino casuale et involuntarium. Hinc e. g. excusatur ab homicidio femina, quae fornicatione commissa parit prolem mortuam, nisi gravida mortis causam dederit; item venator, qui operam dans venationi prohibitae necat hominem, etsi diligentiam debitam adhibuerit.

Ultimo notandum, quod supra dictum est, quamlibet *injustam* laesionem et occisionem alterius prohibitam esse, datur vero etiam occisio *justa et licita*, de qua paragrapho sequenti sermo occurret.

II. Procuratio abortus.

II. ***Procuratio abortus.*** *Abortus est foetus immaturus in lucem editus. Hinc procurare abortum nihil aliud est, quam consulto efficere, ut foetus ex utero matris ejiciatur, dum adhuc in tali statu versatur, ut extra uterum matris nullatenus vivere possit.* Hoc autem fieri dicunt, si foetus ex utero matris ante septem menses post conceptionem ejiciatur. — Procuratio abortus igitur non est confundenda cum *acceleratione partus*, quae praematuram quidem foetus editionem significat, ita tamen, ut foetus jam in tali statu versetur, ut extra uterum matris vivere possit; quamvis ex istiusmodi partu praematuro debilior sit infans et manere soleat. Haec *acceleratio partus* ex gravi causa licita est; imo pro circumstantiis id fieri debet: si videlicet judicio timorati medici constat, matrem tam arctam esse, ut foetum evolutum suo tempore parere non possit, possit vero saltem post 28 hebdomadas gestationis uteri, vel melius etiam, si possit aliquot hebdomadas ulterius exspectare, donec vita infantis etiam praemature edendi extra periculum posita sit.

Aliter prorsus judicandum est de foetus immaturi expulsione, quae fieri potest vel *directe*, vel *indirecte*. Antiquiores passim inter foetum animatum et inanimatum distinguunt, asserentes, embryonem masculinum post 40 dies a conceptione, femininum vero post 80 dies animari. Medici vero nostri aevi asserunt, foetum paulo post conceptionem animari, quod vero statim a coitu evenire censent. Hoc tamen omnino certum est, foetum jam in utero matris, et non in partu demum animari, propositio contraria a Sede Apostolica profligata est. — Distinctioni antiquorum inter foetum animatum et inanimatum, etiam jus sacrum sese accommodavit quoad poenas in procurantes abortum statutas; jus Ecclesiae modernum tamen juxta Constitutionem „Apostolicae Sedis“ Pii IX. nullam facit distinctionem inter foetum animatum et inanimatum, atque ideo nec nos distinguere debemus; ita juxta graves Auctores, uti Avanzini, Del Vecchio, Lehmkuhl, Marc etc. contra alios, ut infra dicetur.

His praemissis jam quoad procurationem abortus sequentia tenenda sunt principia:

Principia: 1. Nunquam licet, directe abortum procurare.

1. *Nunquam licet* **directe** *atque ex proposito procurare abortum, etiamsi foetus nondum animatus supponatur.* Ratio est, quia si foetus est animatus, committeretur verum homicidium, eo atrocius, quod anima simul et corpus in perniciem conjicerentur. Si vero nondum est animatus, tendit ad hominis occisionem, et est contra naturam generationis, et quodammodo homicidium *anticipatum.* — Hinc:

a) Non licet puellae gravidae pharmacum sumere ad foetum expellendum, ne famam amittat, aut ne a patre furioso occidatur. Constat ex propositione 34. ab Innocentio XI. damnata: „Licet procurare abortum ante animationem foetus, ne puella deprehensa gravida occidatur aut infametur.“

b) Homicidis jure canonico aequiparantur, qui conceptionem foetus naturalem impediunt veneno sterilitatis, aliove indebito modo. Certum tamen est, esse licitum feminae invasae, repellere semen, ne immittatur; non autem ejicere, si jam sit immissum, ut impediatur conceptio, quia hoc est directe contra naturam generationis. Contrarium tamen tenet Lehmkuhl.[1])

c) Non licet medicis, cum mulier gravida est, foetum quocunque modo directe interimere, ad matrem liberandam a periculo mortis, quod alias parturiendo experiretur; nam ex duobus malis minus quidem *permittere,* nunquam vero patrare licet. — Unde non est unquam licita operatio, quam *craniotomiam, cephalotripsiam, embryotomiam* vocant, qua foetus in utero conciditur, antequam de ejus morte constet. Multum de liceitate hujusmodi operationis pro et contra concertatum est, sed per Responsum S. Officii d. d. 31. Maji 1884 sententia, craniotomiam unquam licere, rejicitur; Congregatio declaravit scilicet: „*Tuto doceri non posse,*“ in scholis catholicis, licitam esse craniotomiam. — Etiam a Patribus Concilii provinc. Baltim. X. Americae septentrionalis, absolute illicita dicitur, dicunt scilicet: „Neque ulli unquam matri, quaecunque res inciderit, fas est, mortem utero inclusi foetus permittere, ne ut propriae quidem vitae consulat.“[2]) Quod certe intelligendum est de consensu matris in craniotomiam.

2. Licita tamen est aliquando indirecta procuratio abortus.

2. *Licitum est tamen aliquando* **indirecte** *procurare, seu melius permittere abortum, subministrando matri pharmacum, per se et directe tendens ad curandum morbum, cum periculo tamen abortus.* Id nempe licet in duobus casibus:

a) Quando certe judicatur, matrem sine remedio simul cum prole esse morituram; et

b) quando aequale est periculum abortus, sive remedium sumatur, sive non.

Ratio est, quia in utroque casu sine majori periculo foetus consulitur vitae matris. — Si autem rationabilis spes sit, fore ut proles matri supervivat, adeoque baptizari possit, non licet pharmacum sumere, quia caritas et pietas obligant matrem, praeferre

---

[1]) I. n. 849. [2]) In litteris encycl. v. Coll. Lac. t. 3. col. 1280.

vitam spiritualem prolis saluti proprii corporis. — Secus dicendum, si hujusmodi spes absit; tunc enim non videtur mater in extrema necessitate posita teneri, ob exiguam spem vitae et baptismi prolis, propriam vitam negligere. — Secus etiam, si antequam matri pharmacum datur, foetus ope instrumenti in utero materno baptizetur. — Hinc

a) Non scrupulose agendum est *medicis* quoad pharmaca praestanda matribus; quia moraliter impossibile est, pereunte matre, prolem posse supervivere, nisi mater sit partui proxima, vel nisi morbus sit brevissimus.

b) Nihilominus quaecunque femina praegnans *mortua* aperienda est a chirurgo, vel obstetrice, vel ab alia persona perita, per sic dictam *operationem Caesaream*, ut ita proles, si forsan matri superstes sit, baptizetur; multi enim infantes ex utero matris, jam a pluribus horis mortuae, vivi extracti sunt. Unde statim post mortem matris ejus os est aperiendum, ne infans suffocetur. — *Vivente adhuc matre* tamen *operatio Caesarea* tunc tantum licita est, si ex una parte matri, ob ejus robustam constitutionem chirurgique vel obstetricis peritiam, mortis periculum solummodo remotum immineat, et si ex altera parte, vera spes affulgeat, fore, ut prolis vitae tum temporali, tum aeternae consuli possit.

Poena in procurantes abortum statuta.

Quum procuratio abortus tam horrendum sit crimen, Ecclesia ad illud praecavendum gravissimam in illud patrantes inflixit poenam. Juxta Constitutionem „Apostolicae Sedis" excommunicationem latae sententiae, Episcopo reservatam incurrunt: *„Procurantes abortum effectu secuto"*. — Ubi sequentia sunt notanda:

α) *„Procurantes"*. — Probabiliter etiam nunc eximi potest ipsa mater, quae in se abortum faciat. Nam ex antiquis Bullis matres ipsae *clare* distinguebantur a „procurantibus abortum"; quae lex id effecit, ut „procurantes abortum" quodammodo terminus technicus evaserit, qui *reliquos praeter matrem* significet, qui sensus hic eo magis sumi potest, quod intentio Pii IX. fuerit excommunicationes potius restringere quam augere.

β) *„Procurantes"* igitur dicuntur ii, qui sive per se, sive per alios (mandato, jussione) *studiose* seu *ex industria* (directa voluntate) causam foetum ejicientem ponunt, sive medicamento, sive percussione, compressione etc.

Quare non comprehenduntur, qui praevidentes quidem, sed non intendentes, actionem foetus laedentem — etsi cum peccato — ponunt; nec illi, qui solummodo cooperantur, e. g. qui solummodo suadet, qui medicamentum vendit, qui jussus illud praeparat etc.

γ) *„Effectu secuto"*. Hinc nemo amplius — si excipias matrem, juxta litteram *α)* — praetextu foetus nondum animati ab excommunicatione excusatur, quia nulla admittitur distinctio. — Sunt tamen perplures, qui etiam post Constitutonem Apostolicae Sedis ad incurrendam censuram postulant, ut foetus in

sensu veterum animatus sit.[1]) — Censuram vero *non* incurrit, qui causam abortus posuit, si effectus utcunque secutus non est. Verum si dubium est, seu potius ignorantia effectus secuti, haec a censura non excusat, quando re ipsa effectus secutus est. Ita Lehmkuhl.[2])

Nota 1.: Reliquas poenas in procurantes abortum statutas vide in jur. can. — Leges civiles pariter statuunt poenas contra procurantes abortum, uti videri potest in Codice criminal. Austriaco §. 141.—148., Cod. poen. Gall. art. 317., Ital. 501.

Nota 2.: Procuratio abortus in plurimis Dioecesibus est etiam casus reservatus ab Episcopo; ubi notandum, quod qui facultate gaudet a casibus reservatis absolvendi, non ideo etiam potest a censura Episcopo reservata absolvere, nisi specialiter ad hoc est delegatus ab Episcopo; vel nisi Episcopus expresse declarat, uti fecit Celsissimus Brixinensis, in facultate nempe absolvendi a casibus reservatis contineri etiam facultatem absolvendi ab excommunicatione praedicta.

III. Duellum.

III. ***Duellum:*** *Est pugna duorum vel plurium ex condicto praecedenti de tempore, loco et armis, cum periculo occisionis, mutilationis vel vulnerationis.*

Duellum igitur non est, sed rixa, si duo vel plures subita ira abrepti ad pugnam se provocant, statimque congrediuntur. Nec dici potest duellum, si quis alias te occisurus porrigat arma, ut sic fortunam experiaris, posito, quod aliter non possis evadere, et absit condictio de tempore et loco rem armis dirimendi. — Eo minus duellum sunt pugnae ad gravem laesionem inferendam ineptae, uti fiunt virgis vel levi baculo.

Distinguitur: duellum *publicum* et *privatum*, prout auctoritate publica, vel nomine privato suscipitur; *solemne* et *simplex*, prout vel coram testibus (seu, ut vocant, patrinis, secundantibus) vel iis omissis habetur; porro duellum *fatale* et *non fatale*, prout ad mortem vel ad vulnus cruentum condicitur.[3]) — Novissimum genus duelli est sic dictum duellum *americanum*, quod sorte ducta in suicidium unius alteriusve partis reincidit.

His praemissis haec valent principia:

1. Duellum auctoritate publ. susceptum quandoque licitum est.

1. Duellum ***publica auctoritate*** *susceptum licitum est; si fiat propter bonum commune gravi de causa;* illicitum tamen ex causa vana vel improportionata. Unde justa causa duelli solum bellum justum est, aut ut finiatur, aut ut hostium provocantium insolentia frangatur, propriique exercitus existimatio servetur apud hostes, apud proprios animus. Si enim totus exercitus pugnare potest, etiam singuli loco omnium eligi possunt, per quos pugna terminetur. Sic laudabiliter pugnavit David cum Goliath ad terminandum bellum cum minori damno. Hoc autem vel simili casu excepto, princeps mortaliter peccaret permittendo duellum, e. g. ad

---

[1]) Cfr. Expositio casuum reservatorum in Dioecesi Brixinensi 1888, pag. 84. [2]) II. n. 970. [3]) Cfr. Sol. cas. conf. Brix. 1886. VI.

ostentationem, ad spectaculum, ad vindictam, ad terminandam litem etc.

2. Duellum auctoritate privata susceptum nunquam licitum est.

2. *Duellum* ***auctoritate privata*** *susceptum nunquam licitum est;* repugnat enim tum juri naturali, tum juri positivo divino, ecclesiastico et civili. *Nec excusatio est ex parte duelli, quod ineatur ad primam sanguinis effusionem tantum, vel ad certum ictuum numerum; aut ex parte causae, quod, nisi quis suscipiat, officium cum gravi jactura bonorum dimittere cogatur, ipseque pro infami habeatur.* — Unde Tridentinum dicit: „Detestabilis duellorum abusus fabricante diabolo introductus, ut cruenta corporum morte animarum perniciem lucretur, ex christiano orbe penitus exterminetur.“ [1])

Imo, non solum provocatio ad duellum, sed ipsa quoque duelli oblati acceptatio omnino prohibita est. Id patet ex Bulla Benedicti XIV. „Detestabilem“ anno 1752 edita, quae sequentes theses proscripsit:

Theses proscriptae.

a) „Vir militaris, qui, nisi offerat et acceptet duellum, tamquam formidolosus, timidus, abjectus, et ad officia militaria ineptus haberetur, indeque officio, quo se suosque sustentat, privaretur, vel promotionis alias sibi debitae ac promeritae spe perpetuo carere deberet, culpa et poena vacaret, sive offerat, sive acceptet duellum“.

b) „Excusari possunt etiam honoris tuendi vel humanae vilipensionis vitandae gratia duellum acceptantes, vel ad illud provocantes, quando certo sciunt, pugnam non esse secuturam, utpote ab aliis impediendam“.

c) „Non incurrit ecclesiasticas poenas contra duellantes latas dux vel officialis militiae acceptans duellum ex gravi metu amissionis famae vel officii.“

d) „Licitum est in statu hominis naturali acceptare et offerre duellum ad servandas cum honore fortunas, quando alio remedio eorum jactura propulsari nequit.“

Notetur insuper: quod non licet suscipere duellum *fictum* ad vitandam infamiam, quia sic non vitatur scandalum. A fortiori non licet duellum suscipere ea lege, ut uno vulnerato pugna cesset, quia praeter scandalum et prohibitionem, adest periculum vulneris lethalis.

Si vero vir nobilis provocatur ad duellum, licite respondere potest: „Ego, ut christianus non possum acceptare duellum, tamen paratus sum, ad me defendendum contra injustos aggressores.“

Poenae ecclesiasticae in duellantes statutae.

Poenae ab Ecclesia in duellantes statutae sunt sequentes:

a) Excommunicatio latae sententiae Romano Pontifici (simpliciter) reservata. Constitutio „Apostolicae Sedis“, hanc excommunicationem incurrere declarat: *„Duellum perpetrantes, aut simpliciter ad illud provocantes“* (quamquam duellum non sequatur) *„aut ipsum acceptantes“* (etiamsi nec pugna, neque accessus ad locum fiat): *„et quoslibet complices, vel qualem-*

[1]) Sess. XXV. cap. 19. de reform.

cunque operam aut favorem praebentes" (nempe patrinos, consulentes, nuntios, dictantes libellos provocatorios, aut eos scribentes) *„necnon de industria spectantes"* (qui nempe data opera ad duelli locum accedunt et duello assistunt, suaque praesentia videntur duellantes incitare; non autem qui casu et obiter per locum duelli transeunt et pugnam aspiciunt, nullo modo illam approbantes et accuentes) *„illudque permittentes, vel quantum in illis est non prohibentes, cujuscunque dignitatis sint, etiam regalis vel imperialis."* — Juxta Lehmkuhl et „Acta S. Sedis" tamen notandum est, quod illi, qui consilio, favore, permissione etc. influxerint in duellum, sive in ejus provocationem, vel acceptationem, tum tandem excommunicationem incurrunt, quum *duelli* complices evaserint, i. e. *duello re ipsa secuto;* quod circa spectatores evidens est.

Adhuc notandum est, quod d. d. 24. Septembr. 1883 S. Congr. Inquisit. sequentes quaestiones propositae sunt:

α) „Potestne medicus rogatus a duellantibus duello assistere cum intentione citius finem pugnae imponendi, vel simpliciter vulnera ligandi ac curandi, quin incurrat excommunicationem S. Pontifici simpliciter reservatam?"

β) „Potestne saltem, quin duello sit praesens, in domo vicina vel in loco propinquo sistere proximus ac paratus ad praebendum suum ministerium, si duellantibus opus fuerit?"

γ) „Quid de confessario in iisdem conditionibus?"

S. Congr. Inquisit. respondit d. d. 28. Maji 1884. Ad I.: „Non posse et excommunicationem incurri." Ad II. et III.: „Quatenus *ex condicto* fiat, item non posse et excommunicationem incurri."[1])

b) Privatio sepulturae ecclesiasticae; pariter ex Concilio Tridentino. Et quidem si duellantes in conflictu ipso discedant, licet ante obitum dederint poenitentiae signa. Imo etiamsi extra locum conflictus, Sacramentis muniti decesserint, uti praecipit Benedictus XIV. in Bulla „Detestabilem".

Concilium provinc. Viennense anno 1858 tamen statuit, tunc tantum denegandam esse sepulturam ecclesiasticam, si in ipso duelli conflictu decesserint, nec aliquod resipiscentiae signum dederint.

Denique in Codice criminali Austriaco[2]) duellantes *poena carceris gravis* ad 10—20 annos plectuntur, si mors alterius exinde sequatur; ob alias tristes sequelas eadem poena carceris statuitur, nunquam tamen ultra 10 annos duratura. Etiam patrini et alii cooperantes poenae condignae subjiciuntur.[3])

Nota: Duello affines sunt istae pugnae, quibus juvenes academici pugione concertant, sic dictae *mensurae academicae,* quippe quae quodammodo medium tenent inter duellum et exerci- Nota.

[1]) Cfr. Linzer Quartalschrift 1885, pag. 365. [2]) §. 158.—165. [3]) Cfr Lehmkuhl I. n. 831 sqq; II. n. 948. et 949. Müller II. §. 123., 126., 127. Marc I. n. 738.–745. Staller II. tr. 5. §. 5.—7. et §. 10. Gury de V. praecepto. Stapf II. 264.—267. etc. Aertnys I. n. 193.—196.

tationem gladiatoriam. Distinguendae sunt mensurae in sensu *strictiori* et *latiori*.

α) Juvenes in tractandis armis satis instructi ex variis corporationibus statuto tempore, e. g. singulis annis convenire solent, et bini atque bini *unice in eum finem* pugnam inter se instituunt, ut appareat, *quaenam corporatio in arte gladiatoria alteram vincat.* Quare qui ita pugnant, thorace aliisve mediis ita praemuniti sunt eumque pugnandi modum tenent, ut mors aut grave vulnus accidere vix possit. De cetero pugna ista non ad merum exercitium sed potius ex causa indicata serio agitur atque eo usque protrahitur, donec alterutra pars vulnere accepto victa appareat. Haec est pugna, quae vere ac *stricte nomen mensurae* sibi vindicat.

β) Academici eandem quoad substanstiam pugnam haud raro eum in finem instituunt, in quem nostris temporibus vera duella iniri consueverunt, i. e. *ad honorem laesum*, ut ipsis videtur, *reparandum*, et haec pugna sub nomine *mensurae in sensu latiori* comprehenditur.

Discrepat ergo *mensura* in genere a duello in eo, quod intentionem occidendi graviterve vulnerandi, quae duello propria est, formaliter excludit: porro quod in *mensuris* tum arma, tum totus pugnandi modus multo minus periculosa sunt; et denique quod in *mensuris* nequaquam, prout duellis nostri temporis fere essentiale habetur, semper causa honoris agitur, licet etiam academici mensuram haud raro solummodo ob punctum honoris instituant.

Pugnae illae, quae strictissimo sensu mensurae appellantur, sine dubio peccaminosae sunt, et quintum decalogi praeceptum laedunt, cum in iis sine causa competenti vera vulnera infliguntur. Gradus culpae praecipue ex gradu periculi dijudicandus est. Quia vero in iisdem etiam graviora vulnera cum omnimoda securitate non manent exclusa, objective loquendo, *a gravi culpa vix excusari poterunt.* — *Et hoc idem multo magis valet de mensuris in sensu latiori;* illae enim praeter vulnerationem illicitam iisdem perversissimis principiis ac duella reguntur, verisque duellis, quae licita esse supponunt, proxime januam aperiunt.

At poenis ecclesiasticis mensurae academicae generatim non subesse videntur; nam licet *pugnae, in quibus adest proximum seu morale periculum aut mortis aut mutilationis aut gravis vulneris, poenis ecclesiasticis subjaceant, illae pugnae vero, de quibus id simpliciter affirmari nequit, a poenis istis excusantur.* In praxi ergo ad hoc generale principium in casibus singulis reflectendum erit; nam etsi generatim mensurae poenis ecclesiasticis, ut diximus, subjacere non videntur,

per accidens tamen juxta relatum principium generale, illis subesse possunt.[1])

§. 57. Occisio alterius justa et licita.

Datur etiam licitum occisionis genus, uti jam supra indigitavimus et quantum ad hoc praesertim tres casus ventilandi sunt, in quibus occisio proximi juste et licite fieri potest:

I. Occisio injusti aggressoris.

I. ***Occisio injusti aggressoris:*** Certum est apud omnes, contra injustum aggressorem uti licere necessaria defensione, atque vim vi repellere, etsi fiat cum injusti aggressoris occisione. Sed refert plurimum, *quaenam bona* injustus aggressor nefarie invadat; quia non omnia eadem violentia, iisdemque mediis tueri licet. Praenotandum etiam est, illa tantummodo bona vim adhibendo defendere permitti, quae nobis ex stricto jure debentur, ut vita, membra, pudicitia et bona fortunae, et eatenus tantum, quatenus publica auctoritas in auxilium vocari nequit. Denique cum ad solam defensionem id facere liceat, homicidii vel laesionis reus est, qui, quando se defendit, *ultra necessitatem* in laedendo vel necando adversario procedit, seu quod idem est, qui non servat „moderamen inculpatae tutelae".

„Moderamen inculpatae tutelae" igitur in eo consistit, ut nos contra injustum aggressorem per media mitiora defendamus, si talia praesto sint; nec ad medium extremum scilicet ad occisionem injusti aggressoris procedamus, quoadusque injustam aggressionem mitiori quovis modo declinare aut propulsare valemus. Occisio etenim injusti aggressoris in summa tantum necessitate permittitur, quando scilicet alia se defendendi media desunt. Hinc non licet occidere aggressorem, si quis clamando, fugiendo, percutiendo, arma retundendo vel eripiendo, aut aggressorem vulnerando semet contra injustam violentiam efficaciter tueri possit. — Moderamen porro inculpatae tutelae occisionem injusti aggressoris restringit ad casum, in quo de injusto aggressore actualiter tali agitur. Hinc non licet occidere aggressorem, qui solummodo malum inferre minatur, aut occasionem mali inferendi quaerit, aut crimine jam patrato fugam arripuit. In tali nimirum casu occisio potius rationem aggressionis aut vindictae, quam necessariae defensionis haberet. — Per se patet, cruentam sui defensionem solummodo contra *injustum* aggressorem licitam esse. Hinc e. g. homines criminosi ministros justitiae, qui eos insequuntur, minime occidere possunt, cum *injusti* aggressores non sint. Denique requiritur, ut occisio injusti aggressoris non ex odio aut vindictae studio fiat, sed eo tantum fine, ut nosmetipsos juraque nostra impie lacessita defendamus. Mortem enim alterius qua talem appetere nunquam licet.

Tandem notandum est, quod in illis casibus, in quibus nosmetipsos usque ad occisionem injusti aggressoris defendere possumus,

---

[1]) Cfr. Schmid, solutio cas. Conferent. ex Directorio Brix., cas. VI. 1886.

etiam proximo cruenta defensione succurrere *licet* adversus injustam aggressionem, quam hic ipse propulsare non valet; generatim vero nemo privatus ad hoc tenetur, nisi ordo caritatis id postulet.

His necessario praemissis, jam sequentia tenenda sunt principia:

1. Licitum est, defendere propriam vitam etc. cum occisione injusti aggressoris.

1. *Licitum est, defendere propriam* ***vitam*** *aut* ***corporis membra et libertatem*** *cum occisione injusti aggressoris, servato „moderamine inculpatae tutelae".* Est doctrina communis et prorsus certa, ut omnes Doctores cum s. Thoma et Catechismo Romano dicunt. — Imo, si quis de sibi parata aggressione moraliter certus esset, neque aliter structas insidias mortisque pericula declinare posset, huic, juxta probabiliorem sententiam, liceret praevenire aggressorem, ne propria postea defensio impossibilis aut inefficax reddatur. Admonet tamen s. Alphonsus hanc sententiam, quamvis probabiliorem, vix posse propter hallucinationis periculum in praxi teneri.

Sed dixi: „*licitum est*", sed ad hoc *nemo tenetur*, quia id est medium extraordinarium vitam conservandi. Imo actus perfectionis est, atque Evangelii consilio conformis, sui occisionem permittere, ne aggressor temporali simul et aeterna vita privetur; modo vita invasi non sit necessaria et valde utilis bono communi et invasus non sit in statu peccati mortalis, quia secus omnino tenetur se defendere.

Probabilius etiam licet occidere *ebrium* vel *amentem aggressorem*, nisi constet, eum in statu peccati mortalis versari; ratio est, quia, etsi ebrius vel amens non sit aggressor *formaliter injustus*, est tamen materialiter injustus, et tu jus tuum servas, vim vi repellendo; verum si fugere possis, et sic te ab invasore subtrahere, fugere teneris.

2. Licitum est, etiam alia bona necessaria cum occisione injusti aggressoris defendere.

2. *Licitum est, non tantum vitam, sed bona etiam ad eam honeste agendam necessaria, contra injustum aggressorem defendere cum ejus occisione, servato „moderamine inculpatae tutelae".* Et quidem in specie.

a) Bona temporalia magni momenti.

a) Licitum est, occidere invasorem bonorum temporalium magni momenti, quamvis ad vitam necessaria non sint, modo aliter defendi nequeant. Est sententia probabilissima et communis, quam tenent etiam s. Thomas et s. Alphonsus; ratio est, quia caritas non obligat ad praeferenda bona proximi altioris ordinis, nisi quando proximus est in extrema necessitate, non vero quando ipse se exponit sponte periculo mortis.

Sed dictum est: „bonorum *magni momenti*", quorum nempe jactura notabile damnum afferret, juxta conditionem personae ea juste possidentis. — Certum est enim, non licere occidere aggressorem, si agatur de bonis parvi momenti, vel de bonis, quae nondum actu possidemus. Unde Innocentius XI. sequentes propositiones damnavit, scilicet n. 31.: „Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius auri;" et n. 32.: „Non solum licitum est defendere defensione occisiva, quae actu possidemus, sed etiam ad quae jus inchoatum habemus, et quae nos possessuros speramus."

Porro dictum est: „*modo aliter defendi nequeant*“; secus enim dicendum, si per leges et politiam status publicae securitati et reparationi injuriarum satis prospiciatur.

Praesertim vero licet, injustum aggressorem bonorum temporalium, justo moderamine observato, interficere, quoties non solum, bonis fortunae, sed insuper vitae etiam nostrae grave periculum, imminet, quod praesertim de fure nocturno, atque de illo timendum est, qui nos armatus aggreditur, vel ex insidiis prorumpit, et per modum raptoris se habet. — *Porro, si ad rei temporalis ablationem personalis violentia domino infertur,* facilius etiam ratio est, cur liceat vim vi repellere; ita ut etiam tum a gravi peccato excusatio existat, si res tanti momenti non erat; modo et res fuerit notabilis, et aggressio personalis alio modo repelli nequiverit. Ita Lehmkuhl.

b) *Licet mulieri pro tuenda pudicitia, se ipsam defendere cum aggressoris occisione, si non potest aliter vim repellere, seu cum moderamine inculpatae tutelae.* Ita s. Antoninus et alii communiter contra paucos. Ratio, quia ut plurimum adest periculum consentiendi actui peccati; et quia, etiamsi non adsit periculum consentiendi, ipsa materialis corporis integritas est bonum maximi aestimandum. Et sane, si liceat vim vi repellendo interficere invasorem bonorum fortunae, quanto magis licebit interimere foedum pudicitiae invasorem, cum agatur de bono superioris ordinis; quod nullis omnino pecuniis aestimari potest?

b) Ob tuenda pudicitiam mulieris.

Quoad quaestionem: an maritus possit occidere eum, qui vult cum sua uxore adulterare, — affirmantem sententiam non reprobat s. Alphonsus, si vir ante factum occidat, ne adulterium eveniat, et si infamiam suam aliter evitare nequeat. Sed notari debet etiam sententia ab Apostolica Sede damnata: „Non peccat maritus occidens propria auctoritate uxorem in adulterio deprehensam.“

c) *Non licet tamen occidere injustum aggressorem honoris et bonae famae.* Nam defensio physica solummodo contra aggressionem physicam moraliter praesentem adhiberi potest, cujusmodi contumelia aut calumnia non est. Insuper quisque alio modo, e. g. fuga, vel ordine justi judicii potest honori et famae consulere eamque recuperare, quare occisio fieret absque moderamine inculpatae tutelae, et hoc admisso innumeris caedibus aditus pateret. Unde etiam Innocentius XI. sequentem propositionem sub n. 30. damnavit: „Fas est viro honorato, occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter haec ignominia vitari nequit; idem quoque dicendum, si quis impingat alapam, vel fuste percutiat, vel post impactam alapam vel ictum fustis fugiat.“ Porro Sedes Apostolica hanc profligavit propositionem: „Est licitum religioso vel clerico calumniatorem, gravia crimina de se vel de sua religione spargere minantem, occidere, quando alius modus defendendi non suppetit.“ Et tandem Alexander VII. hanc propositionem sub

c) Non licet vero, injustum aggressorem honoris et famae interficere.

n. 18. proscripsit: „Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam judicem, a quo iniqua certo imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum evitare.“

II. Occisio in bello.

II. ***Occisio in bello:*** Quae modo de defensione privata dicta sunt, suo modo etiam de defensione publica civitatis contra injustas aggressiones aliarum civitatum, seu de bello obtinent. Omnis enim civitas personam moralem constituit, ac inter ipsam et reliquas civitates, prout inter singulos homines, jura tum activa tum passiva subsistunt, quibus ipsarum convictus socialis dirigitur.

Hinc quodsi jura unius civitatis ab alia violentur, et remedia mitiora non proficiant, jus habet, semet vi etiam externa tuendi, id, quod per modum vel praeventionis, vel defensionis, vel satisfactionis fieri potest. Patet ergo, bellum aliud esse *defensivum*, aliud *offensivum*, dum nempe gens aliqua vim sibi illatam vi propulsat, vel ipsa vim infert.

His praemissis sequentia statuimus principia:

1. Bellum sub certis conditionibus licitum est.

1. Bellum, sive defensivum, sive offensivum, licitum est, si justae adsint conditiones. Constat tum ex s. Scriptura, tum exemplo s.s. Regum, qui bellarunt pro fide, pro tuenda dignitate, pro defensione suae ditionis et suorum populorum tutela. Ratio est, quia societas quaelibet, tamquam persona moralis non minus, quam individuum, medium habere debet, injuriam repellendi, et jus suum vindicandi; interdum vero non suppetit aliud medium, ad hunc finem obtinendum, quam bellum.

Conditiones sunt:

Ut autem bellum justum ac licitum sit, sequentes *conditiones* requiruntur:

a) Auctoritas legitima eaque suprema.

a) Auctoritas legitima eaque suprema, ubi enim major auctoritas habetur, hujus est, litem dirimere, vel injurias vindicare.

b) Causa justa et gravis.

b) Causa justa et gravis, praeponderans malis ex bello secuturis, uti e. g. provincia, ab adversario usurpata, recuperanda, gravis injuria reipublicae propulsanda, subditorum rebellio reprimenda, religio ab iniquis aggressoribus tuenda etc.

Minime vero justa bellandi causa est: ampliatio regni, gloria nominis, imminuenda potentia principis vicini etc.; hujusmodi bellum s. Augustinus merito „grande latrocinium“ vocat.[1])

In dubio de justitia belli, vel cum *sola probabilitate* juris, bellum inchoare non licet. Miles autem de justitia belli dubitans, si est subditus, vel conductus ante bellum declaratum, obedire tenetur, quia possidet lex. Miles autem nondum conductus, in dubio de justitia belli, se locare non potest.

c) Intentio recta.

c) Intentio recta, ut fiat nempe amore boni communis, non ex odio, studio vindictae etc. Si haec tamen ultima conditio desit, cum bellum in se non est injustum, non datur obligatio restituendi.

2. Modus bellandi debet esse regulis justitiae et juris gentium consentaneus.

2. *Modus bellandi debet esse regulis justitiae et juris gentium consentaneus.* Hinc:

---

[1]) De civit. Dei L. IV. cap. 6. fin.

a) *Ante bellum* (scilicet offensivum) a parte adversa petatur satisfactio, quae si offeratur, offensus ex justitia tenetur, eam acceptare, ubi enim bellum desinit esse necessarium, desinit esse justum. a) Ante bellum.

b) *Decursu belli,* ea omnia licent, quae jure gentium permittuntur et necessaria sunt ad finem obtinendum. Unde licet insidias parare, stratagemata adhibere, e. g. fingere fugam, uti vexillis hostium. Porro licet in bello justo obsidere urbes, aqua eas privare etc. — *Illicitae* vero sunt *fraudes,* quae nulla prudentia possunt praecaveri, e. g. veneno inficere puteos et fontes; item nefas est laedere Legatos partis adversae, vel subornare spiculatores, qui ducem exercitus occulte trucident etc. b) Decursu belli.

c) *Bello finito* tandem fides publica cum hoste pacta, etsi injustum bellum gesserit, servanda est, nisi hostis ipse prius fidem fregerit, aut foedus sit objective malum. Ratio est, quia, si pacta publica non essent omnimode servanda, nulla pax stabilis foret, quod in maximam generis humani perniciem vergeret. c) Bello finito.

Ultimo notandum, quod principium, quod vocant *„de non interventu“*, omnino est reprobandum, et expresse reprobatum est a Pio IX. in Syllabo errorum sub n. 62. his verbis assertum: „Proclamandum et observandum principium, quod vocant de non interventu.“ Ratio in promptu est; istud enim principium repugnat caritati, vi cujus unum gubernium alterum pro viribus adjuvare et tueri satagat contra injustum aggressorem; et maxime quoque perniciosum est societati humanae, quia „quandam impunitatem ac licentiam impetendi ac diripiendi jura aliena, proprietates et seditiones sancire videtur“, ut praelaudatus Pontifex in allocutione d. d. 28. Septembr. 1860 habita, edicit. — Vi hujus principii Papa Patrimonio s. Petri spoliatus est; et pater hujus principii, ipse Napoleon III., vi ejusdem principii regnum et thronum amisit.

III. ***Occisio malefactoris:*** Placitum erat Waldensium, non licere principibus malefactores morte mulctare. Idem sentiunt Anabaptistae et pseudo-politici non pauci, qui sub philanthropiae praetextu clamitant, mortis poenam esse abrogandam. Contra hos dicimus: III. Occisio malefactoris.

1. *Malefactores societati noxios occidere vel mutilare licet.* Constat ex jure naturae et positivo divino. Insuper constat, quod experientia testante nihil magis facinorosos avertit a criminibus, quam metus mortis. Hinc ex omnium temporum populorumque consensu occisio malefactoris ut licita, imo quandoque pro bono communi necessaria habita est.[1]) 1. Licitum est, malefactores occidere.

2. *Non personae privatae, sed soli auctoritati publicae, competit potestas occidendi malefactores societati noxios;* nam privati nullam potestatem hac de re a Deo acceperunt, solis principibus jus gladii a Deo concessum est. Hinc non licet patri proprios filios, nec domino proprios servos, nec marito propriam uxorem 2. Solae auctoritati publicae competit potestas malefactores occidendi.

---

[1]) Cfr. s. Thom. 2. 2. q. 64. a. 2.

correctionis causa occidere aut mutilare; solae poenae leviores a patre, magistro etc. infligi possunt propter delicta subditorum. — Nec obstat, quod permittatur quandoque privatis occidere illos reipublicae hostes, quos *proscriptos* aut *banditos* vocant; isti enim occiduntur non auctoritate privata, sed publica, i. e. auctoritate principis, qui illam concedere potest gravissima de causa, ac in suo tantum territorio. Ceterum ne satellites quidem possunt licite occidere sontem profugum, licet sit jam ad mortem damnatus, nisi de hoc habeant speciale mandatum.

3. Auctoritas publica regulariter servare debet ordinem juris.

3. Auctoritas publica, regulariter, non potest occidere malefactores, nisi servato juris ordine. Agitur enim de re gravissima principi a Deo commissa ob solam necessitatem. Datur tamen quandoque exceptio, si crimen sit notorium, vel adesset seditionis periculum aut dedecus principis, si juridice procederetur.

Tandem notandum, quod judex sub gravi tenetur, malefactori ad mortem damnato concedere tempus sufficiens, ad Confessionem et Communionem sacramentalem peragendam.[1])

Nota: De reparatione damni, proximo in bonis corporis illati, alio loco.

C. Officia specialia erga statum externum proximi.

Praenotanda.

Ex eodem capite, quo demonstravimus, nobismetipsis curam status nostri externi cordi esse debere, deducimus itidem officium affine, eandem status externi integritatem quorumcunque hominum reverendi, conservandi minimeque laedendi. Specialia hujus generis officia attinent tum *vocationis munera,* quibus quisque fungitur; tum *honoris famaeque integritatem*, qua utitur; tum *fortunae bonorum* usum, *variaque jura proximi,* necnon *reparationem juris violati seu restitutionem.*

VIII. Decalogi praecept.

§. 58. Officia quoad vocationem, existimationem, honorem et famam proximi.

I. Officia quoad vocationem proximi.

I. ***Officia quoad vocationem proximi:*** Cum tanta sit hominis cujuslibet obligatio, certam vitae rationem sequendi, ejusdemque negotiis sedulo vacandi, sine dubio nostrum est, hujus generis studia aliorum revereri et juvare, quantum possumus; nunquam vero ea improbo consilio vel facto turbare aut impedire. Primum caritati, alterum justitiae debemus.

Hinc ad nos pertinet, proximum ante electionem certi status, omni meliori modo ad statum congruum adducere, et econtra a statu incongruo avocare; item illum, statu jam electo, in eo adjuvare tum consilio, tum facto. Nefas igitur est, quodcunque

---

[1]) Cfr. s. Alphons. L. III. Müller II. §. 124., 125., 128. Lehmkuhl I. n. 832 sqq. et n. 854 sqq. Marc II. n. 729.—737. et 749.—752. Staller II. tr. 5. §. 8., 9., 11. Aertnys I. 183.—186. et 197.—200.

honestum et societati humanae utile negotiorum genus, quo alii occupantur, contemptu vel illusione prosequi; aut justum aliis quaestum invidere; aut sedulitatis conatus, contumeliis, injuriis, impedimentis lacessere et cohibere; aut eorundem opera et arte facta dolose despicere, vituperare atque minuere, et quae sunt similia. Id potius fas est, sine proprii commodi studio, aliorum industriam consilio, justa aestimatione, laude, institutione, pretio, quin etiam praemio fovere atque juvare.

II. Officia quoad existimationem proximi.

II. ***Officia quoad existimationem proximi:*** Sub hoc respectu tenemur, quatenus per leges veritatis et prudentiae conceditur, bonam de omnibus opinionem habere. Absit, ut ex argumentis mere negativis, de proximo aliquid mali suspicemur; potius ex recepta regula juris, unusquisque tamdiu habeatur bonus, donec probetur malus. Imo, etiamsi aliquis deliquerit, nostrum tamen judicium mitigare, ipsiusque errata humanae potius infirmitati, quam malitiae adscribere convenit. — Omnium minime vero illis existimationem denegare fas est, qui citra suam culpam bonis aequalibus vel dotibus et talentis destituuntur.

III. Officia quoad honorem.

III. ***Officia quoad honorem proximo exhibenda:*** Cuique illam honorificentiam, quae ejus meritis, dotibus, necnon dignitati externae debetur, per signa, communi hominum usu recepta, impendamus oportet; et quidem non mechanice aut modo adulatorio, sed sincere et peramanter.

IV. Officia quoad bonam famam prox.

IV. ***Officia quoad bonam famam proximi:*** Sub hoc respectu nobis incumbit, bonae famae proximi omni meliori modo consulere, ejusque honorem apud alios promovere.

Hinc, quoties per rationes altiores licet:

a) Naevos et defectus proximi pie obtegere et dissimulare convenit. Id praesertim de naevis et defectibus illorum obtinet, qui cum ad altiorem sacratioremque dignitatem evecti sunt, bona existimatione maxime indigent, et ex quorum lapsibus, ubi divulgantur, ingens scandalum oritur. Horum igitur lapsus nos quoque ad exemplum piorum Sem et Japhet pallio caritatis cooperire tenemur.

b) Eadem caritas petit, ut famam proximi impie lacessitam, vel apud alios periclitantem strenue defendamus.

c) Denique praeclaras aliorum dotes et virtutes etiam suo loco et tempore in lucem proferre, atque illis praecipue commendare decet, quorum favore et protectione tales indigent, vel quorum refert, ut easdem non ignorent.

Haec tamen aliorum commendatio caute fieri debet, ne laudes vel veritati vel justitiae repugnent. Piaculum certe gravissimum subeunt, qui nonnisi studio partium, vel spe proprii commodi ducti, hominem indignum commendant, eumque postpositis dignioribus ad publicum aliquod munus protrudunt. Quantum ad officia sacra, ejusmodi commendationes labe ipsius quoque simoniae non raro commaculantur.[1])

---

[1]) Cfr. Stapf II. §. 270.

§. 59. Peccata praedictis officiis opposita.

Praedicta officia variis modis laedi possunt, et quidem:

I. Contra officium relate ad statum eligendum.

I. Contra officium relate ad vocationem proximi praesertim illi graviter peccant, qui proximum *cogunt* ad certum statum ingrediendum, e. g. statum militarem, sacerdotalem, religiosum, matrimonialem; vel qui sine justa causa aliquem *avocant* a statu congruo, et eum ad statum incongruum adducunt. Relate ad statum religiosum, Concilium Tridentinum cogentes feminam quamcunque ad ingrediendum monasterium ... nec non impedientes feminam ab hoc ingressu, anathemati subjicit.

Quoad illum, qui alium abstrahit a statu religioso, distinguendum est, vel eum abstrahit vi, fraude et dolo, vel tantum precibus ac consiliis. Si primum, graviter peccat contra caritatem et justitiam in seductum et Religionem, cui adscribi voluit; ideo sub gravi tenetur et ex justitia, vim, fraudem etc. tollere, et in pristinam libertatem eum reponere; insuper Ordini damnum resarcire debet juxta aestimationem communem, quod inde Religio percepisset. Id a fortiori valet, si quis aliquem jam Religiosum, per talia media ad egressum allicit. — Si secundum, subdistingue: si faciat sine causa rationabili, peccat mortaliter, sed non tenetur ad restitutionem; si vero cum justa causa id facit, uti per se patet, non peccat.[1])

II. Contra bonam existimationem proximi:

II. Contra bonam existimationem proximi, haec sunt peccata:

1. Suspicio temeraria.

1. Suspicio temeraria, est opinio seu assensus infirmus i. e. inclinatio ad assensum de malo proximi absque causa sufficiente.

2. Dubitatio temeraria.

2. *Dubitatio temeraria*, est suspensio judicii in neutram partem se determinantis ita quidem, ut dubitans nec annuat, nec renuat, sed dubium esse existimet, an proximus peccatum aliquod commiserit, necne, quin sufficiens dubitandi causa existat.

3. Judicium temerarium.

3. Judicium temerarium: est judicium seu assensus absolutus et firmus de improbitate proximi, absque solido fundamento, seu ex insufficientibus, levibusque indiciis conceptus. — Distinguendum est igitur a *judicio falso*, quia cum illo haud semper coincidit, sic e. g. judex sententiam falsam proferre potest, quin temerarie in causa processisse dici possit.

Si ad suspicandum, dubitandum et judicandum de peccato proximi argumenta manifeste sufficientia et naturae actus proportionata habeantur, ratio temeritatis, suspicionis, dubitationis et judicii penitus cessat, et peccatum non est; neque suspicionis temerariae arguenda est cautio, qua providemus, ne quis, cujus probitatem satis perspectam non habemus, nobis aliisve nocere possit; talis enim suspectio in tanta hominum corruptione regulis prudentiae justae consentanea est, ut nemo obinde tamquam de injuria sibi illata conquaeri possit; non enim alios magis, quam nosmetipsos

---

[1]) Cfr. e. g. Schwane III. p. 62. n. 2.

diligere jubemur. Hinc axioma tritum: „Vide, cui fidas,“ infracta manet.

Suspicio, dubitatio et judicium tunc demum peccata sunt, si temerarie, seu sine sufficienti causa de malo proximi suspicatur etc. Et quidem haec tria peccata *tum caritati*, *tum justitiae* repugnant; *caritati*, quia unusquisque tamdiu habendus est bonus, donec probetur malus, „caritas non cogitat malum“; *justitiae*, quia quisque jus habet ad bonam sui existimationem apud singulos, quae autem minuitur vel tollitur per praedicta peccata. Unde etiam quisque temerarie de proximo suspicans, aut dubitans aut judicans, tenetur *ex justitia* reformare suam suspicionem suumque dubium vel judicium.

Gravitas horum peccatorum desumitur partim *ex gravitate materiae*, partim *ex insufficientia rationum*, ubi notandum, majora indicia requiri ad suspicionem, quam ad dubitationem, et denuo majora ad judicium, quam ad suspicionem; partim denique *ex animi consensu et dispositione;* qui non consentit, per se culpa immunis est; dispositio vero culpam vel auget, vel minuit; augetur culpa, e. g. si malum quis de aliis cogitat ex odio, contemptu, invidia etc., minuitur, si tantum ex indole timida, melancholica, suspicaci etc.[1]) Gravitas horum peccatorum.

In specie quoad gravitatem horum peccatorum haec valent:

a) Suspicio et dubitatio temeraria per se et ex genere suo sunt tantum peccata venialia, quia famam proximi non tollunt, sed tantum minuunt et dubiam reddunt; manet enim in mente suspicantis aliquo modo bona existimatio proximi. Attamen *gravia sunt*, si suspicio et positiva dubitatio *ex malevolentia, seu ex gravi odio procedat, et in gravem contemptum etiam internum tantum prorumpat;* seu juxta s. Alphonsum: si dubitatio vel suspicio deliberata et nulli rationi subnixa, versetur circa peccatum admodum grave vel enorme et extraodinarium alicujus personae, praesertim attenta hujus personae dignitate et conditione; e. g. si quis foveat suspicionem de crimine gravi sacerdotis vel religiosi. Per ejusmodi suspicionem gravius quandoque delinquitur, quam per judicium temerarium, quo peccatum simpliciter dumtaxat grave proximo impingitur. Praesertim vero hujusmodi suspiciones gravem reatum induunt, si aliis, cum gravi damno proximi manifestantur. a) Suspicio et dubitatio per se sunt peccata venialia.

b) Judicium temerarium est peccatum grave ex genere suo, quia proximo fit gravis injuria, dum sine causa improbus habetur, praeterquam, quod exinde plerumque gravia mala sequantur. Ita communiter. Unde etiam dicitur in s. Scriptura: „Nolite judicare, ut non judicemini.“[2]) b) Judicium temerarium est peccatum grave ex genere suo.

Ut vero judicium temerarium peccatum mortale sit, requiritur:

α) Ut sit judicium, non sufficit sola apprehensio, qualis e. g. fuerit, si videas hominem domo egredientem, qui menti

---

[1]) Cfr. etiam Berardi, Praxis n. 219 sqq. [2]) Matth. VII. 1.

tuae ut fur exhibetur, sive per diabolicam suggestionem, sive per phantasiam mentisque instabilitatem et sagacitatem.

β) Ut sit *assensus moraliter certus,* alioqui habes suspicionem tantum. Certus assensus ab infirmo optime *reflexione* distinguitur, si homo seipsum statim interrogat, num sibi persuasum sit, quod cogitet de altero.

γ) Ut sit judicium conceptum sive sustentum *ex rationibus, quas perfecte animadverteris esse vere leves;* nam si graves rationes habeas, etsi paulo ultra pondus rationum judicio adhaereas, non graviter peccas, sed venialiter; si pro pondere rationum judicas sive suspicaris, nil peccas. Quare s. Alphonsus ad rem notat, ad peccatum mortale non sufficere, ut animadvertas, te contra aliquem sinistre cogitare, sed requiri etiam, ut plene advertas, te id facere ex levi ratione, aut sine examine sufficienti rationum, quae apparent.

δ) Ut sit *de re graviter diffamanti,* sive sit defectus moralis, sive aliud quid diffamans.

ε) Ut sit *de homine tibi noto*, aut de communitate, familia nota. Scil. neque de homine aliquo indeterminato male cogitare peccatum grave est, neque de homine determinato mihi ignoto, quem e. g. casu video. Ita expresse Lugo.[1]) Attamen sic temere judicare, est peccatum veniale.

Ex dictis patet, quando judicium temerarium veniale non excedit.

Nota: Pro praxi s. Alphonsus monet: „In hac materia advertat confessarius, multos rudes se accusare, quod temere judicarint. — Oportet efficere, ut ipsi sciant:

α) Cum adsunt sufficientia momenta ita judicandi de aliqua actione, judicium non esse temerarium, sed justum, adeoque non esse culpabile.

β) Haec, ut plurimum, non esse judicia, sed suspiciones, quas domini et patresfamilias aliquando tenentur habere, ut aliquod peccatum impediant: e. g. ne servi furentur, ne filiae peccent cum hominibus versando, et alia id genus. — Tandem advertatur, ne hujusmodi suspiciones aliis communicent sine necessitate.“[2])

III. Contra bonam famam proximi.

III. ***Contra bonam famam proximi*** est *occulta et injusta alienae famae laesio seu denigratio.* Dicitur laesio *occulta,* i. e. irrogata absenti, et sic distinguitur a *contumelia,* quae praesenti aufert honorem; dicitur *injusta,* si enim alienae famae esset justa denigratio, non foret formalis laesio famae.

Fama proximi duplici modo laedi potest, aut *revelando defectum verum*, et tunc dicitur *detractio simpliciter talis*, seu *diffamatio;* — aut *imponendo falsum seu augendo vel exaggerando defectum verum,* et tunc dicitur *calumnia* seu *infamatio.*

---

[1]) Disp. 14. n. 26. de just. et jure. [2]) H. A. XI. 2.

Haec revelatio et insinuatio potest fieri vel *directe*, vel *indirecte; directe* quidem fit quatuor modis: imponendo crimen falsum; exaggerando crimen verum; pandendo crimen occultum; sinistre interpretando opus bonum alterius; *indirecte* contingit etiam quatuor modis; negando recte facta vel dotes alterius, ea extenuando; tacendo bona alterius, eo loco et tempore, quo tuum silentium alii interpretantur tacitam vituperationem; simulate et frigide laudando. Omnes isti octo modi denigrandi famam proximi succincte hisce versibus enuntiari solent:

„Imponens, augens, manifestans, in mala vertens,
Qui negat, aut imminuit, reticet laudatque remisse."

Possunt vero istae denigratoines fieri sive verbis, sive scriptis, sive actione vel omissione. Speciatim autem efferuntur duo modi famae laesivi aliis graviores, scil. *libellus famosus*, quo denigratio latius diffunditur et altius mentibus inhaeret; — et *susurratio*, qua fit detractio eo modo et eo fine, ut pax et amicitia proximi cum altero dissolvatur: quae circumstantia, utpote novi ejusque gravissimi mali origo, in confessione exprimenda est.

Tandem notandum est, quod detractio et calumnia *specie morali mortali per se non distinguuntur,* siquidem species peccati, quam calumnia addit, mendacium dico, *ut sic* venialem malitiam continet, ita ut moralis malitia ex sola famae laesione oriatur. Nihilominus communiter in confessione uterque modus distinguendus est, quo melius cognoscatur tum peccatum, fueritne mortale; tum obligatio reparationis, quomodo sit urgenda. Ita Lehmkuhl.[1])

His generatim praemissis jam nunc tum de detractione, tum de calumnia separatim fusius agendum est.

1. ***Detractio simpliciter talis***, qua verum vitium proximi manifestatur, et quidem vel directe vel indirecte, i. e. vel ex intentione famam laedendi, vel ex levitate et loquacitate, absque intentione famam proximi laedendi. — Quoad hanc sequentia tenenda sunt principia: 1. Detractio simpliciter talis.

a) Detractio sive viventi, sive jam mortuo facta, ex genere suo est peccatum mortale contra caritatem et contra justitiam, et gravius quidem furto, sed levius homicidio. Ita Doctores communiter; et ratio est, quia laedit proximum in bono plurimum gravi, quodque praestantius est divitiis multis. Unde et poeta canit: „Omnia si perdas, famam servare memento!" Hinc etiam s. Scriptura detractionem ut quid Deo hominibusque exosum exhibet, et s. Paulus dicit: „Detractores . . . digni sunt morte!"[2]) a) Detractio ex genere suo est peccatum mortale.

Dixi: *„sive viventi,* sive *mortuo"*, nam neque defuncti carent jure ad famam inter viventes, et licet persuasio ista, quasi liceret impune post mortem alicujus famam corrodere, si homines invaderet, non produceret plane eosdem, at similes tristes effectus produceret durante vita humana, ut licentia viventium

---

[1]) I. n. 1177. [2]) Rom. I. 30.—32.

famam impetendi. Addo, te sane nescire, neque id sumere tibi licere, defunctum, de cujus fama agitur, esse inter reprobos — quamquam si scires, ne tum quidem jus tibi esse illum diffamandi, theologi docent — at sane nescis; porro si defunctus, — id quod sumi debet, — in gratia Dei defunctus est, infames Dei amicum, peccata narres, reticens ejus poenitentiam, utpote tibi ignotam, quae tamen re ipsa adeo insignis fuerit, ut coram Deo omnibus illius peccatis praeponderet. Ita Lehmbuhl. Per accidens tamen denigratio defuncti licita esse potest, ut infra dicetur.

Attamen detractio, quamvis gravis ex genere suo, saepe venialis tantum est, ob levitatem materiae vel imperfectionem actus. Gravitas vel levitas materiae detractionis tamen non praecise ex qualitate peccati, quod de proximo narratur, sed *ex gravitate vel levitate damni* quod proximus exinde praevidetur passurus, determinanda est. Hinc ad cognoscendum, utrum detractio sit grave aut leve peccatum, attendi debet: *ad qualitatem mali,* quod per modum detractionis de proximo edicitur; dein *ad qualitatem personae detrahentis*, scil. an sit gravis et discreta, aut levis et garrula; denique *ad qualitatem personae detractae seu laesae,* an sit bonae vel malae famae; nam eo majus ex detractione famae detrimentum sequetur, quo majore fide dignus est detrahens, et quo majori aestimatione gaudet ille, cui detrahitur. Ad subjectivam culpam mortalem praeter gravitatem materiae etiam *perfectionem actus* requiri, per se patet. — Attendi igitur debet:

Ad gravitatem dijudicandam attendi debet: α) Ad qualitatem peccati.

α) *Ad qualitatem peccati,* an scilicet ex sua natura graviter infamans sit, necne. Generatim quidem peccata gravia, saltem pluribus manifestata, graviter, peccata autem levia haud graviter infamare merito reputantur, licet etiam contrarium fieri potest, ut infra dicetur. Generatim igitur graviter peccat, qui peccatum aliquod grave pluribus manifestat, quia proximo grave famae detrimentum infertur. Peccatum aliquod, etiamsi grave sit, unico viro prudenti et discreto communicare, absque periculo alterioris divulgationis, probabiliter non est mortale, quia cum fama in communi hominum aestimatione consistat, non absolute diffamatus censetur, qui apud unum tantum vel alterum famam amisit. Item detractio levis plerumque censeri potest, si quis alium infamet generalibus tantum nominibus peccatorum, e. g. si dicat, hunc vel illum esse superbum, aut iracundum etc.; quia audientes quid tale pro naturali propensione tantum accipere, nec graviter imputare solent. Nec *regulariter* mortale est, revelare defectus mere naturales, e. g. defectum ingenii, corporis aut natalium, quia non sunt defectus morales et proinde famam per se haud notabiliter afficiunt.

Manifestatio levioris alicujus defectus moralis per se peccatum grave non est; attamen tale fieri potest, quando defectus leves successive revelando fama proximi sensim sine

sensu corroditur, vel omnino animus benevolus tertii a proximo avertitur. Gury dicit: lethale esse potest de aliquo in conspicua dignitate constituto tam multa, etsi non singula gravia, revelare, ut notabiliter laedatur ejus fama, licet intra longum tempus id peragatur.

β) *Ad qualitatem personae detrahentis*, an scil. talis sit, cui ab audientibus fides facile adhibetur, necne. Etenim quae magni ponderantur, si a persona gravi et fide digna narrentur, parvi haberi solent, si a persona levi, garrula, iracunda, infami etc. effutiuntur. „Si ex circumstantiis fidem dictis non adhiberi praevidetur," ait Lehmkuhl, „gravis diffamatio non infertur; ex quo capite ii, qui noti sunt pro garrulis, levitati deditis, vel in odio aut invidia contra alterum implicatis, saepe in meliore conditione sunt relate ad gravitatem peccati (saltem objectivam), quod detrahendo committunt, et consequenter quoad incumbentem iis obligationem, dicta sub gravi retractandi; nam subjective, si ex gravi odio, invidia etc. agant, tamen mortaliter peccant." Quoad illum, qui refert alicujus peccatum ut ab aliis auditum, distinguendum est: si ita referat, ut probabiliter nulla inde infamia oriatur, eo quod alii non sint credituri, non peccat mortaliter; si audita referat coram iis, qui ex sola sua levitate vel malitia probabiliter sint credituri, non peccat quidem contra justitiam, quia non est causa efficax damni, sed mere per accidens; graviter vero peccat contra caritatem, quia quisque tenetur impedire grave damnum proximi, si commode possit; — si tandem ita referat, ut audientes probabiliter et merito credituri sint, puta, si asserat audivisse a persona fide digna, tunc graviter peccat contra caritatem et justitiam, quia dat sufficientem causam credendi malum. Econverso, si referat crimen tamquam auditum a personis fide indignis, e. g. ab inimicis infamati, tunc non peccat mortaliter respectu infamati. — Ita s. Alphonsus. β) Ad qualitatem personae detrahentis.

Qui crimen oblivioni datum revelat, justitiam laedit, quia factum est occultum. Qui peccatum proximi refert, et simul delinquentis poenitentiam, non peccat, si poenitentia valde superet lapsum; ordinarie autem sinistra aliqua opinio e tali narratione remanere solet, nisi poenitens admodum sancte vivat post lapsum. Rohling, Medull. 255.

γ) *Ad qualitatem personae detractae:* Fieri enim potest, ut revelatio peccati etiam gravioris, alicui personae parum aut nihil noceat; dum alteri revelatio ejusdem peccati, aut etiam levioris defectus multum nocere possit. Non quaevis igitur peccati gravis revelatio peccatum grave est; nec quaevis venialis aut defectus non peccaminosi manifestatio, veniale. Sic e. g. grave communiter non censetur, si quis de milite aut juvene mundano dicat, eos rixatos, inebriatos, fornicatos fuisse, duellum habuisse etc., quia hi et similes talia non ducunt probro. Econtra e. g. si de sacerdote aut religioso dicas, γ) Ad qualitatem personae detractae.

eum esse mendacem, proclivem esse ad amores, grave est; secus idem de laico dicere.

Porro gravis infamatio esse potest, si de viro honorato, praesertim si in munere publico constitutus sit, dicere praesumas, eum prorsus inscium et imperitum, aut ex thoro illegitimo ortum esse, quia ejusdem auctoritas notabiliter exinde diminui potest. — Item non est gravis infamia, alterius, qui deditus est vitio jam publico, narrare factum occultum *ejusdem generis*, e. g. ebriosum notorium iterum inebriatum fuisse. Nec grave est, aliquem in uno crimine infamem, de alio illi crimini *connexo vel affini* infamare; ut, si dicatur de ebrioso notorio, eum cum uxore esse rixatum. Grave autem est, aliud crimen revelare *non connexum*, sed disparatum, e. g. furem notorium esse libidini deditum, quia infamis quoad unam virtutem, non amisit famam quoad aliam virtutem. — Item non est mortale, *de aliquo ignoto vel indeterminato certi cujusdam loci* male loqui; e. g. in hoc loco esse multos improbos, quia in omnibus locis mali homines solent reperiri, unde proprie dicta infamia nulli inuritur. Grave autem est, dicere de religioso indeterminato alicujus monasterii, eum commisisse grave peccatum, e. g. simoniam, fornicationem etc., si inde gravis infamia redundet in totum monasterium, quod ex circumstantiis colligendum est. Cum vero nostris diebus plurimi homines odio Religionis praeoccupati, ob crimen unius religiosi vel sacerdotis, totum statum solent traducere ut criminosum et infamem, hinc in praedicto casu raro deerit peccatum mortale. — Grave non est, *tacito loco crimen referre de aliquo, quem audientes non cognoscunt, nec unquam cognituri sunt*, etiamsi nominetur; imo hoc frequenter omni culpa morali vacare potest.

δ) Ad perfectionem actus.

δ) *Ad perfectionem actus:* Ut scilicet detractio objective gravis ad culpam mortalem imputari possit, requiritur, ut quis plena ratione utens advertat, vel saltem advertere debeat, locutionem suam proximo graviter posse nocere. A culpa mortali proinde excusat imperfectio actus, quae in peccatis linguae facilius, quam in aliis peccatis contra proximum commissis accidere potest. Lehmkuhl[1]) dicit: „Subjectivam gravitatem ex defectu plenae advertentiae seu deliberationis saepe deesse, vix est, quod dicam; siquidem nullae actiones magis videntur inconsiderationi subjacere, quam quae loquacitate gignuntur.“ Et s. Thomas dicit: „Peccata linguae habent aliquam levitatem, in quantum de facili ex lapsu linguae proveniunt absque magna praemeditatione.“[2]) Observari tamen debet, eos, qui pravam detrahendi consuetudinem voluntariam sequuntur, a peccato mortali difficilius excusari posse, quamvis in actu ad gravitatem culpae

[1]) I. n. 1176. [2]) 2. 2. qu. 73. a. 3.

minus advertere videantur; mitius judicandum est de iis, quorum consuetudo detrahendi non amplius voluntaria est, quippe qui inadvertenter detrahentes omni culpa vacant. — Strictius quoque judicium ferri debet de iis, qui familiare consortium cum personis detractioni deditis amant, unde improbis detractionibus frequentius implicantur. Utinam in quolibet parlatorio affixum esset hic versiculus, a s. Augustino mensae suae appositus:

„Quisquis amat dictis absentum rodere vitam,
Hanc mensam vetitam noverit esse sibi."

b) Nonnunquam tamen licitum est, crimen proximi revelare.

b) Nonnunquam tamen permissum, imo aliquando praeceptum est, propter aliquod bonum necessarium crimen proximi revelare seu manifestare. Idque tum *ratione justitiae;* jus enim famae in ignorantia veri criminis fundatum dumtaxat hypotheticum est, in quantum justa causa, nempe bonum aliquod necessarium, non exigit criminis manifestationem. Quapropter si ex tali causa vitium proximi revelatur, injuria ipsi non irrogatur, nullaque proinde detractio committitur; tum *ratione caritatis,* quae quippe postulat, ut bonum majus bono minori praeferatur; quocirca ob tale bonum tuendum defectus alienos revelare permissum, imo quandoque et praeceptum est; nec infamatus tunc rationabiliter invitus esse potest. — Et hoc quidem valet tum quoad vivos, tum quoad mortuos.

Quoad vivos, ut communiter dicunt, a detractionis labe eximit:

α) *Bonum notabile ipsius revelantis;* e. g. ad auxilium vel consilium, vel solatium in re gravi capiendum; vel a gravi damno semet liberandum.

β) *Bonum spirituale delinquentis,* scilicet ad ipsius instructionem vel correctionem; quia bonum animae praeponderat bono famae. Sic frequenter licitum vel etiam jussum est, occulta delicta filiorum, famulorum et subditorum manifestare eorum parentibus, dominis aut superioribus.

γ) *Bonum publicum,* uti ad impedienda mala Ecclesiae vel reipublicae imminentia; quia bonum publicum praeferendum est bono privato. Uti e. g. si quis improbus aut prorsus ineptus, digno posthabito, assumendus sit in magistrum juventutis, in parochum aut medicum, cum spirituali aut temporali multorum damno etc.

δ) *Bonum grave aliorum;* ut e. g. a damnis sibi certe vel probabiliter eventuris liberentur; quia bonum innocentis praeponi debet bono nocentis. Hinc e. g. informare herum de improbitate famuli, quem conducere intendit, non solum licet, sed officium caritatis esse potest, praesertim si quis disserte interrogetur.

ε) *Obedientia Superioribus debita,* si nempe ab eisdem ad manifestationem alicujus rei directe provocemur; quae quidem provocatio in viris cordatis et discretis graves rationes supponit, etiamsi nos illas haud perspectas habeamus.

Quamvis autem manifestatio delicti vel defectus occulti ex causis modo recensitis licita vel omnino praecepta sit, semper tamen cavendum est, ne peccatum alienum ex odio, invidia aliove affectu improbo manifestetur, ac ne quis rem ultra necessitatem exaggeret, indeque calumniator iniquus evadat. Nimis enim proni sumus, ut in describendis aliorum peccatis calamum aut linguam aequo et justo severiorem adhibeamus. Porro in manifestatione delicti aut defectus alieni nos intra limites necessitatis continere debemus, nec plura, nec pluribus revelando, quam conditio causae requirit. Summopere igitur errant, qui ea, quae huic aut illi detegere licuisset vel debuisset, per compita divulgant, quique, ubi pauciora suffecissent, quidquid hucusque latuit, in scenam producunt.

Quoad mortuos, qui, uti supra dictum est, etiam jure ad bonam famam inter viventes gaudent, etenim „de mortuis nonnisi bene“, uti proverbium habet, itidem haud raro justissima causa adesse potest, eorum crimina, quamvis occulta, ad lucem trahendi, et quidem:

α) Ut innocens ab aliis injuste diffamatus, famae restituatur.

β) Ut auctoritas et influxus hominis impii, quem etiam post mortem exercere pergit, destruatur vel minuatur.

γ) Imo, si agitur de homine apud probos perditissimae famae, nil est, quod diffamationem proprie augere possit, ita, ut tunc *quaelibet rationabilis causa* etiam in scribendis vel detegendis aliis ejus sceleribus sufficiat.

δ) *Per accidens* etiam ex alia causa plus licere potest. Nimirum cum hac aetate ea sint ingenia eaeque opiniones, ut putent, omnia, quae detegi possint, in lucem esse edenda; saepe accidere potest, ut ad praecavenda majora mala praestet, ex rebus olim publicis vel non-occultis etiam ea, quae *ex se* melius aeterna oblivione sepulta manerent, per probum historiographum secundum veritatem narrari, quam per impios ea falsis misceri atque ad pravos fines propalari.

Unde etiam historiographi peccant, si memoriae defunctorum notam ignominiae inurunt, occulta delicta sine causa sufficiente manifestant, cognita exaggerant, aut poenitentiam reticent, quam pro delictis suis egisse compertum est. Ita Lehmkuhl.

c) Licitum est, crimen alterius revelare in loco, ubi pluribus jam notum est.

c) *Non est peccatum detractionis, crimen alterius cuipiam revelare in loco, ubi jam multis notum est, sive juris, sive facti, sive famae publicitate. Item non est peccatum saltem grave, crimen publicum in uno loco, revelare in alio, ad quem brevi tempore notitia ejus perventura est.* Ratio primi est, quia infamatus tunc nullam patitur injuriam; ratio secundi, quia fama, quae brevi et necessario amittetur, nullius, vel certe non magnae aestimationis est, et moraliter loquendo jam omissa est. Ita s. Alphonsus.

Dicitur vero crimen notorium *publicitate juris:* cum de eo constet vel per publicam judicis sententiam, vel ipsam rei

confessionem; — *publicitate facti:* si crimen in publico loco coram multis patratum est, ita, ut non amplius possit celari; — *publicitate famae:* quando fama criminis provenit ad tot homines communitatis, ut spectatis circumstantiis fieri nequeat, quin ad notitiam ceterorum perveniat.

Si vero crimen in aliquo loco publicum manifestatur in alio loco, ad quem notitia ejus nunquam, aut nonnisi post diurnum tempus perventura est, tunc distinguendum est, scil.:

α) Si crimen publicum sit *sententia judicis*, tum ejusdem manifestatio in alio loco non est culpa gravis, imo nec levis, quia reus publica auctoritate, et quidem in poenam sceleris patrati, legitime fama exutus est; et ideo judex sententiam evulgat, ut sit in omnium notitia ad terrorem.

β) Si vero crimen publicum sit tantum *notorietate facti* aut *famae,* controvertitur: alii tenent, esse mortale contra justitiam crimen illud revelare, quia delinquens eo in loco adhuc suam possideat famam. — Alii autem dicunt, esse mortale tantummodo contra caritatem; quin delinquens, licet amiserit jus ad famam, valde tamen contristetur resciendo, crimen suum publicum fieri, ubi tale non erat. — Alii denique contendunt, non esse gravem culpam neque contra justitiam neque contra caritatem, quia expediat bono publico agnoscere malefactores. Et haec quidem ratio nobis videtur probabilior semper ac crimen est tale, quod delinquentem reddat perniciosum, ut est crimen latrocinii, homicidii, impudicitiae, proditionis et similium. Ita Scavini.

Attamen communiter dicunt, historiographos posse referre delicta publica ex solo facto. — Ceterum advertendum, quod, licet de aliorum vitiis jam notis loqui detractio non sit, nihilominus peccari potest sinistro et improbo affectu, quo de alienis erratis sermones miscentur.

d) Qui detractionem audiens ei efficaciter cooperatur, e. g. interrogando, approbando, peccat contra caritatem et justitiam. Talis enim infamanti praebet occasionem peccati, et vera causa damni est, quod infamato irrogatur.

d) Audiens detractionem eique efficaciter cooperans peccat contra caritatem et justitiam.

Qui minime quidem detractioni cooperatur, de illa tamen gaudet, peccat contra caritatem, quia gaudet de damno proximi. — Qui demum nec detractioni cooperatur, neque ea delectatur, attamen eandem non impedit, quando commode potest, peccat contra caritatem, hoc ipso, quod damnum proximi non impedit, cum facile possit. Ita s.s. Thomas et Alphonsus. — Plerumque tamen venialiter tantum peccat, qui detractionem non impedit, etsi facile possit; sic e. g. qui ex magna verecundia, pusillanimitate, metu, non monent, a gravi excusandi sunt, quia monitio iis esset valde difficilis; item, qui rixas, verbera, contumelias ex monitione timent; vel qui ob famulatum aut scrupulos sunt inepti ad corrigendum. Ob has et similes causas aequales raro, inferiores rarissime peccant,

si omittunt correctionem; isti sufficienter faciunt abeundo, vel tacendo, vel alium sermonem incipiendo, vel oculos dimittendo aut vultum serium ostendendo; nam illae actiones sunt verae correctiones. — Excipe tamen:

α) Dummodo non sit superior, sive detrahentis, sive detracti, quia illi specialis obligatio incumbit caritatis, corrigendi subditum detrahentem, aut obviandi damno subditi infamati.

β) Et dummodo non aliud damnum praeter infamiam, proximo exinde immineat. Ita s. Alphonsus cum sententia communissima; ratio est, quia majus damnum proximi avertendum est cum minori damno proprio.

2. Calumnia.

2. ***Calumnia:*** est criminis alicuius malitiosa confictio, ideoque putidum mendacium involvit, et hoc nocivum. Hinc quia per eam non tantum caritas et justitia, sed ipsa quoque veritas laeditur, per se peccatum gravius est, quam detractio simpliciter talis, et ab illa specifice distincta.

Certe nunquam licet falsum crimen alteri imponere, nam jus ad famam in vera innocentia et probitate fundatum, est absolutum, ac proinde id violare nullius mali vitandi causa licet; exigit enimvero naturalis ordo, ut talis homo judicetur et pronuntietur ab aliis, qualis revera est. Porro criminis falsi impositio est mendacium damnosum, quod utpote intrinsece malum nunquam licitum evadit. Hinc calumnia in s. Scriptura absolute prohibetur, dicitur enim: „Non falsum testimonium dices!“ et Innocentius XI. profligavit hanc propositionem n. 44.: „Probabile est, non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui, ut suam justitiam et honorem defendat.“

Gravitas calumniae juxta illas regulas taxanda est, quae supra de gravitate detractionis prolatae sunt.

Ex dictis de detractione et calumnia patet, vitia enarrata esse perquam gravia, nam non solum famae proximi vulnus vix medicabile infligunt, sed et propriam loquentis animam pessumdant, et saepe alia nocumenta inferunt. Hinc etiam gravissimum restitutionis officium important, ut suo loco dicetur.

IV. Contra honorem proximi.

IV. ***Contra honorem proximi;*** duplici modo peccari potest, scilicet *negative* et *positive.*

1. Negative: inobservantia.

1. ***Negative*** seu per solam omissionem peccatur per ***inobservantiam,*** quae est omissio honoris alicui secundum convenientiam personae, muneris statusque exhibendi. *Hic neglectus tum in se, tum quoad causas suas et consectaria sua damnabilis est.* Dico:

a) *„Damnabilis est in se,“* quia contra ordinem honesti, lege justitiae et caritatis sancitum, offendit.

b) *„Damnabilis est quoad suas causas,“* quae plerumque nullae aliae sunt, nisi ruditas ingenii et morum, arrogantia et elatum supercilium, odium et formalis contemptus aliorum.

c) *„Damnabilis est respectu consectariorum;“* rudes enim et inculti homines, ubicunque comparent, molesti sunt illis, qui eorum contubernio uti coguntur, vitam amarulentam reddunt, rixas

et contentiones provocant etc. — Nihilominus inobservantia seu mera omissio honoris alicui hic et nunc exhibendi peccatum grave non est, nisi talis omissio ex odio, aut formali proximi contemptu aliove affectu graviter malo procedat, aut omissio ista ex circumstantiis rationem contumeliae proprie talis induere videatur. — Imo inculpata simplicitas et inadvertentia saepe numero ab omni prorsus culpa excusare possunt.

2. ***Positive seu per contumeliam;*** quae est studiosa proximi inhonoratio, seu injusta honoris violatio praesenti vel quasi-praesenti irrogata. — Committi potest: 2. Positive: contumelia.

a) *Verbis;* scilicet: *convicio*, quo alicui crimen objicitur, quod si crimen est falsum, simul calumnia committitur; — *improperio,* quo alicui inopia, vel quicunque defectus cum dedecore objicitur; — *maledictione,* qua alteri in faciem malum optatur.

b) *Factis;* quo spectat: *irrisio,* qua quis risu contemnitur; — *illusio,* qua quis ludificatione vel deceptione traducitur; — *subsannatio*, qua quis gestibus ridiculis irridetur; *libellus famosus* (Pasquill), quo quis scripto illuditur.

Contumelia est peccatum mortale ex genere suo, uti patet ex s. Scriptura; Christus Dominus enim dicit: „Qui dixerit fratri suo *fatue,* reus erit gehennae ignis.“[1]) Sub verbo autem „fatue“ intelliguntur cuncta convicia, gravem injuriam honori inferentia. Hujusmodi igitur verba aut facta per se sunt mortalia, nisi excuset circumstantia personae, vel inadvertentia, vel ratio animi nolentis graviter offendere.

Contumelia igitur *per accidens etiam veniale tantum esse potest,* tum propter parvitatem materiae, tum propter imperfectionem actus. Ut autem de gravitate vel parvitate materiae rite judicetur, *conditio personarum* quam maxime consideranda est. Nam ea, quae apud homines cultiores et nobiliores pro gravibus conviciis habentur, inter homines rudes et plebejos pro gravi injuria haud semper accipiuntur; item ea, quae relate ad communes homines injuriam levem involvunt, relate ad parentes, superiores, sacerdotes etc. facile ingravescunt.

Nullum vero peccatum est leve quoddam convicium delectationis vel joci causa prolatum, si debitae circumstantiae observentur. Idem valet de convicio correctionis causa adhibito, quo modo Dominus quoque discipulos vocavit „stultos“; et Apostolus ad Galatas scripsit: „vos insensati Galatae!“ Attamen, ut s. Augustinus ait, „raro et ex magna tantum necessitate objurgationes sunt adhibendae, in quibus non nobis, sed ut Domino servietur, instemus.“

Reciproce tenemur contumelias patienter tolerare, animum vindictae abjiciendo.[2]) Quandoque autem contumelias repellere necesse est, servato caritatis affectu, scilicet tum propter bonum ejus, qui contumeliam infert, ne ipsius petulantia et audacia augeatur; tum

---

[1]) Matth. V. 22. [2]) Cfr. Billuart, tom. 10. diss. 15. a. 1.

propter bonum commune, si ejus profectus tacendo impediretur, prouti, si Superior redderetur contemptibilis.[1])

Nota: De reparatione damni ob laesionem famae et honoris alio loco agetur.

§. 60. Officia quoad bona fortunae proximi.

VII. et X. Decalogi praecept.

Sunt bona fortunae seu opes generatim media cuilibet homini necessaria ad animi sui cultum promovendum, ad rite fungenda varia et humanitatis et vocationis munera, ad vitam et sanitatem, ad felicitatem justamque vitae commoditatem tuendam, adeo, ut perfectionis et dignitatis humanae conditio multam partem ex hisce bonis pendeat. Inde etiam jus cujusque perfectum enascitur, haec bona sibi comparandi ac tuendi ea, hisque fruendi. Accedit, quod commune bonum et salus publica civitatis sustentari haud possit, sine hoc privati cujuslibet jure inconcusso in bona fortunae suae.

Officia, quae bona proximi externa seu fortunae attinent, alia quidem ***ex titulo caritatis,*** alia autem ***ex titulo justitiae*** oriuntur.

1. Ex titulo caritatis.

1. ***Caritas*** poscit, ut alios in parandis servandisque hujus temporis bonis, quantum sine graviori incommodo fieri potest, benigne et efficaciter adjuvemus; eorum insuper bona ab infaustis casibus hominumque nefariorum insultibus tueamur, atque in exigendis nostris juribus piam aequitatem humanamque agendi rationem servemus.

2. Ex titulo justitiae.

2. ***Justitia*** vero exigit, ut proximo id omne praestemus, quod de jure ipsi praestare debemus, juxta notum illud s. Pauli verbum ad Romanos: „Reddite omnibus debita.“[2]) — Porro justitia exigit, ne proximum in bonis acquirendis injuste impediamus, aut in iis, quae possidet, injuste perturbemus; qua in re istas quoque leges observare debemus, quae a potestate civili quoad acquisitionem et possessionem bonorum constitutae sunt.

Etenim bona fortunae praecipuum objectum sunt, circa quod justitia stricta seu commutativa versatur, et in quo hanc justitiae virtutem facilius laedi accidit. Quo enim frequentior est horum bonorum usus, et quo frequentior et magis necessaria eorum transmutatio, seu transitus ab unius in alterius dominium, eo facilius stricta aequalitas, ac proin justitiae norma violari potest.

Praeprimis quidem rerum temporalium ordo *jure naturae* dirigitur, quodque jus ubique locorum idem est. Dirigitur tamen etiam *jure civili,* quod pro varietate terrarum suas variationes habet. Quin ergo in hac re semper etiam attendi debet ad praecipua capita jurisprudentiae civilis, nemo non videt, praesentem materiam quam amplam esse et momentosam, quia totum fere jus civile complectitur, cui addiscendo legumperiti integros annos merito impendunt. —

---

[1]) Reiffenstuel tr. 9. dist. 6. S. Alphons. L. III. Müller II. §. 130. Lehmkuhl II. n. 1175 sqq. Marc II. 1195 sqq. Stapf II. §. 271 sqq. Staller II. tr. 6. §. 3.—8. etc. Konings n. 516 sqq. Schwane P. III. §. 24. [2]) XIII. 5.

Nostri tamen instituti non est, singulas et minutissimas juris regulas exponere, in quibus pro variis regionibus existunt multae varietates. Satis erit, principia justitiae praesertim secundum jus naturale tradidisse, indicatis principalioribus dispositionibus *juris civilis Austriaci*, adjectis tamen in infima pagina locis, ubi quisque, saltem in quantum de praecipuis Europae statibus agitur, proprias suae Patriae leges addiscere poterit.

Nota 1.: Codex civilis Austriacus tres partes complectitur, quarum prima exhibet jura personarum, praesertim ea, quae societatem conjugalem et parentalem concernunt. Pars altera iis immoratur, quae circa hujus temporis res obtinent (Sachenrecht), et haec quidem pars denuo in jura realia (dingliches Sachenrecht) et in jura personalia (persönliches Sachenrecht) distinguitur. Pars demum tertia statuit, quomodo diversi generis jura firmari, mutari aut exstingui possint. Pro usu nostro praeprimis secunda Codicis pars attendi debet, in qua de juribus inter privatos quoad res temporales agitur.

Nota 2.: Codicibus propriis praeter Austriam reguntur: Belgae, Borussi, Galli, Hollandi, Itali et Russi. In Hispania viget adhuc jus Romanum, pluribus tamen particularibus legibus vel consuetudinibus temperatum. Angli non habent Codicem, sed veteres leges in systemate feudali fundatas.

Ceterum dubitari nequit, legem civilem jus quoddam tribuere posse, quod etiam in foro conscientiae valeat. Etenim potestas civilis a Deo constituta est, ut in ordine suo bonum publicum promoveat, atque securam et tranquillam bonorum temporalium possessionem reddat. Hunc vero finem potestas civilis haud obtineret, si ejusdem leges pro bono communi latae in foro conscientiae nullius roboris essent. Insuper perpetua inter forum internum et externum conflictatio sequeretur, cum manifesto hominum proborum detrimento. Hi enim beneficio legum uti nequirent, improbi vero, de conscientia parum curantes et legi civili tantum insistentes, locum quemdam male privilegiatum in societate humana obtinerent. Ipsa igitur ratio dictat, leges civiles quoad bona temporalia, quatenus legi naturali non sunt contrariae, sed tantum jus naturae pro diversa temporum locorumque exigentia propius definiunt, in conscientia quoque valere. Ceterum jura alicui faventia, quae in sola lege civili fundantur, ei tantum patrocinantur, qui ad illa provocat, juxta illud: „Leges allegantem juvant," et „vigilantibus jura sunt scripta."

Cum generalia principia de jure et justitia jam supra §. 48. exposuimus, hic statim ad particularia descendimus. Antea tamen fusius definiendum est, quid sit et quomodo dividatur ***res*** sensu legali accepta. Quid sit „res" sensu legali.

Res (sensu legali) dicitur *quidquid personam non constituit, et ad usus hominum comparatum est.* — Distinguuntur:

1. Res corporales et incorporales.

1. Res corporales et incorporales; priores sunt illae, quae sensibus subjiciuntur, uti vestis, panis, domus etc.; — *posteriores* vero sunt illae, quae intellectu tantum percipiuntur, et in aliquo jure consistunt, uti jus haereditatis.

2 Res mobiles et immobiles.

2. Res mobiles et immobiles: mobiles sunt *vel ex natura propria,* quae, integra manente substantia, loci mutationem recipiunt, uti animalia, libri etc., — *vel ex lege civili,* quae nempe ex legis determinatione uti tales habentur; juxta Codicem Austriacum tales sunt jura, quae cum possessione rei immobilis non sunt connexa, item pecuniae debitae. — *Immobiles* sunt itidem *vel ex natura propria,* quae salva substantia transferri nequeunt, uti fundi, domus; — *vel ex lege civili,* uti fruges a solo nondum separatae, fructus ab arbore nondum decerpti, res cum muro connexae, praesertim si sine hujus detrimenti auferri nequeant etc.

3. Res fungibiles et infungibiles.

3. Res consumptibiles et inconsumptibiles: priores eae sunt, quae ex natura sua jam primo usu destruuntur, uti panis, vinum, oleum. Ad has etiam *pecunia* aliquo sensu recensetur, quia, cum expenditur, amittitur fitque alterius. — *Posteriores* econtra sunt, si in earum usu salva manet substantia, uti e. g. domus, vestis. Priores etiam res *fungibiles,* posteriores *infungibiles* dicuntur.

4. Res aestimabiles et inaestimabiles.

4. Res aestimabiles et inaestimabiles, prout compensari possunt per alias res aequivalentes et privato commercio subjectas, uti operae, labores; — vel compensari non possunt, uti Reliquiae Sanctorum.

Pretium rei, ut alio loco fusius dicetur, est vel *intrinsecum,* vel *extrinsecum* seu *eminens;* pretium extrinsecum est vel *naturale* seu *vulgare,* vel *legale,* vel tandem *pretium affectionis.* Cfr. C. A. §. 285.—308.

Jam praecipuae juris realis species sunt sequentes: Jus possessionis, jus dominii, jus pignoris, jus servitutis et jus haereditatis. De quibus jam singulatim agendum est.[1])

§. 61. Jus possessionis et dominii.

I. Jus possessionis, 1. Notio.

I. ***Jus possessionis:*** *1.* ***Notio:*** *Possessio est rei detentio, corporis, animi et juris adminiculo.* Proinde ad possessionem habendam tria requiruntur:

a) Ut res detineatur *adminiculo corporis,* i. e. ut quis eandem vel per se, vel per alium physice vel moraliter apprehenderit, e. g. delatione in propriam domum, vel si ager sepe circumducatur, vel inscriptione in tabulis publicis etc.;

b) ut res detineatur *adminiculo animi,* i. e. animo seu intentione rem ut suam habendi;

c) ut res detineatur *adminiculo legis,* i. e. ut lex positive non resistat possessioni, subducendo scilicet aliquam rem privato commercio, aut declarando, aliquam personam hujus illiusve

---

[1]) Cfr. Marc II. n. 838. Staller II. tr. 8. §. 2. Delama P. I. Sect. I. n. 12. Cod. Gall. 517.—536., Ital. 406.—424., Boruss. I. 2. §. 6.—9.

rei acquirendae inhabilem esse. Hinc nulla jurium regalium possessio datur, nec laicus beneficium ecclesiasticum possidere potest.

2. ***Species possessionis:*** *Possessio ratione tituli,* cui innititur est vel ***legitima,*** vel ***illegitima,*** e. g. emtio vel furtum. Ratione fidei possessoris, est vel *bonae fidei* vel *malae fidei,* vel *dubiae fidei.* In jure Austriaco distinguitur etiam *possessio vitiosa,* quae habetur, si quis per vim aut dolum rei aut juris possessionem obtinuerit. Adversus possessorem vitiosum tum restitutio in pristinum statum, tum indemnisatio expeti potest. 2. Species possessionis.

3. ***Jura et commoda possessionis:*** Possessio statum facti denotat, et possessori, etiamsi rei dominus forsitan non sit, leges civiles ob securitatem et tranquillitatem publicam certa jura et commoda concedunt, nempe: 3. Jura et commoda possessionis.

a) Possessor, si publica auctoritas implorari nequeat, possessionem potest per seipsum tueri, et vim vi repellere.

b) Possessor in judicio petitorio praesumitur esse dominus, ideoque onus probandi illi incumbit, qui possessori litem intentat; item manente dubio „melior est conditio possidentis".

c) Non licet possessorem, quicunque ille demum sit, in sua possessione turbare; possessor turbatus seu dejectus a judice petere potest, ut spoliantem inhibeat damnumque illatum reparare jubeat.

4. ***Cessatio possessionis:*** *Cessat possessio* et quidem *rei corporeae mobilis* generatim, quum ea ita amittitur, ut nulla spes affulgeat, eam recuperandi, porro si sponte abjicitur, vel in alterius possessionem transit. — Possessio *rei corporeae immobilis* vel *jurium* cessat, quum nomen possessoris e tabulis publicis deletur, vel res sub alterius nomine inscribitur. — *Aliorum vero jurium* possessio amittitur, si quis jus suum prosequi negligat, dum alter, contra quem jus illud valet, aperte declarat, se non amplius praestiturum esse, quod hucusque praestabat. Idem valet, si pars adversa exercitium juris non amplius patiatur, aut jussum aliquid omittendi non amplius vereatur; possessor autem acquiescat nullamque actionem pro conservatione possessionis moveat. Ita juxta Cod. Austr. §. 309.—352.[1]) 4. Cessatio possessionis.

II. ***Jus dominii:*** Quoad hoc jus multa pro praxi scitu sunt necessaria, unde de eo fusius est agendum. Cfr. Cod. Austr. §. 353.—446. II. Jus dominii.

1. ***Notio et divisio dominii:*** Dominium est facultas disponendi de re aliqua tamquam sua ad proprium bonum; seu juxta Codicem Austriacum „est jus, de substantia et emolumentis cujusdam rei pro arbitrio disponendi, aliosque inde excludendi". 1. Notio et divisio.

Distinguitur:

a) *Dominium divinum,* seu quod Deo competit ut absoluto Domino omnium rerum. a) Dominium divinum.

---

[1]) Jus Ital. §. 685.—709.

b) Dominium humanum.

b) Dominium humanum, quod convenit homini per participationem seu potestatem a Deo sibi collatam, et hoc dominium triplex esse potest:

α) Dominium perfectum et imperfectum.

α) Dominium perfectum vel *imperfectum.* Dicitur perfectum, si est jus disponendi tam de re, quam de ejus utilitate; *imperfectum,* si est jus disponendi tantum de rei proprietate, vel de sola ejus utilitate; in priori casu appellatur *directum,* quale e. g. habet locator rei; in altero *indirectum* seu *utile,* quale e. g. competit locatario.

β) Dominium altum et humile.

β) Dominium altum et humile. Prius dicitur jus, quod princeps vel respublica habet, disponendi de bonis privatorum ob bonum publicum ex gravissima causa, sed cum debita compensatione, in quantum fieri potest; ut e. g. si bonum publicum requirit, ut aliquis agro etc. privetur pro via ferrea construenda. — *Posterius* est dominium privatorum.

γ) Dominium singulare et commune.

γ) Dominium singulare vel commune, prout vel uni personae vel pluribus simul competit. Ex hoc notio *condominii* resultat. C. Austr. §. 825.—858.

2 Effectus dominii.

2. ***Effectus dominii:*** sunt potissimum sequentes:

a) Dominus, quatenus dominium ipsi competit, potest *per se* valide et absque injustitia de re sua disponere pro arbitrio. Dicitur: *per se;* nam *invalida est dispositio,* si lex positiva ob publicum bonum obstet, uti e. g. quoad minorennes; — porro *injusta est dispositio,* si exinde tertii jura laedantur.

b) Dominus potest injustum *invasorem* e vestigio vi externa expellere.

c) Dominus potest rem suam a *quocunque possessore,* etiam optimae fidei per judicem repetere. — Sed haec rei suae vindicatio ex jure Austriaco locum non habet:

α) Quoad rem mobilem contra possessorem bonae fidei, si hic probet, se eandem emisse in publica licitatione; vel a persona ad negotiandum circa tales res legitima facultate instructa; vel ex titulo oneroso acquisivisse ab illo, cui dominus ipse eandem in usum, in depositum etc. tradiderit. In hisce casibus possessor bonae fidei vi legis positivae rei proprietatem acquirit, et priori domino manet tantum jus personale in furem, ut indemnis servetur. Addenda est, uti praxis habet, emptio in publicis nundinis facta. Hoc jure possessor *bonae fidei,* a lege civili sibi concesso, juxta sententiam communiorem etiam in conscientia uti potest, quia talis dispositio est in bonum publici commercii. — Secus dicendum, si possessor prudentem suspicionem contra bonam fidem suae possessionis habeat. — C. A. §. 368.

β) Ordinarie quoad res, quae a similibus ejusdem speciei haud possunt distingui. Etiam in hoc casu domino manet tantum jus personale in furem. Dicitur *ordinarie,* nisi scilicet ea intercedant adjuncta, quibus petitor jus proprietatis probare valeat; tunc enim bene possunt etiam hujuscemodi res a Domino vindicari.

3. ***Objectum dominii:*** id jam §. 48. fusius declaratum est. 3. Objectum dominii.

4. ***Subjectum dominii:*** Est omnis et solus homo, etiam amens et parvulus, quia, licet hi actus dominii non valeant exercere in persona, id tamen possunt mediantibus actibus alterius, nempe patris, curatoris. — Speciatim vero jus civile aliqua determinat de dominio filiorumfamilias et uxorum, — jus canonicum vero de dominio clericorum. 4. Subjectum dominii.

a) ***De dominio filiorum familias:*** *Filiifamilias* dicuntur legitime nati utriusque sexus, qui adhuc paternae potestati subjacent quoad dispositionem suorum bonorum, seu *peculii*, uti vocant. Paterna autem potestas usque ad annum 24. completum perdurat. Filiifamilias vel infantes, vel impuberes, vel minorennes appellantur, prout annum 7. aut 14. aut 24. nondum egressi sunt. Liberi anno 24. completo majorennes dicuntur, ac sui juris fiunt. Possunt vero filii etiam ante hunc annum sui juris fieri, quando scilicet pater consentiente judice eos expresse dimittit, aut filio viginti annos nato propriam oeconomiam concedit. Vicissim paterna potestas, si justa causa subsistat, ultra 24. annum prorogari potest. In defectu patris tutor constituitur, qui patris vicem gerit. Cfr. Cod. Austr. §. 21.—174. a) Dominium filiorumfamilias.

Quoad dominium filiorumfamilias leges nostrae haec praecipue statuunt: Regulae ex jure Austr.

α) Filiusfamilias perfectum habet dominium eorum, quae quocunque legitimo titulo, e. g. haereditate, aut donatione acquirit; administratio tamen horum bonorum ad patrem pertinet, quamdiu filius sub ejusdem potestate existit. Huc praesertim spectant *bona propria industria* acquisita, scilicet *bona castrensia*, bona *quasi castrensia*, bona *adventitia*. Quoad *bona minuta ac mobilia* filio a parentibus vel cognatis data, ipse habet eorum dominium perfectum, si sint *consumptibilia*, nisi aliqua conditio apposita sit, e. g. ad usum determinatum; si vero haec bona minuta sunt *inconsumptibilia*, uti libri, vestes, tunc filius perfectum dominium eorum non habet. — Quoad illa bona, quae acquirit filiusfamilias opere, arte vel industria separata a patre, perfectum dominium habet; quoad illa bona, quae in domo paterna lucratur industria non separata, scilicet adlaborando in negotio patris, probabilius eorum dominium non habet, si ejus obsequia non excedunt id, quod pater jure paterno exigere potest. Si tamen filii labor sit indebitus, tunc probabilius ejusdem generis bonorum dominium saltem ex parte habet, juxta quantitatem nempe laboris indebiti.

β) Filiusfamilias item ordinarie servat usumfructum suorum bonorum, quaecunque haec sint. Ita ex jure Austriaco, dum ex jure Romano usumfructum aliquorum bonorum filiifamilias habebat pater. Tamen horum bonorum reditus, in quantum sufficiunt, a patre impendendi sunt ad expensas

pro filii educatione solvendas, omne reliquum vero in lucrum est conferendum ad filii utilitatem.

γ) *Filius, etiam minorennis, qui a patre alimenta haud percipit, de bonis propria industria acquisitis, necnon de rebus, quae post adeptam pubertatem ejusdem usui absque reservatione proprietatis tribuuntur, prorsus libere disponere potest.* C. A. §. 151.

δ) *Expensae in filiorum educationem jam factae jus nullum parentibus praebent ad bona, quae filii postea obtinuerunt.* Si vero parentes in egestatem fuerint prolapsi, filii eisdem ad congruam vitae sustentationem subvenire debent. C. A. §. 154.[1]) Cfr. etiam C. A. §. 149.—195.

b) Dominium uxorum.

b) ***De dominio uxorum:*** *Bona uxoris triplicis generis esse possunt.*

α) Bona dotalia.

α) *Bona dotalia*, quae ab uxore vel ejus parentibus, vel ab alio traduntur marito ad onera matrimonii sustinenda. Maritus durante conjugio usumfructum habet dotis, necnon ejusdem incrementi. C. A. §. 1217. Hoc autem diverso modo, prouti bona dotalia sunt *consumptibilia* vel *inconsumptibilia;* nam quoad priores maritus simul cum usufructu dominium habet seu acquirit; quoad posteriora vero uxor dominium retinet, maritus autem solum usumfructum acquirit. C. A. §. 1227.—1229.

β) Bona paraphernalia.

β) *Bona paraphernalia seu praeterdotalia*, quae uxor habet praeter dotem et sibi reservat. Hisce accedunt ea omnia, quae uxor, durante conjugio, adhibita rei familiaris debita cura, ex *speciali industria* et *extraordinario labore* acquirit, vel *sibi* subtrahendo de bonis a marito ad victum, vestitum, recreationes etc. ipsi concessis, comparat. Quoad haec uxor habet plenum dominium; attamen donec uxor non contradicat, in jure praesumitur, illam marito bonorum suorum administrationem commisisse. C. A. §. 238. et 239.

γ) Bona communia.

γ) *Bona communia*, quae ex pacto conjugum ad maritum et uxorem simul pertinent. Proprietas horum bonorum durante conjugio pertinet ad utrumque conjugem; ususfructus ad illum, ad quem pertinebat, antequam bona in communionem essent collata; administratio est viri. Soluto conjugio per alterius conjugis mortem, conjugi superstiti jus fit capiendi dimidiam partem bonorum communium, quae tunc superfuerint. C. A. §. 1217.—1266.[2])

Regulae ex jure natur.

Ex jure naturae pro praxi sequentia sunt notanda:

α) Uxor, licet bona propria habeat, ex bonis communibus dare potest eleemosynam et munera secundum consuetudinem aliarum mulierum illius loci et conditionis, etiamsi maritus contradicat, quia consuetudo hoc jus ei tribuit, quo maritus eam privare nequit. S. Alphonsus.

---

[1]) Cfr. C. Gall. 384.—387., Cod. Ital. 224.—239., Boruss. II. 2. §. 147.—209.
[2]) Cod. Gall. 1387.—1581., C. Ital. 1378.—1446., C. Boruss. II. 1. §. 205.—433.

β) Praeterea uxor potest subvenire parentibus vel filiis primi matrimonii, ut juxta eorum statum vivere possint, ex bonis communibus vel fructibus dotis, si paraphernalia non habeat, etsi maritus repugnet. Attamen debet uxor, si possit, compensationem postea praestare filiis secundi matrimonii, quando bona illa subtracta fuerint magni momenti. S. Alphonsus.

γ) Si vir bona in detrimentum familiae dilapidet, potest uxor ea abscondere et in bonum familiae reservare. Item potest subducere aliquid pro necessariis familiae expensis, si vir de ipsis parum curet. Eo minus peccati argui potest, si marito inscio nonnulla accipiat, quae ipsi rogatus facile concederet.

c) ***De dominio Clericorum:*** Bona Clericorum sunt triplicis generis: c) Dominium Clericorum.

α) *Bona patrimonialia*, quae Clericis obveniunt ex paterna haereditate, vel ex alia quacunque causa profana. Quoad haec bona Clericus dominium perfectum habet. α) Bona patrimonialia.

β) *Bona industrialia* (casualia, quasi-patrimonialia, quasi-ecclesiastica) quae Clerici acquirunt ex functionibus ecclesiasticis, e. g. stipendia Missarum. Speciatim hujusmodi sunt: *distributiones quotidianae*, quae dantur Canonicis pro assistentia in Choro, prout declaravit S. Poenitentiaria 9. Januarii 1823; dein *reditus stolae*, seu quae a fidelibus dantur parocho ut quoddam stipendium sui laboris, e. g. pro funeralibus, collatione Baptismatis etc.; pariter, ut communiter docent, ea, quae accipiunt parochi *coadjutores* vel *capellani ad nutum amovibiles;* item fructus beneficii laicalis, et stipendium datum Clerico ex munere docendi Theologiam. — Etiam horum bonorum Clericus dominium perfectum habet. Est doctrina certa. β) Bona industrialia.

γ) *Bona ecclesiastica*, quae ex beneficiis ecclesiasticis Clericis adveniunt, scilicet reditus beneficiorum. Huc autem referuntur etiam bona, quae a gubernio solvuntur pastoribus et Canonicis in comparationem bonorum ecclesiasticorum, quae surrepta sunt, ut constat ex declarationibus S. Poenitent. 19. Jan. 1819 et 19. Augusti 1821. Idem dicendum videtur de supplementis, quae sacerdotibus a parochiis seu municipiis erogantur; non vero supplementa ex oblationibus liberis et privatis fidelium. γ) Bona ecclesiastica.

Bona ecclesiastica vel honestae Clerici sustentationi *necessaria* sunt, vel studiosa frugalitate de beneficii fructibus sunt subtracta, quae ideo *parcimonialia* dicuntur; vel honestae sustentationi supersunt, quae dicuntur *superflua.*

Honesta autem Clerici sustentatio est illa, quae Clerico convenit ratione status, dignitatis etc. Non excludit honestas recreationes, moderatas donationes etc.; sed generalis regula desuper vix statui potest; attendatur praesertim ad usum et praxin Clericorum timoratae conscientiae, qui sunt ejusdem conditionis, et ad circumstantias loci et temporis.

Quoad bona ecclesiastica Clericus plenum dominium habet, *in quantum sibi necessaria* sunt ad honestam sustentationem; item perfecto dominio *parcimonialium* gaudet. *Superflua* autem pauperibus distribuere, vel in alios pios usus erogare *sub gravi* tenetur. Est doctrina certa et patet ex Concilio Tridentino.[1]) An autem ad hoc *ex justitia* teneatur, an *solum ex caritate*, controvertitur; valde communius juxta s. Thomam Clericus ex justitia non tenetur superflua pauperibus distribuere. Ceterum, uti Bellarminus dicit, parum refert, utrum Praelatus damnetur ad inferos, quia peccavit contra justitiam, an vero, quia peccavit contra caritatem, non bene distribuendo facultates suas ecclesiasticas.

Unde deducitur, Clericum, bona ecclesiastica male impendendo, graviter quidem peccare, ad restitutionem vero obligari non posse; nec haeredes sive ex testamento, sive ab intestato tales, obligari posse, ut bona accepta in pias causas erogent. Imo, quia probabile est, obligationem Clerici quoad bona ecclesiastica esse potius personalem, quam realem, haeredes ejusmodi bonorum saltem ex titulo violatae justitiae inquietandi non sunt.[2])

Nota: De dominio auctorum vide Lehmkuhl I. n. 904. et 905.; item Patent. d. d. 19. Octob. 1846, pag. 430.—439., Cod. Austr.

§. 62. Acquisitio dominii.

Ad dominium acquirendum seu quodcunque jus in re, duo necessario requiruntur, nempe *titulus* et *modus legitimus* acquirendi. C. A. §. 380. — Titulus acquirendi est radix, basis seu causa moralis, ex qua facultas dominium acquirendi oritur; talis titulus est e. g. emptio, donatio, legatum. Generatim quoad *res nullius*, titulus est illarum naturalis libertas; quoad res *alterius* vero tituli esse possunt: jus canonicum, jus civile, vel voluntas prioris domini. Titulus autem confert tantum jus personale, unde ad jus reale dominii acquirendum modus legitimus acquirendi accedat oportet. Modi legitimi acquirendi sunt: *occupatio, accessio, traditio, haereditas, praescriptio* et *contractus*. Cum de jure haereditatis et contractibus infra sermo occurret, hic de reliquis tantum modis agendum est.

1. Occupatio.

I. **Occupatio.** C. A. §. 380.—403. *Est apprehensio rei corporalis, quae nullius est, animo eam habendi ut suam.* „Res nullius fiunt primi occupantis.“ Ita jus naturale et civile.

Occupationis species sunt: *venatio, piscatio* et *inventio*.

1. Venatio, piscatio etc.

1. ***Venatio et piscatio seu occupatio animalium:*** Animalia trifaria hic distinguenda sunt: *mansueta, mansuefacta* et *sylvestria*.

---

[1]) Sess. XXV. cap. 1 de reform. [2]) Cfr. Lehmkuhl I. n. 887 sqq. Marc II. n 857 sqq. Staller II. tr. 8. §. 3.—7. Delama n. 26.—43. Müller II. §. 96.—101.

a) *Animalia mansueta seu domestica* sunt, quae naturali non fruuntur libertate, quaeque humano consortio naturaliter gaudent, uti oves, equi, gallinae etc. Haec remanent prioris domini, quantumvis aberrent, unde nunquam possunt ab alio occupari. Unde etiam si quis extrahat e. g. alterius ovem ex ore lupi, eam sibi propriam facere non potest, quia ovis etiam in ore lupi „clamat ad dominum"; talis tamen compensationem pro damno forsan passo exigere potest. a) Animalia mansueta.

b) *Animalia mansuefacta* seu *cicurata* ea sunt, quae ad naturalem quidem nascuntur libertatem, hominis tamen industria libertate privantur, ejusque dominio subjiciuntur; uti aves, quae arte mansuefiunt, columbae in columbario, apes in alveari etc. — Haec prioris domini remanent, quamdiu custodiam non evaserint, vel consuetudinem revertendi non amiserint; hinc e. g. licitum tantum est, occidere columbas alienas suo agro nocentes, si revera graviter noceant, et aliter averti facile nequeant. b) Animalia mansuefacta.

Attamen alterius primi occupantis fiunt animalia mansuefacta, quum custodiam evaserint, ita, ut eorum consecutio difficilis sit, aut consuetudinem revertendi amiserint; tunc enim suam primam libertatem seu naturam recuperant.

Jus Austriacum ulterius haec desuper determinat: Examen apum domesticarum occupari potest, si dominus alvearis intra biduum illud non sit insecutus; et quidem si examen in publico fundo consistat, occupari potest a quolibet; si in privato, ab illo, penes quem est fundi proprietas. — Animalia mansuefacta, uti columbae, ab iisdem occupari possunt, si per 42 dies sua sponte ad priorem dominum non revertantur. C. A. §. 384.

c) *Animalia sylvestria seu fera* sunt ea, quae naturali fruuntur libertate, et humanum consortium abhorrent, uti lepores, pisces, aves etc. Haec tunc fiunt primi occupantis, si vagari pro lubitu possunt, nisi lex aliqua positiva obstet. Verumtamen in regionibus nostris jus venandi et piscandi tamquam jus peculiare a dominio fundi separabile, pretio aestimabile, certisque personis exclusive proprium habetur. Hinc qui absque licentia ab eo obtenta, cui tale jus competit, venatur aut piscatur, non quidem jus in re, attamen jus ad rem violat, quare feras, quas occupat, suas quidem facit; at vero laesionem juris ad rem resarcire, et pro rata damni restituere debet, quod alter in jure animalia ista capiendi perpessus est. Et haec quidem sententia saltem tunc prorsus certa videtur, ubi tertius quidam jus venationis aut piscationis certo pretio emit aut conduxit. Et quidem si animalia fuerint inclusa, uti ferae in nemoribus muris circumdatis, pisces in piscinis, fur ipsum animal captum vel aequivalens restituere tenetur. Si vero animalia non fuerint inclusa in aliquo loco, tunc fur tenetur tantum restituere, quantum spes valet, quam dominus habuit, animalia illa capiendi, i. e. circiter dimidium pretium animalium, quae c) Animalia sylvestria seu fera.

cepit. Excusatur vero a restitutione, si exiguum et fere nullum damnum domino intulerit, si venando damnum a feris sibi in fundo illatum compensaverit, si dominus sola poena contentus esse soleat. Ita Müller.

Ille, qui venatur vel piscatur contra legem civilem, non peccat, quia haec lex ex communi hominum aestimatione ut mere poenalis habetur. In praxi tamen hujusmodi venatores et piscatores omnino exhortandi erunt, ut, sicuti ceteras leges poenales, ita etiam hanc, propter sequelas inde exorituras, rite observent.

Quoad illa animalia fera, quae ab aliquo jam occupata aut caveis, sepibus, muro etc. inclusa sunt, absque dubio notam furti incurrit, qui ejusmodi animalia sibi vindicare praesumpserit, ideoque animal ipsum aut pretium prorsus aequivalens restituere debet.[1])

2. Inventio

2. ***Inventio:*** Bona, quae inveniri possunt, quadruplicis generis sunt: *bona derelicta*, seu res a Domino ideo rejectae, quia eas habere noluit; *bona vacantia* seu absque testamento et haerede legitimo relicta; *thesauri* seu numismata et aliae res pretiosae et venustae, quarum dominus non amplius inveniri potest; et *res amissae*, seu res a Domino recenter perditae.

a) Bona derelicta.

a) ***Bona derelicta*** primi occupantis fiunt. Ita jus naturae et jus Austriacum quoad res mobiles (C. A. §. 386.); sed aliter de immobilibus statuitur ibidem § 387. — In dubio tamen nemo praesumitur cedere dominio suo. Pro derelictis vero haberi nequeunt bona naufragorum in littore maris aut fluminis reperta. C. A. §. 388. Idem valet de lignis, quae fluminis inundatione asportantur. Haec igitur, si dominus sit certus, e. g. ex signo lignis impresso, restituenda sunt domino, ita tamen, ut ei, qui ligna ista ex aquis eripuit, congrua merces debeatur. C. A. §. 403. Si vero dominus cognosci nequeat, vel ligna exigui sint valoris ac dominus multum distet, tamquam derelicta occupanti acquiruntur. Nuces, uvae, spicae etc., fructibus jam collectis remanentes, fere ubique locorum ut res derelictae habentur, ergo colligi possunt, nisi dominus expresse contradicat.[2])

b) Bona vacantia.

b) ***Bona vacantia*** ex jure naturae fiunt primi occupantis; ex jure Austriaco vero ad fiscum pertinent, non quidem uti ad haeredem, sed juxta regulam juris: „Post omnes fiscus.“ C. A. §. 760.

c) Thesaurus.

c) ***Thesaurus*** ex jure naturae fit primi occupantis. Ex jure Austriaco vero thesaurus, qui semper praeturae denuntiandus est, in duas partes dividitur, quarum una domino fundi, altera vero inventori addicitur, nisi a domino fundi ad thesaurum quaerendum specialiter conductus fuerit. Si dominium fundi divisum sit, thesaurus inter dominum directum et indirectum

---

[1]) Cod. Gall. 514., Ital. 713., Boruss. I. 9. §. 107.—192., Angl. I. 623.—635. [2]) Cod. Gall. 539, 713., Ital. 742. et 758.

ad partem aequalem distribui debet. Ususfructuarius nihil juris in thesaurum habet; quare si in fundo beneficiali thesaurus inveniatur, Beneficiatus nihil de illo participat. Inventor jus ad partem suam amittit, si thesaurum inventum occultaverit, eumve artibus illicitis aut inscio et invito domino quaesierit; in tali casu pars inventoris denuntianti, et si talis desit, fisco cedit. C. A. §. 395.—401.[1])

d) ***Res nuper amissae*** domino, si notus sit, statim tradi debent, „quia res clamat ad Dominum". S. Augustinus dicit: „Quod invenisti, et non reddidisti, rapuisti."[2]) Si dominus sit ignotus, inventor interim tenetur diligentem rei curam gerere, et media idonea adhibere, ut notitia rei ad dominum perveniat. Si dominus non compareat, et nulla sit spes, ipsum inveniendi, juxta sententiam probabiliorem inventor rem sibi retinere potest, quia res tunc pro derelicta habenda est. Si vero res in pios usus impensa vel consumta fuit, cum adhuc spes affulgeret inveniendi dominum, tunc damnum reparandum est, secus si res consumta fuit, nulla spe affulgente, dominum inveniri posse, si postea compareat, tunc enim nulla facienda est restitutio. d) Res nuper amissae.

Codex Austriacus de inventione rei nuper amissae haec statuit: Regulae Codicis Austr.

α) Si dominus incognitus sit, inventor rem publicare debet et quidem diverso modo, prout res inventa valorem 1 floreni vel 12 florenorum, vel denique 25 florenorum excedit. In primo scilicet casu inventor curare debet, ut res inventa juxta morem loci infra octiduum promulgetur. In casu secundo inventio insuper praeturae loci indicanda est, ut ab ea modo ibidem consueto notificetur. In casu tertio praeter mox dicta praescribitur, ut praetura loci inventionem tribus vicibus per ephemerides denuntiandam procuret.

β) Quodsi dominus infra terminum anni unius, a promulgatione rite peracta computandi, apparuerit, atque jus suum sufficienter comprobaverit, res aut pretium inde perceptum eidem reddenda est; inventor tamen praeter expensas forsitan factas, decem florenos pro singulis centenis qua praemium suae fidelitatis exigere potest. — Quodsi praemium 1000 florenos attingat, nihil dein inventor exigere potest, nisi 5 pro centenis.

γ) Si dominus intra praedictum anni terminum non comparuerit, inventor rem aut ejusdem pretium in usum suum convertere potest. Porro inventor ab hoc ipso tempore usucapionem incipit, atque rem penitus suam facit, si tempus pro usucapione statutum ordinarie triennium fuerit elapsum, quin dominus antea comparuerit.

δ) Qui has praescriptiones negligit, tamquam possessor malae

---

[1]) Cfr. Cod. Gall. 716., Ital. 714., Boruss. I. 9. §. 74. et 84. [2]) Serm. 179. n. 8.

fidei habetur; hinc omni legis favore excidit, imo pro rerum adjunctis etiam poenis subjacet. C. A. §. 388.—393. — Attamen si quis bona fide e. g. harum legum ignorantia laborans, rem inventam modo praescripto publicare omittit, sed ceteroquin obligationi ex lege naturali cognitae non defuerit, in foro interno et ante sententiam judicis mitius tractandus erit.[1])

II. Accessio.

II. **Accessio.** C. Austr. §. 404.—422. *Accessio est modus, quo dominus alicujus rei acquirit dominium incrementi, quod rei suae accedit.* Est triplicis speciei: *naturalis, industrialis* et *mixta.*

1. Accessio naturalis.

1. ***Accessio naturalis*** illa est, quae ab ipsa natura fit, atque triplex numeratur: *productio fructuum;* dominus fundi itaque jus habet ad arbores, herbas, aliosque fructus, quas natura in isto fundo producit; — *foetura seu nativitas, animalium,* vi cujus, quod ex animali nascitur, ad dominum istius animalis pertinet, juxta illud: „Partus sequitur ventrem;" — *alluvio,* vi cujus aliquis dominium terrae acquirit, quae per aquam sensim ripae suae adjungitur. Si vero notabilis terrae pars fluminis impetu alienae ripae adjiciatur, (dicitur *avulsio*) prior possessor dominium tunc demum amittit, si avulsam terram infra annum sibi vindicare omiserit. — Insula in flumine navigabili enata cedit fisco. Insula autem in flumine haud navigabili exorta, pertinet ad eos, qui utrimque praedia prope ripas possident.[2])

2 Accessio industrialis.

2. ***Accessio industrialis*** vocatur, si opera hominis contingat, et fieri potest quinque modis: *confusione*[3]), qua res fluidae, e. g. vinum unius cum vino alterius permiscentur; — *commixtione,* qua res solidae, e. g. frumentum unius cum frumento alterius; — *adjunctione,* qua res unius conjungitur cum re alterius, e. g. pictura tabulae; — *specificatione,* qua res aliena in formam specifice diversam redigitur, e. g. si ex panno alieno fiat vestis; — *aedificatione,* quando construitur aedificium ex aliena materia in fundo proprio, vel ex materia propria in fundo alieno.

Regulae.

Quoad quatuor priores accessionis species haec valent:

a) Si res permixtae, immutatae aut conjunctae in priorem statum redigi possint, unicuique, quod suum est, restitui debet.

b) Si hoc impossibile est, condominium oritur. Attamen si conjunctio ex culpa unius evenerit, alter totam rem vel sibi vindicare, vel alteri relinquere potest, ita tamen, ut congrua compensatio ei praestetur, qui rem suam dimisit Si vero conjunctio neutrius culpa evenerit, ille, cujus res majoris est valoris, optionem habet, utrum totam rem retinere, an vero pretium rei suae aequivalens recipere velit.

Quoad *aedificationem* haec valent: Dominus fundi etiam dominium aedificii acquirit, quod in fundo suo exstruitur. Hinc qui aedificium in fundo proprio ex materia aliena construxit, dominium

---

[1]) Cod. Boruss. I. 9. §. 14.—73., Cod. Gall. 120.—138., Ital. 20.—42.
[2]) C. Gall. 546 sqq., Ital. 444 sqq., Boruss. I. 9. §. 220. et 324., Angl. 639.
[3]) C. Gall. 573 sqq., Ital. 472 sq., Boruss. I. 9. §. 298.—323.

aedificii habet, alteri tamen pretium materiae refundere tenetur, et quidem pretium ordinarium aut summum, prout bona aut mala fide egit. — Qui vero aedificium in fundo alieno ex materia propria construxit, dominium aedificii haud acquirit; attamen compensationem petere potest juxta modum a lege determinatum. Per exceptionem contingere potest, ut, qui aedificium in fundo alieno construxit, dominium ejusdem acquirat, tunc scilicet, si aedificans in bona fide fuerit, et dominus fundi aedificationem probe sciens, contra eum non reclamaverit; in tali enim casu dominus fundi nihil aliud, quam pretium commune pro fundo petere potest.[1])

3. Accessio mixta.

3. ***Accessio mixta*** est ea, quae ex natura et hominum industria habetur, fitque praesertim: *plantatione* et *seminatione;* de his eadem sunt servanda, quae modo de aedificatione dicta sunt. — Hinc plantae vel arbores, siquidem radices egerint et solo cohaeserint, domino fundi cedunt, sic tamen, ut pretium plantarum arborumque alteri refundi debeat. Arbor illius est, ex cujus fundo truncus promanat. Quodsi truncus in finibus fundorum diversi proprietarii situs sit, arbor communis inter eos efficitur. Vicinus radices arboris ex fundo suo evellere, ramosque fundo suo imminentes resecare, vel alio modo in suam utilitatem convertere potest, e. g. eorum fructibus fruendo.[2])

III. Traditio.

III. ***Traditio:*** *Est translatio possessionis de manu in manum, si res est mobilis, vel immissio in possessionem alterius, si immobilis sit.* Traditio, ut valida sit, duo requirit, scilicet ut tradens praeter dominium etiam jus habeat rem suam alienandi, et ut accipiens rem a domino sibi oblatam recipere possit et velit, eamque ut suam revera obtineat.

Tituli traditionis.

Tituli, quibus traditio innititur, plerumque sunt contractus aliquis, aut dispositio mortis causa facta, aliquando ipsa quoque lex vel sententia judicis. Hi vero tituli nonnisi jus ad rem efficiunt; ad jus in re efficiendum, exceptis quibusdam casibus a lege statutis, legitima traditio et acceptatio rei prorsus necessaria est. C. A. §. 423.—425.

Modus traditionis.

Modus traditionis diversus est quoad res mobiles et immobiles. — Quoad res *mobiles* triplex traditionis species datur, scilicet traditio *propria,* quae consistit in rebus corporalibus, quae tradi dicuntur, cum dominus alteri concedit eorum usum, postquam rem ei tradiderit; *impropria,* quae consistit in rebus incorporalibus, dum alteri earum usus conceditur; — *ficta,* quae rursum triplex est, *brevis manus, longae manus* et *symbolica* e. g. traditio documenti vel clavium urbis. — Quoad res *immobiles* traditio apud nos fit per *intabulationem.*

Cum dominium (jus in re) a legitima rei traditione pendeat; haec exinde sequuntur:

a) Res transmissae tunc demum traditae censentur, cum novus dominus illas receperit. Quare, si in via pereant, tradenti per-

---

[1]) C. Gall. 555 sqq., Ital. 449 sqq., Boruss. I. 9. §. 327. [2]) C. Gall. 553.

eunt, nisi acceptans certum transmittendi modum determinaverit, aut disserte approbaverit.

b) Res duobus vendita ad eum pertinet, cui prius tradita est, alter solummodo indemnisationem a venditore petere potest.

Effectus traditionis.

Effectus legitimae traditionis est, ut per eam non solum dominium ipsius rei, sed omnia quoque jura et onera, quae rei inhaerent, ad novum possessorem transeunt, dummodo onera in publicis tabulis inscripta sunt. Denique notandum, dominium rerum immobilium juxta C. Austr. tunc demum tolli, si ex publicis tabulis deletum fuerit.

IV. Praescriptio.

IV. **Praescriptio:** (C. A. §. 1451.—1502.) *Est amissio juris, quo quis intra tempus a legibus definitum non est usus. Usucapio* dicitur acquisitio juris vi legitimae possessionis. Solet praescriptio ceu terminus generalis adhiberi, et in *liberativam* et *acquisitivam* distingui. — Praescriptio non tantum pro foro externo, sed etiam interno vim habet.

Conditiones praescriptionis:

Ad praescriptionem sequentes conditiones requiruntur:

1. Res praescriptibilis

1. **Res praescriptibilis,** i. e. ea, quae pro natura sua vel legum dispositione a privatis acquiri et possideri potest. Praescribi nequeunt: res furtivae, bona et jura regalia, res sacrae, e. g. ecclesia, reliquiae, jura spiritualia, res conjugum durante matrimonio, et bona filiorum familias et pupillorum.

2. Bona fides.

2. **Bona fides,** qua quis prudenter judicat, rem esse suam; haec ad validitatem praescriptionis absolute requiritur. Qui initio dubitat, an res sit sua, possessionem inchoare nequit. Si possessioni bona fide inceptae dubium supervenerit, praescriptio non interrumpitur, modo diligentia adhibeatur ad veritatem cognoscendam, quia „in dubio melior est conditio possidentis".

3. Titulus justus.

3. **Titulus justus,** i. e. justa causa, ex qua res possidetur, e. g. emptio, donatio. Ad praescriptionem 30 annorum nullus requiritur titulus, sed sola possessio sufficit etiam in conscientia.

4. Possessio continuata.

4. **Possessio continuata** i. e. debet esse *continua,* non interrupta, donec tempus requisitum compleatur. Interrumpitur autem vel *naturaliter,* si quippe praescribens amittat possessionem, vel mala fides ipsi supervenerit; — vel *civiliter,* si a quodam lis super rem seu jus intimetur, nisi ille id faciat ad praescriptionem interrumpendam. C. A. §. 1463.—1497.

5. Tempus legitimum.

5. **Tempus legitimum:** Tempus a lege pro praescriptione *acquisitiva,* qua jus acquiritur, requisitum est vel *ordinarium,* vel *extraordinarium.* Tempus ordinarium quoad res mobiles est triennium, quoad res immobiles idem valet, si possessoris usucapientis nomine in publicis tabulis sint inscriptae; secus quoad has tempus ordinarium sunt 30 anni. — Quoad jura, quae raro exerceri possunt, praeter spatium 30 annorum requiritur, ut usucapiens probet, se intra hoc temporis spatium ter saltem hoc jus exercuisse.

Tempus extraordinarium est diversum pro diversitate rerum, de quibus agitur; vide C. Austr.

Tempus ordinarium quoad praescriptionem liberativam regulariter est spatium temporis 30 annorum; sed quae quotannis sunt praestanda, uti reditus, interesse etc. lapsu 3 annorum praescribuntur. Quoad jura, quae raro exerceri possunt 30 anni requiruntur.

Tempus extraordinarium est diversum, sic e. g. lapsu 3 annorum praescribitur jus impugnandi testamentum, exigendi portionem legitimam, revocandi donationem ob donatarii ingratitudinem, rescindendi contractum onerosum ob laesionem ultra dimidium; jus servitutis, si pars obligata servitutis exercitio obstiterit, et ille, cui competebat, per tres annos continuos illud non exercuit. Lapsu unius anni praescribitur actio pro injuria verbis, scriptis aut gestibus illata. Imo lapsu etiam temporis brevioris aliqua jura praescribuntur, uti videndum est C. A. §. 1491.

Ultimo notandum, quod praescriptiones liberativae 30 vel 3 annorum juris Austriaci generatim in conscientia non valent, propter defectum bonae fidei; eo minus praescriptiones liberativae triennio minores valent in conscientia, quia in talibus praescriptionibus legislator intentionem non habet, conscientiam liberandi, sed solum actionem forensem negandi, ne nimis difficilis administratio justitiae reddatur. Hoc clare exprimitur in C. Austr. §. 1490. et alibi.[1])

§. 63. Reliquae species juris realis.

I. Jus pignoris.

I. ***Jus pignoris:*** (C. A. §. 447.—471.) *Hoc nomine jus reale intelligitur creditori concessum ex re aliqua, si debitum statuto tempore haud persolvatur, solutionem capiendi.* Restringit ergo aliquatenus jus dominii. Si res oppignorata immobilis est, *hypotheca*, si mobilis, simpliciter *pignus* vocatur.

Requisita.

Ad jus pignoris cum effectu juris realis obtinendum duo requiruntur, scil. *titulus legitimus,* qui tum ex lege, tum ex sententia judicis, tum ex contractu, tum ex testamento oriri potest; et *traditio legibus convenienter facta.* Creditor re oppignorata uti nequit, absque dantis pignus consensu; imo etiam diligenter eam servare debet, et si sua culpa perit, sibi perit. Porro creditor rem, in quantum jus ad illam habet, alteri *subpignorare* potest, si rei dominus de eo certior factus est; debitum suum nonnisi cum consensu illius, qui rem subpignoratam tenet, creditori persolvere potest, vel summam in judicio deponere.

Cessatio juris pignoris.

Exspirat jus pignoris, si res oppignorata penitus interiit; si creditor pignori legitime renuntiat; elapso oppignorationis termino; et tandem ubi debitum persolvitur.[2])

II. Jus servitutis.

II. ***Jus servitutis:*** (C. A. §. 472.—530.) *Jure servitutis dominus in re sua ad utilitatem alterius aliquid pati vel omittere tenetur.* Est ergo jus reale tertii. — Dividitur in *personalem* et *realem,* prout res vel personae, vel rei alteri servire tenetur, e. g.

---

[1]) C. Gall. 2219 sqq., Ital. 2105 sqq., Boruss. I. 9. §. 500 sqq. [2]) C. Gall. 2073 sqq., Ital. 1878 sqq., Boruss. I. 20. §. 1. 139. etc.

praedium praedio, quo casu unum praedium dicitur *serviens*, alterum *dominans*. Personales ordinarie durant ad dies vitae; reales cum re serviente et dominante ad quemlibet possessorem transeunt.

Distinctio servitutum.

Servitutes reales distinguuntur in *urbanas* et *rusticas*, prout aedificiis aut fundis inhaerent; utrumque genus est vel *affirmativum* vel *negativum*.

Species servitutis personalis sunt: *usus rei*, *ususfructus* et *habitatio*. *Usus* est jus utendi re aliena salva ejus substantia; — *ususfructus:* jus utendi et fruendi re aliena salva ejus substantia; *habitatio* est servitus, quae vel solum usum vel usumfructum aedium aliorum complectitur.

Cessatio juris servitutis.

Servitutes reales, ubi res vel serviens, vel dominans periit, tantum suspenduntur, unde reviviscunt, quamprimum res eversa restituta fuerit. Cessant vero ex integro lapsu temporis, renuntiatione expressa vel tacita, conjunctione praedii servientis cum dominante in persona unius domini, quia res sua nemini servit.

Personales, nisi personae morali, vel certae familiae concessae fuerint, exspirant cum morte dominantis. Quodsi directe ad haeredes extenduntur, in dubio id nonnisi de primis haeredibus, qui ab intestato succedunt, intelligitur.[1])

III. Jus haereditatis.

III. ***Jus haereditatis:*** (C. A. §. 531.—824.) *Est jus reale adeundi vel totam haereditatem, vel partem respectu totius determinatam,* e. g. vel partem dimidiam, vel tertiam. As haereditarius autem complectitur jura et onera defuncti, modo haec mere *personalia* non sint. — Ille, qui jure definito gaudet, vocatur *haeres,* et as haereditans relate ad illum dicitur *haereditas.* — Si vero alicui non pars respectu totius definita, sed res tantum singulae assignantur, hae, utut magni momenti sint, *legatum* constituunt; atque ille, in cujus favorem depositum est, non haeres, sed *legatarius* vocatur.

Titulus hujus juris.

Titulus, cui jus haereditatis innititur, est triplex, scil. legitima morientis dispositio, ex qua resultat *haeres testamentarius;* pactum mortis causa initum; atque lex ipsa, quae jus successionis haereditariae quibusdam personis vindicat, unde *haeres legitimus seu ab intestato,* et *haeres necessarius* vocatur.

Praeter titulum legitimum ad haereditariam successionem requiritur, *ut quis tempore haereditatis apertae capax illius adeundae existat.* Capaces autem sunt omnes, qui dominium acquirere possunt, nec jure haereditariae successionis aliqua lege privantur. Qui in Codice Austriaco inhabiles declarantur, vide §. 540.—544.

At haeres, licet legitimum titulum pro se habeat et haereditatis adeundae capax sit, nullatenus propria auctoritate haereditatem adire potest, sed causa isthaec semper ad judicem deferri et in judicio juxta leges vigentes expediri debet. Cfr. C. A. §. 797. sqq.

Facultas per ultimam voluntatem de bonis suis disponendi non solum a lege civili, sed principaliter a lege naturali repetenda

---

[1]) C. Gall. 637.—710., Ital. 531.—672., Boruss. I. tit. 22.

est. Lex civilis tantum ob bonum commune circa hujusmodi dispositiones certas normas constituere potest, quae tamen etiam pro foro interno valent.

His praemissis, jam scitu necessaria tum quoad haeredem testamentarium, tum quoad haeredem legitimum et necessarium fusius ventilanda sunt.

1. Haeres testamentarius.

1. ***Haeres testamentarius:*** Successio testamentaria, uti jam dictum est, oritur ex ultima voluntate, qua quis diserte declarat, cui post mortem res suae cedere debeant. Haec ultimae voluntatis declaratio, qua quis cum directa haeredis institutione decernit, quid de rebus suis post mortem fieri vult, dicitur *testamentum.* Differt a *codicillo*, quippe qui est dispositio, qua quis absque directa haeredis institutione aliquid disponit, aut aliquid circa testamentum explicando, vel mutando, vel addendo, aut legata determinando. Testamentum.

Per se quidem non adest obligatio, disponendi ante mortem de bonis suis; cum enim haeredes institui possint illi, qui ab intestato succedere deberent, sane permitti absque culpa potest, ut ii ab intestato succedant. — *Per accidens* tamen utique adesse potest obligatio gravis testandi, tum quando ultima dispositio necessaria est ad declarandam restitutionem, ad lites et scandala avertenda, vel ad graves abusus tollendos, qui ex justitia vel ex caritate impediendi sunt, tum quia etiam praeter enumeratos casus, *regulariter loquendo*, intestatus discedens non vacat omni culpa, saltem propter periculum negligentiae haeredum in adjuvando defuncto suffragiis spiritualibus, nisi ad hoc ex testamento teneantur, uti dicit Lugo,[1]) qui addit, consulendum omnibus esse, ut illud faciant, et quidem quando bene valent, et majori attentione possunt melius de rebus suis disponere.

Hinc, si infirmus de bonis suis non disposuerit, monet Rituale Romanum: „Si morbus gravior, vel cum periculo fuerit, aegroto suadeat (confessarius), ut, dum integra mente est, rem suam omnem constituat et testamentum faciat.“ Quodsi infirmus consilium a confessario petat circa dispositiones testamenti, siquidem de ipsius obligatione ex justitia, pietate etc. agatur, illum instruat, quoad alias vero liberas dispositiones, illud s. Philippi Nerii reponat: „Bona cuivis relinque, modo animam relinquas Deo.“ Ex quo patet, omnino necessarium esse, ut confessarius omnia requisita ad valorem testamenti exacte sciat.

Ad valorem testamenti potissimum tria requiruntur: Requisita ad valorem testamenti:

a) ***Habilitas testatoris*** ad condendum testamentum. Haec ex sequentibus deest: a) Habilitas testatoris.

α) *Ex defectu aetatis;* impuberes scil. simpliciter inhabiles sunt; puberes vero ante decimum octavum annum completum, dumtaxat oretenus, et coram judice testari possunt; hoc autem anno completo, ultima voluntas sine ulla restrictione declarari potest.

---

[1]) Dist. 24. n. 22.

β) *Ex defectu mentis:* quare inhabiles sunt, sive qui habitualiter, uti phraenesi correpti, amentes, imbecilles; sive actualiter, uti perfecte ebrii, usu rationis carent.

γ) *Ex defectu corporis:* et quidem *surdi et muti* simul, testari possunt tantum scripto aut signis, sed hoc coram testibus, qui perfecte eorum signa intelligunt; *coeci* autem solum oretenus valide testantur.

δ) *Ex defectu juridicae facultatis:* Unde *prodigi*, uti tales judicis sententia declarati, non nisi de dimidia suorum bonorum parte testari possunt; altera dimidia pars ad haeredes legitimos devolvitur. — Religiosi professi, quamdiu membra ordinis vel monasterii sunt, facultate testandi vacant.

ε) *Ex delicto:* exinde inhabiles declarantur capite damnati, vel ad carcerem durum aut durissimum a die prolatae sententiae usque ad poenam persolutam. — Quae tamen inhabilitas in Austria sublata fuit per legem 15. Novembr. 1867. — Item, qui militiae se illegitime subtraxerunt, a die desertae militiae usque ad diem reditus (C. crim. §. 208.)

b) Debita forma interna.

b) ***Debita forma interna:*** Haec autem postulat:

α) Ut testator *ipsemet* haeredem instituat; alterius declarationi haeredem instituendum committere nequit, e. g. dicendo: meus haeres sit ille, quem Titius voluerit.

β) Ut ipse *disserte* suam voluntatem explicet, non tantum annuendo propositioni ipsi ab alio factae; non satis est igitur, ut testator interrogatus affirmative, sive verbo, sive capitis nutu respondeat. Si tamen testatoris voluntas indubia sit, juxta sententiam probabilem ante judicis sententiam facta dispositio per annutum testatoris valida est.

γ) Ut testator suam voluntatem *serio* declaret, non jocose, *perfecte,* non per modum propositi, vel quocunque alio modo non completo; et *libere*, non coactus vi, metu vel fraude, aut deceptus errore essentiali. C. A. §. 570.—572.

Ceterum testator haeredes instituere potest, quos voluerit, dummodo haeredes necessarios non praetermittat, nec tales haeredes instituat, qui per legem positivam jure haereditariae successionis privantur. Porro testator haeredem instituere potest etiam *sub aliqua conditione;* quae, si *suspensiva* sit, id efficit, ut testamentum tunc demum valorem obtineat, si conditio ista adimpleta fuerit; si vero resolutiva sit, dispositio testamentaria suo valore excidit, si conditio ista subintraverit.

Quivis porro testator pro casu, quo haeres institutus haereditatem adire nequeat, vel adire nolit, alium, et hoc deficiente, tertium vel etiam plures substituere potest; et haec *substitutio vulgaris* dicitur. Ab ea differt *substitutio fideicommissaria*, qua scil. testator haeredem obstringit, ut haereditatem post obitum suum, vel pro aliis certis casibus alteri designato haeredi restituat.

Denique quilibet testator dispositionem testamentariam,

vel ex toto, vel ex parte, pro lubitu suo revocare seu abrogare potest. Cfr. C. A. §. 713.—726.

c) ***Certa forma externa:*** Haec juxta C. Austr. diversa est, prout testamentum *privatum, publicum* seu *judiciale, notariale,* vel *privilegiatum* est. Sufficit pro nobis scientia formae externae requisitae ad valorem testamenti privati. Testamentum privatum vel *sine testibus* vel *cum testibus* conficitur. c) Certa forma externa.

Testamentum privatum sine testibus debet a testatore ex integro propria manu conscribi, et in fine propria manu subscriptione sui nominis muniri. Non quidem necessarium, consultum tamen est, ut in fine etiam apponantur dies, annus et locus, quo quis testamentum confecit.

Testamentum privatum cum testibus, tum *scripto*, tum *nuncupative* fieri potest; *scripto*, quando non ipse quidem testator, sed alius ex ejus mandato testamentum conscribit, atque testator coram testibus declarat, in isto scripto ultimam voluntatem suam contineri; *nuncupative*, quando testator coram testibus oretenus declarat, se pro casu mortis bona sua huic vel illi destinare.

Ad validitatem testamenti scripti tria requiruntur:

α) Ut testator *propria manu* nomen suum subscribat.

β) Ut coram tribus *habilibus* testibus, quorum *duo saltem sint simul praesentes*, declaret, scriptum illud suam ultimam voluntatem continere.

γ) Ut singuli tres testes vel intus, vel extra, semper tamen in ipso documento se *qua testes testamentarios* subscribant. — Consultum est, ut etiam subscriptio testatoris fiat praesentibus testibus, postquam ipse cognovit, illud scriptum suam ultimam voluntatem continere.

Si testator scribere nescit, aut nequit, debet praeter mox dicta, coram tribus testibus *simul praesentibus* loco subscriptionis signum usitatum sua manu apponere. Ut facilius, quis sit testator, cognoscatur, cautum est, ut unus ex testibus signo praedicto nomen testatoris addat, simul adnotans, se id ex hujus fecisse mandato. — In hisce duobus casibus non requiritur, ut testes cognoscant in testamento contenta.

Si testator legere nequeat, necesse est, ut ipse testamentum, ab uno testium coram duobus aliis, qui in eodem contenta antea inspexere, sibi legendum curet, tumque illud voluntati suae omnino conforme declaret. Qui testamentum scribit, potest eodem tempore partes testis agere.

Ad validitatem testamenti nuncupativi requiritur, ut testator *coram tribus habilibus simulque praesentibus* ultimam suam voluntatem serio declaret. Testes in tali casu providere debent, ne dispositiones a testatore factae ex eorum memoria dilabantur, unde quam maxime consultum est, ut dispositiones a testatore factas quanto citius scripto tradant vel tradendas curent. — Si postea unus ex testibus moriatur, vel alia ex causa conveniri nequeat, aliorum duorum sufficit testimonium.

Testes inhabiles.

Testes inhabiles juxta Codicem Austriacum sunt: Membra cujuslibet ordinis religiosi; feminae; juvenes ante 18. completum annum; mente capti, coeci, surdi, muti, qui testatoris linguam non callent, damnati ob fraudem dolosam vel injustum quaestum; haeres ac legatarius quoad haereditatem ac legatum; item haeredis ac legatarii conjux, parentes, filii, fratres aut affines primi gradus, necnon familiares mercede conducti.

2. Haeres legitimus.

2. ***Haeres legitimus:*** In defectu testamenti jus successionis haereditariae ad proximos defuncti consanguineos pertinet. Dicitur successio ab intestato, et qui succedunt *haeredes legitimi* vocantur. Eorum jus principaliter in lege naturali fundatur: quod tamen jus lex positiva accuratius determinat, modo extendit, modo restringit, prout ratio boni communis postulare videtur. Omnium regnorum leges id praecipiunt, quod natura suadet, ut nimirum deficientibus filiis, proximi consanguinei in bona defuncti succedant; divisio tamen non eadem est apud omnes. Quoad Austriam vide C. A. §. 731 sqq.

3. Haeres necessarius.

3. ***Haeres necessarius:*** Inter haeredes legitimos quidam sunt, quibus ex necessitate legis certa quaedam haereditatis pars a testatore prorsus intacta relinqui debet. Qui isto legis favore gaudent, *haeredes necessarii* dicuntur. Haeredes necessarii juxta Codicem Austriacum censentur proles defuncti, atque posteri ab his descendentes, quibus jus ab intestato succedendi competit; hisce deficientibus parentes ceu haeredes necessarii declarantur. Ista haereditatis pars, quae haeredibus necessariis vi legis intacta permanere debet, *portio legitima* appellatur, quae quantum ad descendentes partem dimidiam, quantum ad ascendentes partem tertiam illius portionis complectitur, quam in successione ab intestato percepturi fuissent. C. A. §. 722 sqq. Ad determinandam portionem legitimam omnia bona a defuncto relicta computari et taxari debent, deductis tamen debitis aliisque oneribus, vivente adhuc testatore ipsius bonis inhaerentibus. C. A. 784 sqq.

Ex causis gravibus, in jure expressis, haeredes necessarii portione legitima etiam privari, seu exhaeredari possunt. C. A. §. 768 sqq.

Testator, qui haeredes necessarios non habet, cognatis suis *ex titulo caritatis seu pietatis* congruam bonorum partem relinquere debet, saltem si pauperes sint. Insuper testator, secluso partium studio, aequam rationem inter haeredes sequatur; praesertim partialitas parentum in hac re causa esse potest gravium jurgiorum et odiorum inter fratres, quae consectaria pietatis et caritatis lex impedire postulat.

Testamenta formis legalibus destituta.

Testamenta formis legalibus destituta quoad *causas profanas* probabilius valent, usquedum ad instantiam partium a judice rescindantur. Ergo ante sententiam judicis favendum est possessori; et s. Alphonsus addit, hanc sententiam in praxi omnino sequendam esse, quia in pari causa potior jure est possessor. Interveniente autem judicis sententia irritante, omnibus fatentibus, testamentum uti invalidum haberi debet. Hinc resolves:

α) *Ante sententiam judicis* haeres testamentarius potest tuta conscientia haereditatem retinere; item legatarius. Econtra haeres legitimus, spe sua frustratus, potest *per se, saltem absque injustitia*, petere a judice sententiam irritantem. Dicitur: *„per se"*; excipitur enim, si haeres, cujus interest impugnare dispositionem, testatori promiserit, se eandem, licet irritabilem, fideliter executurum; tunc enim tenetur stare promissis; porro dicitur: *„saltem absque injustitia"*, quia haeres ad ejusmodi sententiam provocans in quibusdam adjunctis peccare posset contra pietatem, caritatem vel gratitudinem, sive testatori, sive excluso ab haereditate vel legato debitam.

β) *Post sententiam judicis* irritantem, haeres institutus et legatarius tenentur etiam in foro conscientiae bona sibi relicta cedere, quin via compensationis uti valeant. Quidquid igitur ad haereditatem pertinet, sive cognitum sive incognitum sit, haeredi legitimo tribuendum est, qui tuta conscientia haereditatem ab intestato adire et retinere potest.

Quoad causas pias vero dispositiones ultimae non juxta normam legis civilis, sed juxta normam legis ecclesiasticae dijudicandae sunt. Lex autem ecclesiastica quoad dispositiones pias nihil aliud exigit, quam ut ex lege naturali certo validae sint. Hinc dispositiones ad causas pias, quantumvis formis legalibus careant, saltem pro foro conscientiae valent, dummodo moraliter certo constet, testatorem aliquid ad causas pias cum voluntate plene deliberata destinasse. S. Alphonsus hanc sententiam certam dicit. Ratio est, quia piae causae ad Ecclesiam pertinent, ejusque subjacent jurisdictioni; Ecclesia autem omnino libera est et immunis a potestate civili in omnibus, quae suae jurisdictioni subsunt. Sacra Poenitentiaria, hac de re pluries interrogata, semper in hoc ipso sensu respondit. Lehmkuhl omnino dicit: „Sententia, dispositiones in favorem Ecclesiae aut piarum causarum factas, etiam indigere sanctione legis civilis, aut ex ea regi debere, ne umbram quidem veritatis habet."[1])

Ceterum theologi pro praxi animadvertunt, confessarium habita ratione ignorantiae fidelium, qui saepius aegre sibi suadent, praefatam assertionem esse veram, plerumque illos in bona fide relinquere debere, et hoc juxta communem doctrinam quoad opportunitatem monendi vel non monendi poenitentes, qui sunt in bona fide circa aliquam justitiae obligationem.

Tandem notandum est, dispositiones ad causas pias factas juxta mentem testatoris fideliter exequendas esse, prout ipsa lex justitiae dictat. Concilium Tridentinum[2]) isthoc munus Episcopis specialiter demandavit. Et quidem Episcopi generatim loquendo hujusmodi dispositiones ad amussim exequi debent, et eas commutare non possunt, ne in melius quidem, nisi facultatem commutandi a Sede apostolica obtinuerint. Eo minus parochi in hac re aliter disponere possunt, quippe qui nullam prorsus potestatem

---

[1]) I. n. 1149. in adnotat. [2]) Sess. XXII. cap. 8. de reform.

habent pias dispositiones immutandi. — Exceptive tamen, seu in nonnullis casibus Episcopi juxta sententiam valde probabilem, pias dispositiones commutare possunt, tunc scilicet, quando superveniat aliqua causa, quae praesumptionem sat rationabilem fundat, testatorem, si causam istam cognovisset, aliter dispositurum fuisse. Hoc obtinet juxta Scavini:[1])

α) Si pecunia ad aliquem usum legata non sufficiat;

β) si res legata nequeat deservire pro usu determinato;

γ) si legatum non sit ad usum ita necessarium, puta si sit relictum pro vasis sacris conficiendis, quibus ecclesia non egeat, sed potius egeat casulis;

δ) quod etiam dicendum est de quibusdam antiquis legatis, quae a variatis temporibus ac moribus usum habent vel prorsus inutilem, vel parum conducentem ad gloriam Dei. — Porro observandum est, in commutationibus ab Episcopo faciendis etiam requiri consensum haeredis et legatarii, imo etiam ecclesiae, cui legatum est factum. Attamen consensu frustra expetito, Episcopus solus, si justa causa subsistat, commutationem exequi potest. Ita s. Alphonsus. — Pia legata demum, quae nullo modo ad usum a testatore intentum applicari possunt, ideo non fiunt caduca, sed applicanda sunt ad alium usum pium, secundum Episcopi arbitrium.

Dicta de testamento et jure haereditario pro confessario generatim sufficiunt, alias consulat Codicem; reliqua pertinent ad forum externum.[2])

§. 64. Jus personale — de contractibus in genere.

Jus personale, quo quis alterum ad praestandum aliquid sibi obstrictum habet seu tenet, oritur vel ex dispositione legis, vel ex pacto seu contractu, vel demum ex injusta laesione, quam quis perpessus est. Hic nobis disserendum est de *contractibus*.

Bona externa atque jura humanis usibus destinata, hominibus eorumque necessitatibus sibi continuo succedentibus, ab uno in alterum transferri necesse est. Amplissimus vero modus transferendi et mutuandi bona atque jura sunt *contractus*, in quibus tota fere socialis vita quasi in cardinibus vertitur. Solum, quantum satis est pro confessario atque conscientiae directore, de iis dicturi sumus; quia etiam in contractibus justitia laedi facile potest.

I. Notio et divisio contractus.

I. ***Notio et divisio contractus:*** *Contractus est duorum vel plurium conventio ad aliquid dandum vel agendum.* Illud, de quo praestando conveniunt, potest esse aut *res* aliqua, aut *actio*, aut *omissio*. — Distinguuntur praecipue:

1. Contractus explicitus et implicitus.

1. ***Contractus explicitus*** seu formalis, et *implicitus* seu virtualis; *prior* est, quando fit expressa partium conventione, et hic

---

[1]) T. II. pag. 243. [2]) Cfr. s. Alphons. L. III. Lehmkuhl 1141.—1170. Marc II. 1069 sqq. Staller II. tr. 8. §. 13.—20. C. Gall. 718 sqq., Ital. 923 sqq., Boruss. II. 1. §. 623 sqq. etc.

proprie dicitur contractus; — *posterior* est, quando tacite fit susceptione muneris, cui pactum adnexum est, et hic a theologis dicitur *quasi-contractus*; talem contractum e. g. judices, advocati et medici inire censentur suscipiendo munera ipsis propria.

2. Contr. consensualis et realis.

2. ***Contractus consensualis et realis;*** *prior* est ille, qui solo partium consensu perficitur, prout e. g. in venditione et locatione contingit; — *posterior* ille dicitur, qui, ut in sua specie perficiatur, rei traditionem exposcit, prout e. g. in deposito et commodato contingit.

3. Contr. bilateralis et unilateralis.

3. ***Contractus bilateralis et unilateralis;*** *prior* in utramque contrahentium partem obligationem inducit, ut e. g. venditio, locatio; et vocatur etiam *contractus onerosus*, quia onus importat ex utraque parte praestandum; — *posterior* vero in unam tantum contrahentium partem obligationem inducit, ut e. g. donatio, promissio; dicitur etiam *gratuitus*, seu beneficus, lucrativus, quia lucrum seu emolumentum unius contrahentium importat.

4. Contr. solemnis et simplex.

4. ***Contractus solemnis et simplex***, prout certis formalitatibus a lege praescriptis perficitur, aut sine ejusmodi formalitatibus privato contrahentium consensu valide et legitime perficitur, e. g. venditio publico instrumento perfecta, aut venditio privatim facta.

5. Contr. absolutus, conditionatus et qualificatus.

5. ***Contractus absolutus, conditionatus et qualificatus***, prout pure, vel sub aliqua conditione, vel sub alia clausula initur.

6. Contr. nominatus et innominatus.

6. ***Contractus nominatus et innominatus;*** *prior* est, qui in jure speciale nomen habet, ut e. g. emtio, venditio, donatio etc.; *posterior*, qui proprio nomine caret. Horum contractuum quatuor sunt genera, quae hisce formulis exhibentur: „do ut des", „facio ut facias", „do ut facias", „facio ut des".[1]) — C. A. §. 859.—937.

II. Objectum contractus.

II. ***Objectum contractus:*** Objectum contractus generatim ea omnia sunt, quae sub hominis dominio cadere possunt. Ut vero contractus validus sit, materia seu res, circa quam versatur, debet esse:

a) *Existens in re, vel saltem in spe,* secus enim illusorius esset contractus;

b) *possibilis* vel ex toto, vel saltem ex parte, quia ad impossibile nemo tenetur; hinc nemo tenetur ad casus fortuitos vitandos, cum hoc impossibile sit. — Si materia sit ex parte tantum possibilis, valet contractus pro hac parte, si res sit divisibilis, nisi ita conventum sit, ut vel *totum* vel *nihil* praestari debeat. Qui autem sua culpa effecit, ut praestatio fieret impossibilis, tenetur reparare damnum;

c) *propria contrahentis*, quia nemo potest in alium jus transferre, quod ipse non habet;

d) *honesta*, ut nempe nec legibus nec bonis moribus adversetur; secus enim esset iterum impossibilis, quia nemo ad rem illi-

---

[1]) Cfr. C. Gall. 1101.—1107., Ital. 1098.—1103. Boruss. I. 5. §. 1 sqq.

citam seu peccaminosam obligari potest. Satis tamen est, rem esse substantialiter honestam; contractus enim potest esse validus, licet ob aliquam accidentalem circumstantiam, vel ob meram prohibitionem sit illicitus;

e) *pretio aestimabilis*, i. e. utilis aut rationabiliter jucunda; hinc nullae sunt conventiones, quarum objectum est omnino inutile aut ridiculum. — Et quoniam *spes rerum futurarum* apud omnes pretio aestimabilis habetur, sequitur, quod et res, quae sunt jam in spe, possint constituere objectum contractus. Excipitur tamen haereditaria personae adhuc viventis successio, circa quam omnis stipulatio seu pactum, apud diversas gentes est nullius roboris, idque optimo jure, ne scilicet occasio inde habeatur optandae mortis alienae.[1]) C. A. 879., 1383;

f) *in commercio civili posita*, extra commercium sunt viae publicae, flumina etc.; et in jure Romano quaecunque res sacrae;

g) *determinata*, sive in individuo, sive in quantitate et qualitate, secus enim illusorius esset contractus.

Nota pro praxi. Unde pro praxi sequentia sunt notanda:

a) Pro actione vel omissione ex justitia debita, nemo potest pretium licite accipere, uti e. g. judex pro sententia *justa* ferenda; quia in tali casu venderet rem alterius, non suam. Hinc etiam Alexander VII. sequentem damnavit propositionem n. 26.: „Quando litigantes habent pro se opiniones aequiprobabiles, potest judex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius prae alio.“ — Attamen pro re debita ex alia virtute, et non ex justitia, probabilius pretium accipi potest, ut e. g. si accipias pecuniam ad jejunandum tempore quadragesimali.

b) Quoad obligationem pacti de re turpi, e. g. de patrando furto, homicidio, adulterio, fornicatione etc.; haec valent:

α) Commune et certum est, ante operis positionem nullum esse contractum, nullamque proinde obligationem; quia justitia nequit ad inhonesta obligare. Quocirca nec promittens solvere debet pretium promissum, nec promissarius retinere potest pretium acceptum.

β) Post operis positionem vero, et pretium solvere tenetur promittens, et illud retinere potest accipiens. Et quoad meretrices quidem commune et certum est, eas posse pretium meretricii petere et retinere. Hoc expresse tradit s. Thomas; et s. Poenitentiaria d. d. 23. Aprilis 1822 declaravit: „Mulier poenitens non cogenda, sed hortanda est, ut pretium meretricii juxta prudentis confessarii judicium eroget in pios usus.“ Idemque haud minus certum videtur quoad alias actiones turpes, uti s. Alphonsus aliique multi cum s. Thoma tenent, quia, licet hujusmodi actiones, quatenus peccaminosae, pretio aestimabiles non sint, nihilominus tamen pretium merentur, quatenus laboriosae vel ignominiosae, periculosae

---

[1]) C. Gall. 1130., 1600., Ital. 1118., 1460. Secus tamen Codex Bavaricus.

agenti, vel utiles alteri sint. Convenit cum Cod. Austr. §. 1174.

γ) Quodsi unus alteri munera dederit, ut eum ad peccata induceret, tunc ille, qui munera accepit, denegato consensu ea retinere potest, quia nullus intercessit contractus de peccato patrando, et proinde datio illa fuit omnino liberalis. Hinc e. g. judex, cui pecunia data est ad ipsum alliciendum, ut sententiam injustam ferat, juste potest pecuniam retinere tali sententia non lata; item femina retinere potest munuscula a viro sibi intentione turpi donata, etsi denegaverit copulam. Ita s. Alphonsus et alii communiter, qui tamen recte addunt, hujusmodi munera accipientem difficulter excusari posse a peccato scandali.

III. **Subjectum contractus:** Ex jure naturae ii omnes et soli contrahere possunt, qui usu rationis gaudent, et liberam bonorum suorum administrationem habent. Hinc nequeunt contrahere: *infantes* et *perpetuo amentes, lunatici, furiosi* et *perfecte ebrii,* tempore rationis deliquii. III. Subjectum contractus. Inhabiles ad contrahendum.

At leges humanae possunt ob bonum commune jus privati limitare, et contractus eo fine infirmare, ut damnum a personis imperitis excludatur atque familiarum paci et morum honestati consulatur. — Unde jure positivo ad firmiter contrahendum inhabiles communiter declarantur illi omnes, qui non habent liberam bonorum suorum administrationem, et sunt: *minores, uxores, interdicti, prodigi, civiliter mortui.* C. A. §. 865.—868.[1])

Ex parte contrahentium omnino necessarius est **consensus,** qui est velut anima contractus; et quidem hic consensus debet esse: Consensus necessarius:

1. **Internus,** quia obligatio contractus ex sola contrahentium voluntate, sive explicita sive implicita oritur. Ita communiter. Hinc si quis *ficte* consentit, e. g. sine animo contrahendi vel se obligandi, non tenetur in conscientia ratione contractus, quia nullus est; sed ratione deceptionis tenetur alterum indemnem facere, et si aliud non suppetat medium reparandi injuriam, debet verum consensum praebere et stare contractui. — In foro externo supponitur semper consensus verus, donec contrarium non fuerit certe probatum; item nemo debet credere ei, qui asserit, se interius non consensisse, nisi evidenter constet, e. g. ex circumstantiis, consensum fuisse jocosum. 1. Internus.

2 **Liber et plene deliberatus,** ita, ut contrahens non solum sui compos sit, sed cum ea advertentia agat, quae ad peccatum grave requiritur, quia contractus perfectam obligationem involvit, quae perfectum actum praesupponit. 2. Liber et plene deliberatus.

3. **Externe manifestatus,** tali nempe modo, ut consensus unius possit ab alio cognosci et acceptari; est enim actus humani commercii, qui nequit esse talis, nisi exterius manifestetur. 3. Externe manifestatus.

4. **Mutuus et determinatus;** quia nimirum contractus est placitum et consensus saltem duorum in idem objectum. Et 4. Mutuus et determinatus.

---

[1]) C. Gall. 1310 sqq., Ital. 1305 sqq., Boruss. II. 1. §. 318 sqq.

quidem si contractus onerosus sit, requiritur ex utraque parte promissio et acceptatio; si gratuitus, requiritur promissio ex una, et acceptatio ex altera parte. Necesse tamen non est, ut consensus utriusque partis *simul* eliciatur. C. A. 869.

Vitia liberi consensus:

Vitia libero consensui opposita sunt: *error, dolus, metus* et *vis;* unde notandum:

a) Error et dolus.

a) ***Error et dolus*** irritat contractum, si versetur circa *rei substantiam*, e. g. si emas vitrum, putans esse gemmam; quia tunc deficit consensus. *Secus dicendum,* si error aut dolus contingat solum circa *rei qualitatem*, e. g. si quis emat equum decennem, putans eum esse quinquennem; deceptus tamen ab erroris vel doli auctore indemnis servari debet. *Excipe tamen casus, quando qualitas illa redundat in substantiam,* vel quia primario illam qualitatem intendebas, e. g. si picturam emas, eo, quod eam existimas opus celeberrimi pictoris; vel quia consensisti cum conditione: „si talis adsit circumstantia," deficiente enim apposita conditione, contractus non subsistit. Ita s. Alphonsus cum aliis communiter et convenit C. Austr. §. 871.—874.

Attamen *error, dans causam contractui, non irritat contractum, si sit onerosus*, quia talis error non impedit perfectam cognitionem, neque perfectum consensum quoad rei essentiam. Insuper si secus esset, vix ullus contractus validus foret, quod in commercii subversionem cederet; excipe tamen ut supra, si qualitas veluti „conditio sine qua non" expresse addatur, quia tunc essentialis evadit. Sic e. g. qui emit librum, quem existimat bonum, et postea deprehenderit esse pravum, valide contrahit.

Sed *contractus gratuitus* in tali casu *probabilius irritus est*, quia talis contractus ex natura sua voluntarium simpliciter, et omnimodam spontaneitatem requirit; saltem, — quod omnes concedunt, — *rescindibilis* est, uti e. g. donatio facta pauperi, quia valde probus reputatur.

Similiter *error circa personam contractus onerosos* — excepto contractu matrimonii — *non irritat,* secus si contractus sit gratuitus, quia in hoc persona specialiter intendi solet.

b) Metus et vis.

b) ***Metus levis non irritat contractum onerosum,*** nec rescindibilem reddit, quia levis metus non minuit voluntarium, cum facile contemni possit. — Contractus gratuiti tamen probabilius videntur irriti, quoties metus, quamvis levis, injuste fuerit incussus ad consensum extorquendum; sententia tamen opposita etiam probabilis est.

Metus gravis, si ita perturbat rationis usum, ut culpa gravis ex eo impediatur, contractum prorsus irritum reddit, sive sit ab intrinseco, sive ab extrinseco incussus; secus si non ita perturbat rationis usum. Sed hic distinguendum est, an metus gravis *juste* vel *injuste* fuit incussus. Si *juste,* contractus validus est et firmus, quia metus gravis minuit quidem, sed non tollit voluntarium; si *injuste,* contractus saltem probabilius ex

jure naturae adhuc valet, ex ratione prius adducta; sed rescindibilis est, ratione injuriae, quam ille patitur, cui metus est incussus. Ita s. Alphonsus et alii communissime; convenit C. A. §. 870. — De jure tamen positivo aliqui contractus ob metum gravem et injuste incussum ipso facto irriti sunt, uti jam in parte generali §. 12. dictum est.

Ultimo notandum, quod contractus jure naturae irriti, nec *juramento* firmantur, quia juramentum sequitur naturam actus. Idem communius docent, si contractus ipso facto irriti sunt ex jure positivo, ratione boni communis. C. A. §. 870.—875.[1])

IV. ***Forma externa contractus:*** *Per se* ad valorem contractus speciales solemnitates non requiruntur, ideoque contractus oretenus tantum initus et sine testibus, omnino tenet et obligat. Quandoque tamen lex civilis quandam solemnitatem exigit, et quidem aliae sunt *essentiales*, quibus omissis contractus invalidus est; aliae *accidentales*, quarum omissio contractum non irritat. C. A. §. 883. IV. Forma externa contractus.

Sed quaestio magni momenti est, an valeant et in conscientia obligent contractus absque formalitatibus ad ipsorum valorem a jure praescriptis?

Triplex est sententia probabilis: *Prima affirmat,* quia leges irritantes fundantur in praesumptione fraudis, ergo ubi fraus abest, etiam ipsae leges cessant obligare, cum praesumptio cedat veritati. Ita Sotus.

Secunda negat, quia jus civile hujusmodi contractus vult haberi pro infectis, ut ansa quibuslibet fraudibus tollatur. Ita Salmanticenses, Lugo, Lacroix, Lessius etc.

Tertia et media inter duas priores sententias docet: hujusmodi contractus esse validos quidem antequam per sententiam judicis irritentur, quia exstat obligatio naturalis; invalidos vero, quatenus ejusmodi contractus possunt, imo et debent per sententiam judicis irriti declarari, si lis super eis mota fuerit, et ad judicium saeculare deferantur. Ita Layman, Sanchez etc.

Haec sententia videtur ceteris probabilior et in praxi tenenda. S. Alphonsus respicit actualem rei possessorem, et dicit in his contractibus praeferendum esse possessorem, donec per sententiam judicis condemnetur ad restitutionem.[2])

V. ***Obligatio contractus;*** obligatio contractus est vinculum, quo quis vi contractus adstringitur ad aliquid dandum, faciendum vel omittendum. Est vel *mere naturalis,* vel *mere civilis,* vel *mixta,* si scilicet pro utroque foro valet, vel tantum ex jure naturae, vel tantum ex jure civili obligat. V. Obligatio contractus.

Unde sequentia sunt notanda:

1. Quilibet contractus, rite initus, parit obligationem in foro conscientiae sive in utroque, sive in alterutro contrahentium pro natura conventionis. Animus enim se obligandi est de essentia contractus, qui idcirco instar legis habetur quoad contrahentes.

---

[1]) Cod. Gall. 887., 1674 sqq., Ital. 1529. etc.. [2]) Cod. Gall. 1134 sqq., Ital. 1123, Boruss. I. 5., Angl. II. 187 sqq.

2. Contractus rite initus non solum obligat ad id, quod pacto exprimitur, sed ad omnia ea, quae contractui propria sunt, seu quae pro conventionis natura postulat aequitas, usus aut lex. Hinc in dubio ante omnia inquiri debet verborum sensus proprius et usitatus, necnon contrahentium intentio, si de iis clare et expresse constare possit.

3. Contractus rite initus, nisi quid aliud pro casu particulari statuat lex, vim non habet, nisi inter solas personas contrahentes aliasve, quae cum ipsis unam personam moralem constituunt, uti sunt haeredes; C. A. §. 881., 918. Tamen ad haeredes non transeunt, uti statuit jus Austriacum, jura et onera *mere personalia,* vel qualitati personali contrahentis adnexa; porro jura vel onera, a quibus haeredes sive ex contractu, sive ex lege excluduntur; et tandem promissio nondum acceptata, si tempore ad deliberandum concesso vel unus e contrahentibus decedat.

4. A contractu, perfecte executioni mandato, partes neque mutuo consensu recedere possunt, sed ad hoc novum inire debent, qui a priori distinctus est. C. A. §. 920.

5. Obligatio contractus etiam varie modificari potest, scilicet vel *juramento*, quod eam obfirmet, vel *conditione,* quae eandem suspendit vel perimit, vel aliis *clausulis,* quae illam propius determinant, uti clausula sub arrha, vel sub poena recessus etc. C. A. §. 908 sqq.

6. Ut impletio contractus uni parti facilior evadat, alteram leges culpam praestare jubent, ita scilicet, ut teneatur de damnis reparandis, quae ex dolo vel omissione debitae diligentiae in compartem redundant. C. A. §. 922.—934.

7. Obligatio ex contractu suscepta generatim intelligenda est juxta legum praescripta, adeo quidem, ut omissio diligentiae a legibus praescriptae culpam non solum juridicam, sed etiam theologicam frequentius inducere soleat. Nihilominus tamen contingere potest, ut quis incurrat culpam juridicam, quin culpae theologicae reus censeri possit; quod probe observandum est, si de obligatione restitutionis quaeratur, ut infra dicetur.[1])

§. 65. Contractus gratuiti.

Contractus gratuiti sunt, quibus alteri *gratis* aliquid datur praestaturve. Non tamen excludunt *honorarium*, quod in contestationem grati animi liberaliter et sine praevia conventione datur. Contractus gratuiti sunt sequentes: *promissio*, *donatio*, *depositum*, *commodatum*, *mutuum* et *mandatum*. De singulis pauca in specie:

I. Promissio. *I.* ***Promissio;*** *est contractus, quo quis alteri se obligat ad aliquid gratuito praestandum aut omittendum in ejus favorem.*

---

[1]) Cfr. s. Alph. L. III. Müller II. §. 106 sqq. Lehmkuhl I. n. 1046.—1080. Marc II. n. 1032.—1060. Staller tr. 8. §. 21.—24. Delama n. 137.—177. Cod. Gall. 134 sqq., Ital. 1123 sqq., Boruss. I. 5. etc.

Promissio tunc tantum obligationem inducit, quando est *acceptata*, quia in quolibet contractu mutuus consensus intervenire debet, et idcirco promissio ante acceptationem semper retractari potest.

Obligatio promissionis.

Promissio acceptata obligat per se ex fidelitate sub levi, quandoque tamen obligat ex justitia sub gravi vel levi pro quantitate materiae, quando nempe promittens intendit alteri conferre *jus strictum ad rem.* Id autem intendere censetur saltem in foro externo, si promissionem juramento vel chirographo firmaverit, vel coram testibus ad hoc vocatis promissionem enuntiaverit. — In foro interno standum est intentione promittentis. In dubio, an quis sub gravi vel sub levi se obligare voluerit, minimum tenendum est. Ita theologi communius. Ceterum in praxi promissio raro obligat sub gravi et ex justitia, quia promittentibus ut plurimum deest animus, se ita rigorose obligandi, uti s. Alphonsus dicit. Imo promissiones, prout communiter fieri solent, non sunt, nisi mera proposita, quae obligationem erga alios non inducunt.

Cessatio obligationis promissionis.

Obligatio promissionis acceptatae cessat: si promissarius eam sponte remittit; vel si, promissione mutue facta, alter promissis non steterit; vel si res promissa impossibilis, inutilis aut illicita facta fuerit; vel si status rerum aut personarum ita mutatus fuerit, ut prudenter censeri possit, promissionem ad illas circumstantias se haud extendisse; et denique si causa motiva, in actu promissionis cogitata, non substiterit. Ita omnes. C. A. §. 861 sqq.

II. Donatio.

II. **Donatio.** C. A. §. 938.—956. *Est contractus, quo res vel jus in alium gratis transfertur.* Obligat ex justitia, si a donatario acceptata fuerit. — Distinguitur *donatio verbalis* et *realis*, prout solis verbis constat, vel ipsa rei donatae traditione perficitur; porro *donatio inter vivos,* quae fit sine respectu ad mortem donantis; et *donatio mortis causa,* qua quis pro casu mortis suae rem aliquam alteri donat.

Distinctio donationis.

Donatio generatim irrevocabilis est, ob justas causas vero revocari potest, quae sunt: gravis indigentia donantis, enormis ingratitudo donatarii, et jus alienum donatione violatum.

Donationes invalidae.

Invalidae sunt donationes, si fiant ab eis, qui aere alieno sunt gravati, et advertendum, illos, qui dona accipiunt mala fide, teneri ad restitutionem damni, quod obvenit creditoribus. — Pro praxi adhuc notandum est, quod promissiones, quae solent fieri in vita de re aliqua danda in morte parentibus, famulis, amicis etc., vim donationis mortis causa non habent, sunt potius merum propositum; unde vi hujusmodi promissionis de rebus promissis defuncti nil occulte surripere possunt.[1])

III. Depositum.

III. **Depositum.** C. A. §. 957.—970. *Est contractus, quo quis rem alienam gratis custodiendam suscipit.* Qui rem deponit, dicitur *deponens* vel depositor, ille autem, apud quem deponitur, *depositarius.* — *Depositarius tenetur* rem depositam diligenter custodire, unde si ex incuria theologice culpabili res perierit, vel

Officia depositarii.

[1]) Cod. Gall. 893 sqq., Ital. 1050 sqq., Boruss. I 11. §. 1038 sqq., Angl. II. 325.

deterior facta sit, tenetur deponentem indemnem reddere. — Depositarius non potest re deposita uti, sine consensu domini saltem praesumpto; nec potest investigare, qualis sit res deposita, quando illam accepit in arca inclusam, vel sigillo obsignatam. Porro depositarius tenetur depositum petenti statim restituere, et quidem cum fructibus ex eo perceptis, secus enim retineret alienum invito rationabiliter domino. — Excipe, nisi certe sciat, rem esse furtivam, aut nisi ipse haberet justam et certam causam compensationis, aut nisi prudenter timeat, ne dominus ea abusurus sit contra justitiam, e. g. gladio ad inimicum interficiendum, aut etiam contra caritatem.

Officia deponentis.

— *Deponens tenetur* depositarium indemnem servare; unde debet eum monere de vitio rei, ex quo damnum ei emergere possit, et resarcire omnes expensas necessarias vel utiles factas ad rei custodiam.[1])

Species depositi est *sequestrum*, quo res controversa alteri tertio custodienda traditur, ut postea reddatur ei, cui adjudicata fuerit a judice vel ab arbitro. Est vel *conventionale*, si fiat mutua contendentium conventione, vel *judicarium*, quod sententia judicis decernitur. C. A. §. 968.

IV. Commodatum.

IV. ***Commodatum.*** C. A. §. 971.—982. *Est contractus, quo res non fungibilis alteri gratis utenda traditur, ut suo tempore rem eandem restituat.*

Officia commodatarii.

Commodatarius jus nanciscitur, rem commodatam ad usum ordinarium vel singulariter determinatum adhibendi, tempore vero elapso eam restituere tenetur. — Si rei usus non conceditur pro certo tempore, sed ad libitum commodantis, contractus dicitur *Precarium*, quod pro lubitu concedentis revocari potest, dum commodans rem commodatam generaliter non potest repetere ante tempus determinatum vel ante finem obtentum, nisi ipse ex casu improviso re sua statim indigeret.

Officia commodantis.

— *Commodans* monere debet commodatarium de vitio nocivo rei commodatae, alias damnum inde eveniens compensare debet. Porro refundere debet *expensas extraordinarias*, quas ad rem conservandam fecit commodatarius; et tandem rei pericula et detrimenta ex casu fortuito enata, seclusa mora, culpa, pacto et peculiari lege, sustinere debet juxta axioma: „Res perit domino.“ — Commodatarius vero tenetur de damno, quod res commodata ex sua culpa patitur.[2])

V. Mutuum.

V. ***Mutuum.*** C. A. §. 983.—1001. *Est contractus, quo dominium rei fungibilis, gratis quidem, sed ea lege in alterum transfertur, ut suo tempore aliam ejusdem generis bonitatisque restituat.*

Datur verum praeceptum mutuum iis concedendi, qui in necessitate versantur, et habituri sunt, unde restituant. Ratio primi est, quia caritas obligat ad subveniendum proximo in necessitate

Obligatio mutuum dandi.

constituto; unde mutuandum est tum pauperibus, ut patet, tum iis divitibus, qui ob peculiarem circumstantiam mutuo indigent; non vero aliis divitibus, qui nempe ad augendas opes idem postulant, quia in nulla necessitate versantur. — Ratio secundi est, quia ad

---

[1]) C. Gall. 1915 sqq., Ital. 1835 sqq., Boruss. I. 14. §. 9.—91. [2]) Cfr. s. Alph. L. III. Marc II. n. 1096 sqq. Delama n. 191 sqq.

naturam mutui pertinet, ut res similis reddatur; quare contractus mutui cum illis, qui nec in spe habent, unde restituant, locum habere nequit. Sed tunc saepe urgebit praeceptum, aliquam eleemosynam hujusmodi indigentibus erogandi.

Mutuum igitur per se est contractus gratuitus, quo mutuatarius ad nihil aliud obligatur, quam ut loco rei acceptae, suo tempore aliam rem ejusdem generis et bonitatis restituat, quin ratione mutui, qua talis, jus aliquod mutuatori enascatur plus recipiendi, quam mutuo dedit.

Objectum mutui sunt omnes res primo usu consumptibiles, i. e. quae destruuntur per usum consumptionis, ad quem naturaliter sunt ordinatae, e. g. frumentum, vinum etc. In his nequit usus a dominio separari; quare res mutuata in dominium mutuatarii transit. — Quod *pecunia* inter res primo usu consumptibiles computanda sit, communis est opinio, et ratio est, quia pecunia per se ordinatur ad faciendas commutationes; unde distrahitur ab utente, illique perit, ac moraliter consumitur per primum usum. Ita s. Alphonsus. Juxta Codicem Austriacum distingui debet, utrum mutuum pecunia, an vero alia re primo usu consumptibili constet. Objectum mutui.

Si pecunia, — tunc, si mutuans restitutionem in eadem particulari pecuniae specie, quam dedit, stipulatus fuerit, in eadem specie et in eodem numero reddi debet, sive valor *extrinsecus imminutus,* sive *auctus* fuerit. Si vero valor *intrinsecus* immutatus fuerit, vel species determinata non amplius vigeat: in priori casu restitutio fieri debet juxta valorem intrinsecum, quem pecuniae species tempore mutui habebat; in posteriori autem casu mutuatarius tenetur restituere pecuniam, quae quoad numerum et qualitatem priori proxime accedit, ita, ut mutuator valorem intrinsecum pecuniae datae consequatur.

Quodsi mutuum non pecunia, sed alia re primo usu consumptibili constet, ejusdemque restitutio in eodem genere, bonitate et quantitate in contractum deducta fuerit, nihil refert, utrum rei pretium interim auctum, an vero diminutum fuerit.

Mutuator non potest rem ante tempus repetere, nisi ipse sit in pari necessitate; debet tamen rem recipere, si ante tempus reddatur, quia tempus in gratiam mutuatarii concessum est. Casu, quo tempus non fuit determinatum, mutuatarius tenetur rem mutuatam reddere, quando a mutuatore interpellatur, sed post tempus judicio benevolo definiendum, ne videlicet mutuum potius obesset, quam prodesset mutuatario. Ita s. Alphonsus.[1])

VI. ***Mandatum.*** C. A. §. 1002.—1044. *Est contractus, quo quis negotium, ab altero sibi commissum, ipsius nomine gerendum suscipit.* Si negotium alienum pro certa mercede gerendum suscipitur, hic contractus onerosis, secus gratuitis accensetur. Dividitur mandatum in *scriptum* et *nuncupativum,* in *generale* et *speciale,* in *judiciale* et *extrajudiciale,* in mandatum cum *restricta* et VI. Mandatum.

---

[1]) C. Gall. 1892., Ital. 1819., Boruss. I. tit. 11. 653.

libera agendi potestate. Potissima mandantis et mandatarii officia refert C. Austr.

Negotiorum gestio.

Ad mandatum refertur *negotiorum gestio,* quae est actus, quo quis negotium alterius gerendum suscipit sine mandato ipsius, saltem expresso. Juxta Codicem Austriacum interest, utrum quis alterius negotium sine ullo mandato susceperit *urgente necessitate* ad avertendum damnum imminens alterius, quo in casu ab eo, cujus negotium gessit, expensas necessarias et rei convenientes factas repetere potest, licet opera illius effectu optato caruerit; — vel an ad illius *utilitatem seu emolumentum,* quo in casu jus ad expensas sibi compensandas eatenus tantum habet, quatenus negotium in manifestam utilitatem alterius cessit; — vel demum, an *contra ejus voluntatem;* in tali casu non solum de damno inde emergente et de lucro cessante tenetur, sed etiam sumptum in rem factum perdit, nisi sumptus iste in sua natura restitui possit.[1])

§. 66. Contractus onerosi.

Contractus onerosi *dicuntur, quibus utraque pars pasciscentium ad rem vel operam aequivalentem se obligat.* Unde justa inter illos aequalitas requiritur, ita, ut pars utraque tantum det, quantum recipit; qui secus faciunt, regulis justitiae absque dubio refragantur. Contractus onerosi sunt: permutatio, venditio et emptio, locatio-conductio, monopolium, venditio per proxenetas, venditio sub hasta, census, cambium, societas, sponsio, ludus, lotteria, assecuratio. De singulis pauca.

I. Permutatio.

I. ***Permutatio.*** C. A. §. 1045.—1052. *Est contractus, quo duo vel plures se invicem obligant ad dandam rem unam pro alia, vel jus unum pro alio jure.* Obligationes permutantium non differunt ab iis, quas contrahit venditor.[2])

II. Venditio et emptio.

II. ***Venditio et emptio.*** C. A. §. 1053.—1089. *Est pactio mercis pro determinata summa pecuniae.* Dominium rei in hoc contractu nonnisi per traditionem requiritur.

1. Objectum venditionis.

1. ***Objectum venditionis*** potest esse quaecunque res, in commercio humano posita, propria venditoris et determinata. Vendi igitur potest quaecunque res pretio aestimabilis, sive praesens sit, sive futura; sive certa, sive sperata, sive corporea sive incorporea, uti jura (etiam jura litigiosa), chirographa, credita et similia; — nisi tamen speciales leges obstent, uti e. g. in Austria vetatur venditio veneni sine legitima licentia.

2. Obligationes venditoris.

2. ***Obligationes venditoris*** quoad mercem sunt:

a) Venditor debet emptorem praemonere de notabili vitio rei, quod ei obesse posset, ut e. g. si equus sit furiosus; quibus omissis, si vitium sit circa *substantiam rei,* ut si vendatur stan-

---

[1]) Cfr. s. Alph. L. III. Lehmkuhl II. n. 1081 sqq. Marc II. n. 1061 sqq. Müller II. §. 110 sqq. Staller II. tr. 8. §. 25.—30. Delama n. 177.—206. C. Gall. 1039 sqq., Ital. 890., 1737.—1763., Boruss. I. 13. §. 5.—227., Angl. II. 373 [2]) Cod. Gall. 1702 sqq., Ital. 1549 sqq.

num pro argento, venditio nulla est. Si autem vitium sit circa *qualitatem rei*, ut si vendatur vinum aqua mixtum pro puro, vel circa *quantitatem*, ut si dentur 5 pro 8, venditio valida est, dummodo subtrahatur de pretio, quantum oportet, ut s. Thomas dicit, et dummodo *qualitas non transierit in substantiam*, ut si emptor expresse dixerit: nolo vinum, si non sit vetus. Est doctrina communis. — Si vero vitium sit *patens*, ita ut a quolibet generatim cognosci possit communi diligentia, e. g. si equus est monoculus, venditor non tenetur ex justitia defectum manifestare; excipe, si emptoris ignorantia sit aperta e. g. quia est ineptus, puer, tunc enim relate ad illum vitium est vere occultum.

b) Venditor tenetur rem venditam *tradere*, i. e. in potentiam et arbitrium emptoris remittere, et quidem tempore, loco et modo etc., de quibus in contractu conventum est.

c) Venditor tenetur emptori rei *assecurationem* praestare, i. e. illum securum facere de pacifica rei possessione, necnon de ejus utilitate.

3. ***Contractus emptionis et venditionis intra terminos justi pretii se continere debet.*** Pretium autem duplex distinguitur, scilicet: *pretium legale*, quod ab auctoritate publica pro certis quibusdam mercibus constitutum est; — et *pretium naturale seu vulgare*, quod valori rei respondet juxta communem hominum aestimationem. Hoc pretium latitudinem quandam admittit, cum hominum judicia varientur de ejusdem valore. 3. Justum pretium.

Quocirca distinguitur: *pretium summum*, supra quod res aestimari non solet; *pretium infimum*, infra quod res generatim non aestimatur; et *pretium medium*, quod inter utrumque habetur. Unde sequentia sunt notanda:

a) *Pretium legale habendum est ut justum, et servari debet ab omnibus*, ecclesiasticis non exceptis. Ita s. Thomas. Excipe tamen, si taxa a majori populi parte, sciente principe non observetur, vel si mutatis rerum circumstantiis manifeste injusta evaserit. Unde probabiliter res optima potest carius vendi, quia princeps (seu magistratus) taxando pretium respicit tantum valorem mercis ordinariae; vel misceri cum alia potest, ut fiat sicut res communis. Ita s. Alphonsus. a) Pretium legale est justum.

b) *Deficiente pretio legali, ut justum est habendum et servandum pretium vulgare.* Justum autem est omne pretium vulgare, summum, infimum et medium. Ita omnes. Pretium tamen hoc variari potest ratione temporis et loci; etenim ex aestimatione hominum regionis, in qua res existit, et temporis, quo res venditur, pretium istud determinatur. Res, quae pretium vulgare non habent, uti gemmae, tabulae pretiosae, et similia, secundum judicium prudentum aestimari debent. Sed improbabile non est, etiam *pretium mere conventionale*, de quo scilicet contrahentes absque fraude et dolo conveniunt, ut justum esse habendum. Hinc non sunt inquietandi, qui ad arbitrium b) Deficiente pretio legali, pretium justum est vulgare.

proprium, de pretio ejusmodi rerum bona fide et libera voluntate convenerunt; quod tanto magis valet, si agatur de re, cujus valor penitus ignoratur, quia in tali casu utraque pars aequale rei discrimen subit.

c) Pretium vulgare quandoque augeri vel minui potest.

c) *Pretium vulgare quandoque sine injustitia augeri vel minui potest*: quia videlicet evenire possunt circumstantiae, per quas vel crescit, vel decrescit mercium valor.

Tituli ad pretium vulgare augendum:

Tituli, ob quos pretium vulgare augeri potest, seu venditori licet plus exigere pretio vulgari, seu rem vendere supra pretium summum, sunt praecipue sequentes:

α) Singularis bonitas vel raritas mercium.

α) *Singularis bonitas aut raritas mercium*, cum utraque augeat communem aestimationem; ita s. Alphonsus.

β) Magnus emptorum numerus.

β) *Magnus emptorum numerus seu concursus, et mercium penuria;* etenim quo plures concurrunt emptores, et quo pauciores venduntur merces, eo majoris res aestimatur.

γ) Specialis affectus venditoris.

γ) *Specialis affectus*, quem *venditor* in rem suam habet, vel *singularis commoditas*, quam ex ea percipit; etenim talis affectio et commoditas vere pretio aestimabilis est. Adverte autem, emptorem de hoc titulo praemonendum esse, ut possit, si velit, aliter sibi providere, ut dicit s. Alphonsus. Attamen specialis affectus *emptoris* vel ejusdem utilitas, nequaquam est titulus vendendi carius, quia, ut communiter docent cum s. Thoma,[1]) nemo vendere potest, quod suum non est; unde sententia opposita plurium recentiorum theologorum non sat probabilis esse videtur.

δ) Modus vendendi.

δ) *Modus vendendi;* nam si res in parva quantitate et minutatim vendantur, potest majus pretium exigi, propter majores curas et expensas, quae tunc impendi solent ad eas conservandas, quam si merces in magna quantitate (en gross) vendantur, quia curae et labores etc. sunt pretio aestimabiles. — Similiter si res vendantur *sub hasta;* tunc enim, potestate publica id probante, justum censetur qualecunque pretium, quod a licitatoribus, libere et sine fraude determinatur.

ε) Dilatio pretii solutionis.

ε) *Dilata pretii solutio* ratione periculi in pretio accipiendo vel ob lucrum cessans et damnum emergens.

Tituli ad pretium vulgare minuendum:

Tituli, ob quos pretium vulgare minui potest, seu *emere* licet infra pretium infimum, sunt sequentes:

α) Damnum emergens et lucrum cessans.

α) *Damnum* ex praesenti emptione emergens, aut *lucrum cessans*, aut aliud quodvis incommodum *emptoris* pretio aestimabile. Unde, sicut communiter docetur, salvo jure, vilius emere potes rem, ex qua parum tibi utilitatis obveniet. Venditor autem de hoc commonendus est.

β) Copia mercium et paucitas emptorum.

β) *Copia mercium et paucitas emptorum;* quia res vendibilis eo minoris aestimatur, quo copiosius offeruntur, et quo minus appetuntur. Hinc, ut communiter dicunt, licitum est, rem, quam quis ultra offert emptorem quaeritans, viliori

---

[1]) 2. 2. q. 77. a. 1.

pretio emere. Fert enim adagium: „Merces ultroneae vilescunt;“ et probabilius, ait s. Alphonsus, pretium talis rei decrescit usque ad tertiam partem. Cavendum tamen, ne quis pauperis angustias in sui commodum ita vertat, ut violet caritatem. Ita s. Alphonsus.

γ) *Modus emendi;* merces enim possunt minoris emi: si emantur in gratiam venditoris, ut si quis multa simul seu in magna quantitate emat, quia tunc venditorem liberat a multis curis et expeditum facit ad alia comparanda; item si res vendantur sub hasta, ob rationem supra enuntiatam; item si res venales exponantur apud veteramentarios seu antiquarios, quia res hujusmodi, etsi forsan pretiosae, censentur pretium suum pristinum amisisse, et aliud accipere ex consuetudine seu contrahentium conventione; aut saltem patiuntur maximam pretii latitudinem. γ) Modus emendi.

δ) *Anticipata pretii solutio;* quia talis solutio pluris valet, quam dilata. δ) Anticipata pretii solutio.

ε) Denique emptor vilius emere potest, si emptioni *pactum* de mercede redimenda, vel aliud onus adjiciatur. ε) Conditio adjecta.

4. ***Contractui venditionis pacta quaedam accessoria adjungi possunt,*** cujusmodi sunt: 4. Pacta venditioni adjecta:

a) ***Retroemptio,*** est pactum, quo venditor sibi reservat jus rem ab emptore reemendi; quare emptor dominium revocabile tantum assequitur. Talis contractus est licitus, modo absit usura. Codex Austriacus tamen jus retroemptionis pro immobilibus tantum, et ad vitam venditoris concedit. — C. A. §. 1068.—1070. a) Retroemptio.

b) ***Retrovenditio;*** est pactum, quo emptor jus sibi reservat rem emptam venditori ad suum arbitrium retrovendendi. Talis contractus est licitus, si absit usura, in Austria tamen iisdem restrictionibus ac retroemptio subjacet. C. A. §. 1071. b) Retrovenditio.

c) ***Venditio cum jure praelationis,*** est pactum, quo venditori jus reservatur, ut in casu, quo res denuo vendatur, ipse reliquis emptoribus praeferri debeat. C. A. §. 1072.—1075. c) Venditio cum jure praelationis.

d) ***Emptio et venditio ad experimentum;*** est pactum, quo emptor jus sibi reservat, rem venditori reddendi, si minus probata fuerit. C. A. §. 1080.—1072. d) Emptio et venditio ad experimentum.

e) ***Venditio, reservato jure melioris emptoris;*** est pactum, quo venditor jus sibi reservat, rem infra certum temporis spatium meliori emptori vendendi, si talem invenerit. C. A. §. 1083.—1085.[1]) e) Venditio reservato jure melioris emptoris.

f) ***Mohatra*** est species retrovenditionis, qua nimirum quis rem a te emit majori pretio ad creditum cum pacto explicito, ut eandem tibi retrovendat minori pretio, pecunia numerata. Talis contractus *per se* illicitus est, quia in eo latet usura palliata; constat ex propositione n. 40. ab Innocentio XI. damnata. Dicitur *per se*, quia, si res *sine praevio pacto* reematur etiam f) Mohatra.

---

[1]) Cfr. C. Gall. 1582 sqq., Ital. 1447 sqq., Boruss. I. 11. §. 1.—362.

minoris, et ab eodem, cui vendita est, contractus de se licitus est, modo absit animus usurarius. Ita s. Alphonsus.

III. Venditio per proxenetas.

III. **Venditio per proxenetas.** C. A. §. 1086.—1088. *Illa dicitur, quae non fit per dominum rei, sed per personas intermedias, ipsis ex commissione demandata*, e. g. per famulos, vel amicos. Istae personae intermediae *proxenetae* dicuntur. De hoc contractu haec sunt notanda:

Officia proxenetae.

1. Proxeneta negotium sibi commissum adinstar mandatarii fideliter exequi, et integrum rei venditae pretium mandanti refundere tenetur.

2. Proxeneta, qui rem vendit supra, aut emit infra pretium sibi a domino designatum, *per se* non potest sibi retinere excessum, quia talis designatio communiter intelligitur, dominum cum pretio designato tunc contentum esse, si majus pretium non possit obtineri. Dixi: *per se*, excipitur enim: si proxeneta istud pretium speciali industria et labore prorsus indebito obtinuerit; vel si dominus expresse vel tacite declarasset, se nihil exigere ultra pretium designatum; et denique si lucrum sit parvi momenti.

3. Si dominus commiserit alicui rem vendendam in uno loco, et hic in alio valde distanti, adhibita speciali diligentia, majori pretio vendat, tunc proxeneta inique non agit, si mercedem labori suo proportionatam servet. — Idem valet, si dominus alicui commiserit, ut rem tanti emat, et hic, adhibita diligentia extraordinaria domino indebita, pretio minori emat, tunc enim compensationem laboris a domino exigere potest. Sed cavendum, ne mentiatur iniquitas sibi.

4. Proxeneta potest etiam ipse rem domini sui vendendam emere pretio ab illo designato, et postea eam majori pretio vendere, sub his tamen conditionibus tantum:

a) Ut adhibita morali diligentia emptorem non inveniat, qui plus offerat; secus enim contra officium suum et voluntatem mandantis certo cognitam ageret;

b) ut rem sibi non ficte, sed vere emat, ita ut ejus periculum subeat; et si forte tanti non vendat, nihilominus pretium determinatum domino reddat; secus enim aequitas non servatur. Sed in hac agendi ratione vix unquam proximum fraudis et illusionis periculum abesse solet.

5. Proxeneta licite potest retinere ea, quae venditor solo ejus intuitu ipsi cedit, ut e. g. ad officinam suam eum pertrahat, vel ob peculiarem amicitiam; quia tunc obtinet donatio, proxenetae facta. Hinc e. g. sartor, qui pannum a mercatore pro domino ad vestes conficiendas pretio minori, quam ordinario emit, non peccat, si pretium majus, quod quippe alii communiter solvunt vel solvere debent, a domino postulat, quando pretium minus solo sartoris intuitu a mercatore factum est. Ita s. Alphonsus.

IV. Venditio sub hasta.

IV. **Venditio sub hasta** (auctio, licitatio) *est venditio per praeconem, in qua res plus offerenti adscribitur.* Talis venditio licita est, sive fiat consentiente, sive invito domino per publicam auctoritatem.

In subhastatione, uti jam dictum est, si omnis fraudulentia desit, *pretium justum illud censetur*, quod ab ultimo licitante oblatum est, etiamsi pretium summum excedat, aut ne infimum quidem attingat.

Fraus et dolus vero tum ab emptore, tum a venditore in subhastatione committi potest. Scilicet:

1. Quando venditor fraudulenter agit.

1. ***Fraudulenter agit venditor,*** si vitia rei malitiose occultet, aut res ab emptoribus jam perlustratas cum aliis deterioris qualitatis permutet; vel si subornet fictos licitantes, ad pretium rei augendum. Nec venditor potest se ipsum aut alium per modum mandatarii inter emptores collocare, quia repugnat, ut una eademque persona venditorem et emptorem simul agat. Excipe tamen, si bona in gratiam creditorum vendantur; in tali enim casu creditores potius locum venditoris tenent, quam ille, cujus bona venduntur.

2. Quando emptor fraudulenter agit.

2. ***Fraudulenter agit emptor,*** si dolo aut minis alios impediat, ne licitent aut plus offerant. Non autem peccat emptor, qui alios tantum rogat, ne licitent aut majus pretium offerant, modo preces non sint importunae, ut communissime tradunt. Non vero licet pactum inire cum aliis, ne licitando pretium augeant, saltem in subhastatione coacta, quia tali modo venditor impeditur a consequendo pretio majori, ad quod jus habet. Ita s. Alphonsus. — Excipiunt tamen plures: si emptores sint societate conjuncti vel quasiconjuncti, uti fratres, amici etc., quia faciunt quasi unam personam moralem, nec exigi potest, ut adversum se licitent, porro: si consuetudo alicubi vigeat, vi cujus venditor coepta licitatione rem suam retrahere, aut pro se ipso licitare valeat.

3. Quando praeco fraudulenter agit.

3. Denique ***praeco*** etiam bona fide procedere omniaque cavere debet, quae in venditoris aut emptorum detrimentum cedere possunt.

V. Monopolium.

V. ***Monopolium*** *idem est ac venditio unius, et definiri potest: potestas vendendi res penes unum aut paucos tantum existens.* Distinguitur duplex monopolium:

1. Monopolium publicum.

1. ***Monopolium publicum,*** seu legale, quod scilicet princeps ratione boni publici sibi reservat, aut per modum privilegii aliis concessit; ut e. g. privilegium vendendi tabacum, aut sal, ut tributum reipublicae necessarium inde augeatur. Hoc monopolium licitum est, modo civilis societas pretio manifeste excedenti non gravetur.

2. Monopolium privatum.

2. ***Monopolium privatum,*** id dicitur, quod machinatione unius aut plurium mercatorum exercetur; uti: si quis impediat aliorum mercium importationem, ut ipse solus vendat suas; vel si tempore opportuno, e. g. messis, unus vel pauci omnes, vel quasi omnes merces emant, ut deinde revendant quanti plurimi; vel si venditores conspirent inter se de pretio, ut non minoris vendant. Monopolium privatum generatim reprobari debet, quia fraude et machinatione induci solet. In specie haec sunt observanda:

a) Merces cujusdam generis coemere, et postea in aliarum penuria eas vendere supra pretium summum, quod existeret, nisi talis facta esset coemptio, contra justitiam est; si vero res ita

coemptae summo quidem pretio, attamen non supra illud vendantur, non quidem justitia, attamen caritas violatur, quando scilicet pauperibus creatur notabile detrimentum ex eo, quod res victui necessarias summo pretio emere debeant, quas alioquin pretio medio vel infimo empturi fuissent.

b) Item mercatores injustitiam committunt, si pretium majus, quantumvis pretium summum non excedat, per fraudem aut mendacia obtinuerint, e. g. si falsam notitiam dispergant, navem, certi generis merces adducentem, infelici casu esse submersam.

c) Non peccant vero mercatores contra justitiam, qui inter se conveniunt, ne merces suas vendant, nisi summo, sed justo adhuc pretio; similiter non peccant contra justitiam, qui tempore messis aut vindemiae omne triticum aut vinum pretio vili tunc currente coemunt, ut carius postea vendant, modo pretium summum, quod secluso monopolio haberetur, non excedant.

d) Quae de venditorum conspiratione dicta sunt, valent etiam de conventione emptorum, qui conspirant in pretium infra infimum, quod est contra justitiam, vel in pretium infimum tantum, quod est contra caritatem. — Idem quoque dicendum est communiter de *opificibus,* qui mutua conventione sibi promittunt, se tale opus non facturos, aut non perfecturos, nisi tale pretium accipiant; sicut etiam de *heris,* qui opifices ad operandum minori pretio ex mutua machinatione conducunt. Frequenter ex istiusmodi conventionibus enascuntur perturbationes (Strike) societati valde perniciosae et exitiosae. Quamvis enim haec omnia non sint monopolia stricte dicta, de iis tamen ex iisdem principiis judicandum est.

VI. Locatio. *VI.* ***Locatio seu conductio.*** C. A. §. 1090.—1174. *Hic contractus in eo consistit, ut pro certo rei non fungibilis usu, vel pro certa opera praestanda, determinatum pretium promittatur* (Bestandvertrag). Qui rem tradit in usum alterius, dicitur *locator,* qui vero pretium spondet, *locatarius* seu *conductor* nuncupatur. Codex Austriacus distinguit, utrum *res* vel *opera* pro certo pretio locentur (Bestand- und Lohnvertrag); et quantum ad res subdistinguit, utrum conductor iisdem sine ulteriore cultu uti, an vero nonnisi labore et industria fructus inde percipere possit (Mieth- und Pachtvertrag). Insuper C. A. huc refert sequentes species dominii divisi, utpote quae ex contractu locationis originem ducunt: ***locationem haereditariam*** (Erbzins), ***Emphyteusin*** (Erbpacht) et ***solarium*** (Bodenzins).

VII. Societas. *VII.* ***Societas*** C. A. §. 1175.—1216. *Est contractus, quo duo aut plures bona sua vel operam suam ad lucrum commune obtinendum conferunt.* Hic contractus, si de lucro honesto secundum aequitatem inter socios dividendo agatur, absque dubio licitus est; hujusmodi enim societates in usu sunt apud omnes gentes, nec

---

[1]) C. Gall. 1708 sqq. et 1800 sqq., Ital. 1568 sqq. et 1647., Boruss. I. 21. §. 258 sqq.

auctoritas civilis nec auctoritas ecclesiastica eas unquam reprobavit. Imo ejusmodi contractus ad bonum publicum valde utiles esse possunt, si contrahentes socii stipulatis obligationibus non desint.[1])

VIII. Census.

VIII. ***Census:*** *Hoc nomine jus intelligitur, ex re vel persona annuam pensionem percipiendi.*

Distinguunt: *censum reservativum,* dum quis rem suam alteri penitus alienat, reservata sibi ex ea annua pensione; et *censum consignativum*, si quis pro certa pecuniae summa alteri *jus consignat,* ex re vel persona sua, i. e. ex industria vel bona sua sorte in singulos annos quosdam reditus percipiendi. Hic census consignativus vel *realis* est, vel *personalis; realis* est, si pensio annua in re frugifera constituatur, ac proinde ex ea sit solvenda, e. g. ex vinea; *personalis* est, si fundetur in aliqua persona, quae sese obligavit ad annuam pensionem ex arte vel industria sua praestandam.

Porro census *redimibilis* et *irredimibilis, perpetuus, temporaneus* et *vitalitius* distinguitur, prout redimi potest vel non, et prout in perpetuum, vel ad certum tempus, vel ad dies vitae constituitur.[2])

Ad liceitatem census generatim eaedem conditiones, ac in emptione et venditione requiruntur.

IX. Cambium.

IX. ***Cambium:*** *est permutatio pecuniae pro pecunia, cum aliquo campsoris lucro.* Doctrina de cambio tantae amplitudinis est, ut in peculiarem disciplinam juridicam (jus cambiale) increverit. — Distinguitur: *cambium verum* (reale), et *fictum* (siccum). *Cambium verum* est illud, quo vere et realiter pecunia pro pecunia permutatur; et dicitur cambium *manuale*, si pecunia praesens pro praesenti, cambium *locale*, si pecunia praesens pro distanti commutetur, quod hodie maxime per *literas cambiales* fieri solet. — Cambium verum, tum manuale tum locale de jure naturae licitum est, quia labor campsoris est pretio aestimabilis.

Cambium *fictum seu siccum* vero nihil aliud est, quam usura palliata, nam datur pecunia tamquam in loco distanti recipienda, et ideo exigitur pretium pro translatione, cum tamen in hoc ipso loco recipiatur, quo fuit data. Hoc Pius V. prohibuit uti usurarium. — Cfr. Allgemeine Wechselordnung, 25. Jan. 1850.

X. Sponsio.

X. ***Sponsio.*** C. A. §. 1267.—1271. *Est contractus, quo duo vel plures de re aliqua certantes sibi invicem aliquid spondent, ut ejus sit, qui vicerit.* Hic contractus licitus est, si serventur debitae conditiones, quae sunt:

a) Ut absit fraus et dolus, atque res, circa quam sponsio versatur, ab utraque parte in eodem sensu intelligatur.

b) Ut eventus utrique parti sit incertus. Unde, qui de eventu certus est, spondere non potest, nisi alter de certitudine admonitus praesumptuose spondere velit; imo juxta s. Alphonsum

---

[1]) Cod. Gall. 1832 sqq., Ital. 1697 sqq., Boruss. I. 17. §. 169 sqq., Angl. II. 572 sqq. [2]) Cod. Gall. 1909 sqq., Ital. 1778 sqq., Boruss. lege 2. Mart. 1850, I. 11. §. 646.

probabilior videtur sententia, ne in tali quidem casu sponsionem valere.

c) *Ut sponsio non sit de re mala* vel inductiva ad malum, e. g. si quis spondeat, se aliquod peccatum commissurum, vel se vinum in maxima quantitate potaturum.

d) *Ut sponsio fiat cum certo moderamine*, ita scil., ut quantitas praemii non excedat facultatem seu vires spondentis.

Juxta leges Austriacas, si *pars vincens* veritatem clam compertam habuit, seque incertum simulavit, sponsio est *nulla;* si vero *parti victae* eventus praevie cognitus fuerat, haec pretium donasse censetur. — Praeterea sponsiones ceteroquin licitae et *legitimae* in foro externo tum solum obligant, ubi pretium non solum promissum, sed reapse praestitum vel depositum fuit, alias actio forensis negatur, i. e. pretium solum promissum, etiam scripto, in judicio peti non potest. Hoc idem de ludo valet. C. A. §. 1271., 1272.[1])

XI. Ludus.

XI. **Ludus.** C. A. §. 1272. *Est contractus, quo ludentes inter se conveniunt de certo pretio victori solvendo.*

Ut vero ludus sit contractus justus, sequentes conditiones requiruntur:

1. Ut, quae ludo exponuntur, sint propria ludentium et in eorum dominio et libera disponendi facultate. Hinc quando alter ludentium non potest rem depositam alienare, ut e. g. Religiosus invito Praelato, vel minor, tunc is neque ludo quidquam acquirere, neque perdere potest, unde, si lucretur, tenetur ad restitutionem, sicut et ille, qui ab eo lucratus est.

2. *Ut ludentes libere in ludum consentiant*, ut ergo nemo metu injusto, vi vel fraude cogatur. Unde si quis ex ludentibus ita ebrius sit, ut plenum consensum praestare nequeat, contractus est invalidus, et restituendum est lucrum. Coactio vero ad ludendum per metum injustum, vim vel fraudem, contractum rescindibilem reddit ex parte ejus, qui metum passus est, ita ut etiam post ludum, si in eo perdiderit, solvere non teneatur, et pecuniam solutam juste repetere possit. Ille vero, qui ad ludum coactus est, si quid lucretur, nihil restituere tenetur, quia ex sua parte nulla intercessit injuria.

3. Ut desint fraudes ac dolosae artes regulis hujus vel illius ludi adversantes. Lusor, qui injustis fraudibus utitur, e. g. signando aut suffurando chartas, constituendo aliquem, a quo admoneatur etc., tenetur non solum lucrum restituere, sed etiam tantum, quantum alterius valebat spes lucrandi. Licitum tamen est, uti astutiis, quas regulae lusus et consuetudo ferunt, ut aspicere chartas, quas alter non bene abscondit, aut distinguere chartas ex aliquo casuali signo, aut simulare metum, ut alter audacior fiat etc.

4. Ut inter colludentes sit moralis aequalitas quoad spem lucrandi et quoad periculum perdendi. Hinc qui omnino certus est, se esse victurum propter cognitam colludentis imperitiam, nec

---

[1]) C. Gall. 1964., Ital. 1802., Angl. II. n. 662.

ludere licite potest cum eo, nec retinere lucrum ex tali ludo obtentum. Ille vero, qui sciens et volens cum multo peritiore ludit, de injuria conqueri nequit, cum damnum, quod patitur, ipse sibi intulerit.

Dispositiones legis quoad ludos.

Ceterum quoad ludum etiam ad jus positivum est reflectendum, cujus variae sunt dispositiones; scilicet:

a) Nonnulli ludi positive *probantur*, e. g. qui ad corporis exercitationem ordinantur; quoad eos lex victori concedit actionem, ut lucrum petere possit. Judices tamen recusare possunt actionem, si de praemio nimii valoris agatur.

b) Alii ludi nec *probantur*, nec *prohibentur*, et lex nullam concedit actionem, sive victori ad lucrum petendum, sive victo ad repetendum, quod jam solvit; nisi fraus vel dolus ex parte victoris intercesserit. Standum est igitur obligationi naturali.

c) Alii ludi *prohibentur*, quin tamen ipso facto irritentur; lex *victori* nullam actionem concedit; econtra concedit *victo* actionem ad repetendum praemium jam solutum. Ex communi et probabiliori sententia, victus in tali ludo non tenetur solvere victori praemium; si autem solverit, potest tuta conscientia jure suo uti ad illud repetendum. – Si ludentes a principio legis beneficio renuntiaverint, non valet renuntiatio, utpote bono communi contraria.

d) Alii ludi denique *prohibentur* et omnino *irritantur*, ita ut lucrum titulo victoriae retineri nequeat, sed tantum titulo donationis gratuitae, si eam facere victo placuerit. Ita s. Alphonsus.[1])

XII. Lotteria.

XII. **Lotteria.** C. A. §. 1273. et 1274. *Est contractus, quo, soluto certo pretio, participatio conceditur in sortione certarum rerum aut certae pecuniae summae,* quo fit, ut aliqui plus quam solverint, recepturi sint, alii minus, alii nihil. — Est contractus in se licitus, cum sit emptio rei incertae. Ut vero lotteria licita et justa sit, requiritur:

1. Ut absit omnis fraus in schedulis educendis, necnon in solvendo praemio, quod obtigerit.

2. Ut dominus lotteriae in lucro non excedat, nec plus moraliter lucretur, quam si alio contractu licito pecuniam suam impenderet. Attamen majus potest esse lucrum, si in bonum opus, vel publicam utilitatem instituta sit lotteria; nam participantes censentur in hoc consentire. Ita communiter.

Peccant tamen graviter, qui huic ludo sortium adeo sese addicunt, ut, bonis suis expositis, impotentes reddantur ad familiam statui convenienter sustentandam.

XIII. Emptio rei speratae.

XIII. **Emptio rei speratae.** C. A. §. 1275. et 1276. *Est contractus, quo quis pro pretio determinato emit per aversionem (in Pausch und Bogen) rei emolumenta futura aut sperata*, e. g. si quis tempore verno ita emat poma, quae ex arbore sperantur. Emptor spei, licet haec illum omnino fallat, periculum subit, at

---

[1]) Cfr. C. Gall. 1965 sqq., Ital. 1802., Boruss. I. 11. §. 577.

ipsi cedunt etiam omnia ordinaria emolumenta ex eadem re provenientia.

XIV. Assecuratio.

XIV. **Assecuratio.** C. A. §. 1288.—1292. *Est contractus, quo quis pro certo pretio rei periculum in se suscipit, eamque, si pessumdetur vel pereat, compensaturum promittit.* Hic contractus justus et licitus est, si hae serventur conditiones, scil.:

a) Ut pretium sit periculo proportionatum.

b) Ut periculum sit verum et utrique parti aequaliter notum.

c) Ut assecuratus servet omnes contractus conditiones, qualis esse solet, e. g. ut intra terminum statutum pretium solvat.

d) Ut ex neutra parte fraus et dolus committatur; sic e. g. ille, cujus res assecurata non *casu fortuito aliquo* perit, e. g. domus, sed quam ipse voluntarie destruit, e. g. domum incendendo, pretium minime potest accipere et retinere.

Ceterum assecurationes diversi generis sunt, uti e. g. contra naufragium, contra incendium, contra grandinem, contra mortem etc.

Ultimo notandum, quod jura tam realia, quam personalia pariformiter **firmari, immutari** ac **cessare** possunt.

1. Firmatio jurium.

1. **Firmatio jurium** (C. A. §. 1342.—1374.) fit per *fidejussionem* et *oppignorationem. Fidejussio* est contractus, quo quis obligationem alterius pro eventu, ut debitor principalis illam non adimpleat, in se suscipit. Quisquis liberam facultatem de rebus suis disponendi habet, etiam fidejubere potest. — *Oppignoratio* est contractus, quo nempe vel debitor, vel ejusdem loco tertius aliquis creditori in cautionem debiti pignus aliquod constituit.

2. Immutatio jurium.

2. **Immutatio jurium.** C. A. §. 1375.—1410. Immutationes quoad jura vel immediate haec ipsa respiciunt, vel personas concernunt, inter quas subsistunt. Jus indubium et firmum immutatur per *novationem*, e. g. si pecunia apud aliquem deposita in mutuum ipsi concedatur; — jus vero dubium aut controversum per *transactionem*, dum nempe utraque pars aliquatenus juri suo renuntiat, et in amicam rei compositionem consentit. — Interdum non jus, sed persona dumtaxat, sive creditoris sive debitoris mutatur. Ubi scil. novus creditor succedit, *cessio* vocatur; ubi autem alius debitor substituitur, *assignatio* dicitur.

3. Cessio jurium.

3. **Cessio jurium.** C. A. §. 1411.—1502. Jura et obligationes diversimode cessari possunt, et quidem:

a) Solutione, ea scil. praestando, quae praestari debent.

b) Compensatione, scil. si et quatenus ex utraque parte debita sibi occurrunt, quae similiter certa, determinata utriusque jam persolvenda et ejusdem prorsus speciei sunt.

c) Renuntiatione, si nempe exactor in commodum debitoris juri suo legitimo modo renuntiat, sive gratuito, sive onerose.

d) Unione debiti et juris in eadem persona, dum e. g. debitor haeres fit exactoris.

e) Praescriptione, de qua jam alio loco diximus.[1])

---

[1]) Cfr. s. Alph. L. III. Müller II. §. 115 sqq. Lehmkuhl I. n. 1109 sqq. Marc II. n. 1117 sqq. Staller II. tr. 8. §. 31 sqq. Delama n. 223 sqq.

§. 67. Laesio juris alieni in bonis externis seu fortunae.

Laesio juris alieni, uti jam antea dictum est, fit per injuriam, tum materialem, tum formalem. Quoad bona externa seu fortunae proximi haec laesio duobus praecipue modis fit, aut sola damnificatione, aut injusta rei ablatione. Specie morali per se non differt unus modus ab altero, *diversae* tamen injuriae *personales* accedere possunt. Quae si non accedant, tota malitia realis in ipsa *bonorum alienorum laesione* consistit. Consequitur, ut, quae de rei alienae ablatione ejusque gravitate dicturi sumus, etiam de mera damnificatione valere debeant.

In specie sequentes modi, quibus bona fortunae aliorum damno affici possunt, profligandi sunt:

I. Fraus.

1. ***Fraus:*** *est violatio boni alieni ementito quocunque honestatis titulo obvelata, ita, ut dominus in illam consentire videatur.* Fraus ergo adest, si quis alium diversis fallaciis circumvenire, atque taliter deceptum ad consensum pellicere studet, vel saltem ipsius erronea persuasione ad ejusdem bona sibi usurpanda nefarie abutitur. Hujusmodi sunt: mendaces promissiones relationesque, falsificatio mercium, studiosa occultatio defectuum, quibus illae laborant; et millenae artes, in quibus excogitandis humanum ingenium nunquam non feracissimum fuit.

Fraus est peccatum vel grave, vel leve, pro ratione damni sive intenti, sive illati.

II. Furtum.

II. ***Furtum:*** *„Est occulta ablatio rei alienae domino rationabiliter invito."* Dicitur: *„ablatio"*, ut distinguatur a damnificatione, e. g. incensione domus; sub ablatione quoque venit injusta retentio rei alienae, uti s. Thomas dicit. Ablatio, uti per se patet, fieri debet cum animo rem ablatam ut suam habendi. Unde non facit furtum, qui rem surripit per jocum, vel ob bonum aut commodum domini, e. g. vinum, ne inebrietur, librum haereticum, ne legat. Porro dicitur *„occulta"*, quia, si res aliena aperte auferatur cum vi domino facta, *rapina* committitur. Denique dicitur: *„domino rationabiliter invito"*, nam si dominus praesumatur consentire, aut si non possit vi juris dissentire, e. g. si res auferatur titulo necessitatis vel compensationis, ablatio ejusdem rei non est furtum.

Distinctio furti: Furtum simplex et qualificatum.

Distinguitur furtum simplex, cui convenit definitio; et *furtum qualificatum,* si nempe ad hoc delictum aliae adhuc circumstantiae notabiliter aggravantes, vel omnino speciem mutantes accedant. Furta specifice distincta sunt: *rapina,* si nempe simul vis vel metus injustus domino infertur (de qua infra) et *sacrilegium,* i. e. injusta rei sacrae ablatio, quae proinde tum religionem violat, tum justitiam commutativam.

In jure Romano furtum appellatur: *peculatus*, si auferatur pecunia aut res pertinens ad fiscum; — *plagium,* si surripiatur domino mancipium; — *abigeatus,* si subtrahantur pecora ex pascuis vel ex armentis; — quae omnia tamen, excepto probabiliter plagio, non differunt specie a simplici furto.

In novis legibus generatim furtum habetur ut *qualificatum* et ideo gravius puniendum: ratione *valoris*, si excedat 500 francos, in Austria supra 25 floren.; ratione *personae*, si fur sit famulus, hospes, caupo, vel juvetur ab aliis; ratione *temporis*, si commissum sit noctu in habitatione; ratione *loci*, si fiat in ecclesia, vel in via publica; ratione *mediorum*, si adhibeantur arma, claves adulterinae etc.[1])

Ad furtum referenda sunt etiam omnia genera fraudationis, quae committuntur in bonis temporalibus proximi.[2])

Gravitas furti. *Furtum est ex genere suo peccatum grave.* Constat ex verbis Apostoli: „Neque fures . . . neque rapaces regnum Dei possidebunt.“[3]) Ratio est, quia furto laeditur justitia commutativa, quae per se obligat sub gravi; accedit, quod, si passim homines sibi invicem furarentur, periret humana societas, uti observat s. Thomas.[4])

Per accidens tamen furtum veniale peccatum esse potest, vel *ex parvitate materiae,* vel *ex imperfectione actus.*

Quaenam autem quantitas sufficiat ad constituendum peccatum mortale furti, tot propemodum sunt sententiae, quot capita. Ratio hujus diversitatis est, quia malitia et gravitas furti provenit ex damno, quod proximo injuste infertur; non autem omnes patiuntur aequale damnum ex jactura ejusdem quantitatis ac rei; siquidem majus censetur damnum ex re ablata tempore annonae, minus tempore abundantiae, majus, si auferatur pauperi, minus, si diviti: majus, si auferatur pecunia in loco, ubi modica reperitur, sicque exigua pecuniae quantitate potest vita sustentari; minus, ubi argentum est in abundantia etc.

Generatim materia gravis furti adesse censetur, si res ablata sit tanti valoris, ut ad quotidianam sustentationem, ordinarias expensas pro victu, vestitu et habitatione complectentem, pro viro honesto mediocris conditionis justa temporum ratione habita sufficere videatur. Ex quo patet, quod quantitas furti ad peccatum mortale sufficiens non potest una certa absolute taxari, sed ea prudentum arbitrio *relative* definienda est, non solum ex quantitate rei ablatae, sed etiam ex circumstantiis personae, per furtum laesae, temporis, locorum et hujusmodi. Haec sententia est communior Doctorum, et patet ex modo dictis; quia, quod respectu unius censetur notabile, respectu alterius non censetur tale; sed potius modicum et parvi momenti; similiter quod tempore annonae est quid magnum, tempore ubertatis censetur parvum etc. Hinc bene considerandae sunt prudenti judicio omnes circumstantiae.

Verumtamen determinanda est etiam aliqua materia *absolute gravis*, i. e. materia, quae nunquam sine culpa gravi, ne ipsis quidem ditissimis, surripi possit; secus enim furum cupiditas nimis excresceret, et ipsa societas pateretur certe grave damnum.

Regulae: *Quocirca juxta probatos auctores statuuntur sequentes regulae:*

---

[1]) Cfr. Cod. criminal. Austriac. §. 171.—204. [2]) Cfr. Catechis. Rom. P. III. cap. 8. q. 9. [3]) I. Cor. VI. 10. [4]) 2. 2. q. 66. a. 6.

1 Materia relative gravis.

1. *Materia relative gravis censetur:* pro vere pauperibus 50 kr., vel 1 Mark, vel 1 franc.; pro ordinariis operariis, ex diurno labore victitantibus, circiter 1 floren., vel 2 Mk., vel 2—3 franc.; pro hominibus fortunae mediocriter bonae (quod etiam valet, si conditio domini laesi ignoratur) 1—2 floren., vel 3—4 Mk., vel 4—5 franc.; pro divitibus hominibus 3—4 floren., vel 6—8 Mk., vel 7—8 franc., pro ditissimis vero circiter 5—6 floren., vel 15 Mk., vel 20 franc., vel 5 Dollar; idem dicendum videtur respectu communitatis valde opulentae. In iis autem regionibus, ubi pecuniae valor minor est, ut in Anglia, etiam major summa ad gravitatem furti requiritur. Ita juxta theologos. Sed notandum est, quod limites praefixi pro materia relative gravi non mathematice, sed moraliter sumi debent; si gravitas materiae erui nequeat, res divino judicio est relinquenda, uti per se patet.

2 Materia absolute gravis.

2. *Materia absolute gravis* est illa, quae per se et independenter a damno, quod patitur dominus, reputatur communiter, habere notabilem utilitatem vel valorem. Unde dicunt, materiam absolute gravem esse summam 5—6 floren., vel 15 Mk., vel 20—25 franc., 5 Dollar.

3. Furtum rei sacrae.

3. *Si res furto ablata sit sacra,* sed quoad speciem physicam pretio temporali aestimabilis, e. g. calix argenteus, gravitas furti dimetienda est sicut in re profana; quodsi vero res sacra nullo pretio temporali aestimabilis sit, uti e. g. Sanctorum Reliquiae, consideranda est ejus dignitas et raritas, vel Ecclesiae specialis prohibitio; unde juxta Sanchez et alios mortale foret furari minimam particulam s. Crucis.[1])

4. In quibusdam furtis quantitas major ad gravitatem requiritur.

4. *In quibusdam furtis ad gravem materiam quantitas major, quam in aliis requiritur.* Id valet:

a) Quoad furta uxorum et filiorum.

a) Quoad furta uxorum et filiorum; quia paterfamilias est minus invitus, vel saltem minus rationabiliter invitus quoad hujusmodi furta, et saepe invitus est magis quoad modum, quod scil. res clam surripiatur, quam quoad rem ipsam, ut ait s. Alphons.

Sunt, qui probabilius putant, requiri *summam duplo majorem,* quam in aliis, quae tamen regula juxta varietatem personarum vel circumstantiarum moderanda est.

b) Quoad furta minuta.

b) Quoad furta minuta, ut infra fusius dicetur.

c) Quoad res valde expositas.

c) Quoad res valde expositas, prouti e. g. sunt fructus juxta vias et ligna in silvis. Unde dicunt, viatorem omnino non peccare, si uvam aliquam aut unum alterumve pomum ad comedendum decerpserit. Quae tamen sententia cum grano salis adhibenda est, quia alias gravia damna facile exoriri possunt.

d) Quoad furta famulorum.

d) Quoad furta famulorum famularumque dicunt, haec, si fiant in esculentis, quae non solent caute servari, nunquam devenire ad culpam gravem, modo ejusmodi res non vendantur, aut in magna quantitate accipiantur; quia domini magis inviti esse solent quoad modum accipiendi, quam quoad rem ipsam acceptam. Quoad pecuniam vero aut res sedulo custoditas, non requiritur major quantitas ad peccatum grave, quia tunc

[1]) Cfr. Zeitschrift für kathol. Theologie, Innsbruck 1884, pag. 785 sqq.

domini non sunt minus inviti erga ipsos, quam erga alios; imo hujusmodi furta severius lege civili puniuntur, quia famuli abutuntur dominorum confidentia.

5. Furtum in materia levi grave fit:

5. *Potest tamen furtum in materia levi grave peccatum fieri, et quidem tribus modis:*

a) Per intentionem perveniendi ad materiam gravem.

a) *Per intentionem perveniendi ad materiam gravem, posito quocunque intervallo.* Ratio est, quia actus externus desumit suam malitiam ab actu interno; hinc cum actus internus furantis sit graviter malus, et singula furtula, quae perpetrantur, sunt gravia peccata; quidquid enim fit ex intentione mortalis peccati, est mortale peccatum. Hinc si fur, intendens pervenire per furtula minuta ad summam gravem, renovet formaliter intentionem, quoties furatur, toties graviter peccat. Si tamen intentionem non renovet, probabilius in singulis furtulis non committit novum peccatum, sed prius commissum continuatur. Similiter graviter peccant mercatores in singulis defraudationibus, etiam levibus, qui injustis ponderibus vel mensuris ditescere intendunt.

b) Per conspirationem.

b) *Per conspirationem*, vi cujus plures mutuo consilio et consensu simul, vel successive furta parva committunt, quae simul sumpta gravem materiam constituunt. Ratio est, quia singuli cooperantur moraliter ad totum damnum. — Secus dicendum, si singuli independenter ab invicem agant, sive ignoraverint, sive cognoverint damnum aliorum illatum; quia tunc nullus eorum est causa damni gravis. Ita s. Alphons. — Quodsi plures seorsim res parvas furentur cum domini gravi damno, ita, ut alter alterius exemplo moveatur, tunc quilibet graviter quidem peccat contra caritatem, ratione scandali, quod sibi invicem praebent, sed non contra justitiam, quia exemplum non est causa positive influens in damnum alienum. Ita s. Thom. et Alphons.

c) Per multiplicationem.

c) *Per multiplicationem*, si furta minuta ad summam gravem pervenerint, *modo inter ipsa non ponatur magnum intervallum.* Tunc enim, licet fur venialiter peccaverit in singulis furtulis, tamen, cum ad materiam gravem sine magno intervallo pervenit, graviter peccat, si surrepta retineat.

Et hoc quidem certum est, si agatur de furtis in eandem personam commissis, quia per furtula repetita et moraliter unita, eidem personae grave damnum infertur. Constat etiam ex propositione n. 38. ab Innocentio XI. damnata: „Non tenetur quis sub poena peccati mortalis restituere, quod ablatum est per pauca furta, quantumcunque sit magna summa totalis."

Idem valet etiam, si agatur de furtis in diversas personas commissis, quia tunc, si non individuis, singillatim sumptis, certe tamen communitati grave damnum infertur. Etenim si ejusmodi furta sub gravi non essent prohibita, fures otio dediti furtis levibus absque dispendio salutis aeternae ditescere valerent, quod in gravissimum communitatis damnum vergeret, quodque ne fiat, singuli ex communitate sunt et debent esse

graviter inviti. Ergo etiam haec furta sub gravi jure naturali debent esse prohibita.

Unde sartores et ipsorum famuli graviter peccant contra justitiam commutativam, ubi materiam gravem attingunt, retinendo sibi aut vendendo panni fragmenta, quae supersunt, dominis adhuc utilia, nisi alicubi vigeat consuetudo, ut minus solvatur, et fragmenta sartoribus remaneant; aut nisi constet, dominos opulentos nolle fragmenta sibi restitui, vel de illis non curare. Ita passim Doctores.

Attamen in ejusmodi furtis minutis amplius quidquam requiritur ad materiam gravem; et quidem, si haec furta minuta fiant *eidem personae* diversis vicibus, videtur requiri *duplo plus*, quam sufficeret ad materiam gravem, si simul aut una vice res alicui auferantur. — Si vero furta minuta *in diversas personas* patrentur, requiri videtur *duplo plus quam satis esset ad gravem materiam, relate ad furtum communitati illatum,* quia in hoc casu furta cedunt in damnum communitatis. Unde e. g. dicunt, incolam communitatis non peccare saltem graviter, nec ad restitutionem teneri, si ligna in silvis communitatis iteratis vicibus in parva quantitate caedat, nisi magnam faciat lignorum stragem cum gravi communitatis nocumento. Scavini dicit: „Non peccare videtur, saltem mortaliter, qui sibi comparat unam sarcinam singulis diebus pro usu proprio, vel duas singulis hebdomadibus etiam ad vendendum; quia quod dives accipit ad usum proprium, pauper accipit ad vendendum ut vivat.“[1]) Qui vero iteratis vicibus in silvis privatis ligna caedit, facile mortaliter peccare potest, et ad restitutionem tenetur. Sunt tamen theologi, qui ab omni vel saltem a gravi culpa excusant pauperes, si ligna, quae aliunde sibi comparare non possunt, sicca colligunt, vel etiam vivida parvi momenti succidant ad ignem necessaria, veluti frutices et virgulta, maxime si domini id sciant et taceant. Serio tamen admonendi sunt, ne arbores arborumque ramos ad opera utiles succidant, nec palos vineis detrahant, nec saepes destruant, aut aliud quoddam damnum inferant.

Econtra furta minuta non coalescunt, secluso animo surripiendi vel retinendi quantitatem gravem, si inter illa magnum temporis spatium seu intervallum intercedat; et quidem probabilius tenendum est, intervallum esse magnum, ideoque furtula non amplius coalescere, ultra *spatium duorum mensium,* etiamsi materia quasi ad gravem accederet. Ratio est, quia, posito magno intervallo, furtula ex communi hominum aestimatione non censentur uniri, nec proinde constituunt unum objectum in genere moris.

Insuper notandum, quod etiam retractatio voluntatis impediat, quominus furtula sequentia cum praecedentibus coalescant, si fuerit retractatio efficax, i. e. si de facto priora furtula fuerint restituta,

[1]) Tom. 2. p. 517.

quia semel reparata jam hic et nunc amplius non existunt. — Secus generatim dicendum, si retractatio consistat in sola intentione restituendi, quia talis intentio quodammodo revocari videtur per novum furtum; praeterea in hoc casu reapse retinetur summa notabilis, et nihil obstat, quominus furta in unum coalescant. Excipi tamen potest, si furtum interpositae retractationi subsequens fieret ex aliquo particulari motivo, tunc enim non videtur efficaciter destruere praecedentem restituendi voluntatem. Gury.

6. Quando ablatio rei alienae furtum non est.

6. *Ablatio rei alienae vero rationem furti non habet,* si dominus censeri nequit rationabiliter invitus, id valet, si proximus rem auferat aut ratione **necessitatis,** aut titulo **compensationis.** Unde duae causae a furti crimine excusantes dantur.

Causae excusantes a furto: a) Necessitas.

a) **Necessitas:** quae, uti jam alibi dictum fuit, est vel extrema, vel quasi-extrema seu gravissima, vel gravis, vel communis. Unde haec tenenda sunt principia:

α) *Non licet aliena surripere in gravi, nec a fortiori, in communi necessitate;* ratio est, quia tunc domini sunt rationabiliter inviti, et secus direptionibus facilis aditus pateret. Hinc etiam ab Innocentio XI. haec propositio sub n. 36. damnata est: „Permissum est furari, non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi.“ Excipe cum Viva, si ex adjunctis, e. g. ex pietate domini opulenti, prudenter praesumatur ejus consensus.

β) *Quilibet vero in extrema necessitate constitutus, seu in qua vita ipsa periclitatur, necnon, uti communiter docent, in gravissima seu quasi-extrema necessitate, potest alienum surripere, quantum sufficit ad se a tali necessitate liberandum.* Ita communiter cum s. Thoma.[1] Censetur vero necessitas quasi-extrema seu gravissima, quando quis est in probabili periculo subeundi mortem, e. g. a sicariis inferendam, nisi talem pecuniae summam tradat; aut amittendi membrum aliquod principale, puta oculum; aut incidendi in perpetuam captivitatem, vel in perpetuum morbum. Ratio est, quia in hisce casibus dominus non potest esse rationabiliter invitus.

Et sicuti ad propriam, ita et ad alienam sublevandam necessitatem extremam et gravissimam quisque potest aliena surripere. Ita communiter cum s. Thoma.[2] Ratio est, quia tunc vices gerit indigentis, et ostendit, se diligere proximum sicut seipsum. Imo ad id obligatus esse potest ex caritate, nisi gravia idcirco incommoda subire debeat.

Sed bene notandum, quod in omnibus hisce casibus licet *tantum* de bonis alienis surripere, *quantum sufficit* ad sublevandam necessitatem extremam seu gravissimam. Unde si sufficeret alicui *solus usus rei,* e. g. equi, cessante necessitate rem restituere tenetur; vel si quis extreme indigens *alibi habeat bona in re vel* saltem *in spe probabili,* non potest rem alienam accipere gratis ut suam, sed tantum in mutuum. —

---

[1]) 2. 2. q. 66. a. 7. [2]) 2. 2. q. 66. a. 7. ad 3.

Secus autem, si tempore necessitatis nec in re, nec in spe bona habuit, et rem ablatam consumpsit; in hoc enim casu ad nihil obligatur, etsi postea ad meliorem perveniat conditionem. Ita s. Alphonsus.

b) ***Compensatio occulta:*** *est actus, quo quis illud, quod sibi debetur, accipit inscio debitore.* — Haec occulta compensatio certis sub conditionibus est justa et licita saltem ex jure naturali, quia, qui se occulte compensat, nemini facit injuriam, sed tollit unice, quod suum est; et quia, servatis conditionibus, servatur etiam ordo justitiae legalis et caritatis. b) Compensatio occulta.

Conditiones requisitae vero sunt sequentes: Conditiones requisitae:

α) *Ex parte justitiae*: ut debitum sit *strictum, certum* et *exigibile*, et non solum ex caritate vel ex animo grato descendat; porro: ut compensatio fiat *in re debitoris*, non vero tertii apud ipsum deposita vel ipsi commodata; dein ut *res ipsa debita, vel si hoc fieri nequeat, aequivalens*, et non plus accipiatur; et denique ut *debitor extra periculum bis solvendi ponatur, nec tertius inde damnum patiatur.* Hinc si forte facta occulta compensatione debitor restituat, quod dedit, illi reddendum est. α) Ex parte justitiae.

β) *Ex parte caritatis:* creditor curare debet, ne alii, e. g. domestici exinde furti suspicionem incurrant. Haec autem obligatio ex iis, quae de obligatione caritatis valent, dimetienda est. β) Ex parte caritatis.

γ) *Ex parte ordinis publici juris* requiritur, ut debitum petitione sive privata, sive publica per judicem obtineri non possit. Creditor proinde prius ad judicem recurrere debet; sed hoc omittens tantum venialiter peccat, imo nullo modo peccat, si alias timeantur sumptus extraordinarii, inimicitiae etc., quia tunc recursus ad judicem est moraliter impossibilis. Ita s. Thomas et Alphonsus cum aliis. γ) Ex parte ordinis juris publici.

Ceterum cum haec res periculi et hallucinationis sit plena, et quum jus Austriacum (C. A. §. 19. et 1440.) generatim compensationem occultam non admittat, nec alia incommoda desint, in tribunali poenitentiae compensationem occultam vix unquam consulere, et raro permittere expedit. At vero compensatione jam facta, modo haec justa sit, poenitens ad restitutionem obligari nequit.

Ex dictis colligi potest, quid dicendum sit de famulis, operariis, officialibus gubernii, qui aliquid surripiunt ad compensandam operam suam, quam *salario majorem* esse judicant. Etenim generatim loquendo id non possunt, ut patet ex propositione 37. ab Innocentio XI. damnata: „Famuli et famulae domesticae possunt occulte heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario, quod recipiunt.“ Ratio est, quia agerent contra pactum, quo in pretium minus consenserunt. Corollaria.

Diximus *generatim;* quia (ad infimum usque pretium) compensare sibi potest famulus, operarius, etc.:

α) *Si necessitate compulsus fuerit ad consentiendum in pretium*

notabiliter inaequale. Excipe tamen, si dominus alios pro eodem pretio jam justo invenisset; vel si famulum rogantem ex sola misericordia suscepisset;

β) *si operas augeat ex voluntate domini, sive expressa sive tacita;* quia tunc servanda est regula: quod nempe quivis operarius dignus est mercede sua. Secus vero, si augeat ex electione propria; quia tunc censetur operam suam condonare, ad sibi conciliandam domini gratiam;

γ) *si dominus in compensationem consentire censeatur,* ut e. g. cum aurigis pretio minori conductis contingere potest; cum enim se a plerisque fraudatum iri cognoscat, non est praesumendus, velle honestos aurigas salario debito defraudare, eo quod sibi ab inhonestis caveat. Ita s. Alphonsus.

Quoad filios, qui in domo paterna adlaborant in negotio patris, quin salarium accipiant, dicendum est, quod salva justitia aliquid per modum compensationis subducere possunt pro labore extraordinario et prorsus indebito, quem forsan in negotio patris impendunt. An vero hoc idem liceat, si de ordinario tantum labore eorum statui plane conveniente agatur, controvertitur; alii namque id affirmant, alii negant. Inde s. Alphonsus ita concludit: „Qua in re cum agatur de compensatione, pro qua requiritur jus certum et liquidum, nequit filius eam sibi facere sine patris consensu.“ [1]) Advertit tamen Voit,[2]) quodsi ejusmodi filius assiduus in domo patris subinde aliquid peculii pro honesta recreatione surripiat, non videtur ad restitutionem esse obligandus, eo quod pater prudenter possit praesumi, illam condonare, nec esse solet invitus, nisi quoad modum.[3])

III. Rapina.

III. ***Rapina:*** est nefaria ac violenta rei alienae occupatio, atque domino praesenti et rationabiliter reluctante, vi vel minis patrata. Hinc non solum *res,* sed ipsa quoque *persona* proximi injuste impetitur; quod injuriam non solum plurimum aggravare solet, sed simul malitiam specie morali a furto distinctam habet; uti e. g. latrocinium, effractio aedis domino resistente etc.[4])

IV. Retentio mercedis operariorum.

IV. ***Retentio mercedis promeritae operariorum, vel ejusdem imminutio.*** Divinae literae hanc defraudationem peccatis in coelum clamantibus adnumerant.

V. Oppressio pauperum etc.

V. ***Oppressio pauperum, viduarum et orphanorum, aliarumque personarum miserabilium.*** Hujus criminis se reos faciunt, qui, dum pauperes aliive magna calamitate premuntur, ex hac ipsa eorundem necessitate et miseria inhumanum quaestum captare, atque ab iis ultimas adhuc fortunarum reliquias extorquere student; — actio, quae itidem ad coelum clamat.

VI. Usura.

VI. ***Usura:*** *In sensu latiori usura* dicitur omne lucrum perceptum ex mutuo vel ejus occasione, sive cum legitimo, sive absque legitimo titulo. Lucrum cum titulo legitimo appellatur etiam *„auctarium“*, *„foenus“*, et vulgari vocabulo: *„interesse“*. Res autem,

---

[1]) H. Apost. tr. 10. n. 228. [2]) Tom. 1. n. 806. [3]) Cfr. etiam Berardi, Prax. n. 349 sqq. et 366. [4]) Cfr. Catechis. Rom. P. III. c. 8. n. 10.—14.

quae mutuo datur, „*sors*" vocatur in scholis, vulgariter: „*capitale*" dicitur.

Usura autem in sensu strictiori, et prouti hic sumitur, *est lucrum immediate proveniens ex mutuo, vel vi praecise mutui.*

Distinctio usurae.

Distinguitur: *usura realis*, quae pacto exprimitur; *mentalis*, quae animo intenditur absque expressa stipulatione; *palliata* seu *implicita*, quando lucrum injustum non immediate ex mutuo, quod est usura *aperta*, sed mediate sub specie alterius cujusdam tituli extorquetur e. g. emptionis, locationis. Ex communi hominum sensu in *solo mutuo* usura *proprie* habet sedem; at *improprie* aliae quoque injustitiae, quibus ceteri contractus hincinde contaminantur, ad usuram referuntur; praesertim contractus emptionis, venditionis, locationis, conductionis et pignoris, sordidam non raro usuram redolent.

Principia:

His praemissis sequentia statuimus principia:

1. Usura percepta vi mutui in re primo usu consumptibili, est omnino illicita.

1. *Usura percepta vi mutui in re primo usu consumptibili est omnino illicita*, utpote ab omni jure, naturali scilicet, divino et ecclesiastico prohibita. „Haec," ait Benedictus XIV.,[1]) „perpetua fuit et est catholicae Ecclesiae doctrina, omnium Conciliorum, Patrum et Theologorum unanimi consensu confirmata." — Imo, ne licet quidem mutuum dare *ob spem lucri*, cum Evangelium dicat: „Mutuum date, nihil inde sperantes."[2]) Id autem intelligitur, si mutuum datur principaliter ob lucri spem (licet sperati ex mera benevolentia), ut esset, si alias sine tali spe mutuum non daretur, ut dicit s. Alphonsus. Et hinc est, cur ab Innocentio XI. damnata fuerit haec propositio n. 42.: „Usura non, est dum ultra sortem exigitur aliquid tamquam ex benevolentia et gratitudine debitum;" ratio damnationis est, quia benevolentia nunquam obligare potest ad praestandum lucrum, cum multis aliis modis exhiberi possit.

2. Usurarii ad restitutionem tenentur.

2. *Usurarii eorumque cooperatores tenentur de usuris exactis ad restitutionem tamquam de re furtiva;* nam contractus usurarius est omni jure nullus. Si tamen mutuatarius daret aliquid *mere gratis*, bene potest a mutuante retineri; item si mutuatarius aliquid ultra sortem dederit, ne ingratus videretur, aut ne mutuum sibi deinceps denegaretur, mutuans potest illud retinere, quia mutuatarius ad praestandum donum non inductus est ab extrinseco cogente, sed ab intrinseca necessitate, vel propria voluntate. Ita s. Alph.

3. Ab usura excusat titulus extrinsecus justus.

3. *Usura vero non est, si quid supra sortem exigatur ob titulum mutuo extrinsecum et justum.* Ratio est, quia tunc lucrum non percipitur vi praecise mutui, sed vi tituli a mutuo diversi, qui ex sese causa justa aliquid supra sortem exigendi supponitur.

Tituli justi:

Suntque tituli ab usura excusantes sequentes:

a) Damnum emergens.

a) *Damnum emergens*, i. e. detrimentum, quod evenit mutuanti occasione mutui proximo praestiti. Damnum emergens ex mutuo dato est legitimus titulus, aliquid supra sortem exigendi et accipiendi, quia aequum non est, ut quis ex beneficio collato damnum ferat. Ita omnes. Requiritur autem: ut mutuum sit causa damni; porro ut nihil praeter damni compensationem

---

[1]) De Synodo Lib. X. cap. 4. n. 2. [2]) Luc. VI. 35. [3]) H. A. X. 145.

exigatur, et ut auctarium seu interesse ab initio in pactum deducatur. Ita s. Alphonsus.

b) Lucrum cessans.

b) Lucrum cessans, est id, quod mutuans servata pecunia vel re lucratus fuisset, si eam in alio licito contractu adhibuisset. Etiam lucrum cessans est titulus justus quid ultra sortem exigendi, tantum scilicet, quantum spes lucrum istud acquirendi valere videtur. Etenim pro damno emergente aliquid exigere licet, ut dictum est, at vero lucrum cessans nihil aliud est, quam damnum, quod in re sperata contingit. Requiruntur tamen in lucro cessante eaedem conditiones, ac in damno emergente.

c) Periculum sortis.

c) Periculum sortis: si nempe quis prudenter timere debeat, ne sors mutuo data vel ex toto, vel ex parte amittatur. Est opinio probabilior et satis communis. Confirmatur ex declaratione S. Congregationis de Propaganda Fide (anno 1645 pro Missionariis Sinensibus), ubi *periculum sortis* inter titulos ab usura excusantes numeratur.[1]) Requiritur autem:

α) Ut periculum sit *extraordinarium,* idque ratione solius mutui; e. g. si mutuatarius sit tenuis fortunae, prodigus etc.; nam ob periculum commune, e. g. incendii, cui supponitur quaevis res sublunaris, nihil exigi potest.

β) Ut non stet per mutuantem, quominus sors assecuretur, e. g. per pignus aut fidejussionem.

d) Poena conventionalis.

d) Poena conventionalis: in eo consistit, quod mutuatarius se obligat ad aliquid supra sortem solvendum, si tempore statuto illam non reddat. Haec poena conventionalis est similiter justus titulus aliquid supra sortem exigendi. Ita communiter; et ratio est, quia licitum est pactum accessorium, quo contractus firmitati consulitur, et avertitur negligentia alterius partis. — Ut vero lucrum ratione hujus tituli sit licitum, requiritur: ut mora debitoris sit notabilis et culpabilis; porro ut absit animus lucrandi per poenam appositam, qui animus praesumitur, si constituatur tempus, quo scitur debitorem solvere non posse; et denique ut poena sit moderata et proportionata culpae. Etiam ex jure Austriaco poena conventionalis moderata esse debet. Cfr. C. A. §. 1336.

An etiam lex civilis justus titulus sit?

Praedicti tituli a Theologis jam ab antiquo admissi sunt. Utrum vero praeter illos alii admittendi sunt, valde disputatur. Quaestio autem est praecipue de *lege civili,* an scilicet lex civilis, permittens interesse ex mutuo, sit justus titulus, etiam in conscientia ab usura excusans, acriter disputatur inter Theologos, cum supremum Ecclesiae judicium decisivum desuper adhuc desideratur.

Declarationes S. Poenitentiariae et S. Officii Congr.

Attamen quoad praxim haec quaestio minoris est momenti, quia Apostolica Sedes jamdudum praxi provide consuluit pluribus Decretis, quae per S. Poenitentiariam et Congreg. S. Officii edidit ab anno 1830—1872, quorum Summa haec est:

---

[1]) Cfr. Bullar. S. C. De Propag. Fid. I. 124., 131.; et Collectanea S. Sedis, pag. 638

α) Non sunt inquietandi fideles, neque cogendi ad restitutionem, neque in foro poenitentiae absolutione sacramentali privandi, qui interesse percipiunt juxta taxam legalem absque ullo alio titulo, quousque S. Sedes definitivam decisionem emiserit, *cui parati sint, se subjicere.* Item:

β) Non sunt inquietandi neque absolutione privandi presbyteri, qui contendunt, legem principis esse titulum sufficientem percipiendi aliquid supra sortem absque alio titulo; nec inquietandi sunt confessarii, qui poenitentes lucrum eodem modo percipientes absolvunt, donec S. Sedes definitivam decisionem emiserit, *cui parati sint se subjicere.*

Hinc secundum praesentem rerum statum, usura vi mutui percepta in sequentibus tantummodo casibus illicita est: Regulae speciales.

α) Si proveniat ex re, primo usu consumptibili, e. g. ex alimentis.

β) Si fiat erga pauperes in casibus, in quibus mutuans ex caritate gratuiter mutuum dare tenetur; quia lex civilis hunc casum comprehendere nequit, vel saltem non censetur comprehendere, quippe quae juris naturalis obligationem, ipsis sine foenore per mutuum succurrendi, perimere nequit.

γ) Si excedat limites justi tituli, vel saltem taxam, per leges civiles statutam, sive aperte, sive per varias fraudum ambages id fiat.

Quod Codex Austriacus quoad interesse ex pecunia mutuata percipiendum statuit, videri potest §. 994.—998. Isti tamen juris termini lege recentiori (14. Junii 1868) sublati sunt. Sed absque dubio etiam nunc interesse istud percipere licet, quod juxta Codicem nostrum hucusque percipi poterat, nec statim de injustitia arguendus est, qui terminos Codicis civilis transgreditur, sic tamen, ut intra limites per consuetudinem constitutos se contineat. Qui vero interesse exigit *supra summum foenoris terminum usu regionis receptum, quin titulum specialem excessui omnino proportionatum habeat, certe usurae injustae reus efficitur.* Ita communiter recentiores Theologi, uti Ballerini, Lehmkuhl, Staller et alii.

Pro coronide notamus, quod hucusque de usura dicta nequaquam valent de sic dictis „*montibus pietatis*“, sub quibus intelliguntur instituta ad id erecta, ut pauperes pecuniam mutuam accipere possint (Kirchliche Leihanstalten), nec de „*montibus frumentariis*“, ex quibus pauperes frumentum mutuum accipiunt; nec tandem de „*arcis parsimoniae*“, quae summulas pecuniae mutuo acceptant, fructuose impendunt, dum interesse moderatum mutuanti solvunt. Haec et similia instituta nihil plane praeseferunt, quod juri divino, vel Sedis Apostolicae Decretis adversetur; imo sunt instituta non solum licita sed et valde laudanda; — modo tamen non degenerant.[1])

---

[1]) Cfr. s. Alph. L. III. Reiffenstuel tr. 10. dist. 5. Müller II. §. 112. et 132 sqq. Marc II. n. 903.—918. et 1103.—1116. Lehmkuhl II. n. 928.—940. et 1090.—1108. Staller II. tr. 7. §. 6.—9. et tr. 8. §. 29. Delama n. 206.—222. et n. 299.—306. Stapf II. §. 312.—316.

§. 68. Reparatio juris laesi, seu restitutio generatim.

Quodsi jus alterius in quibuscunque bonis violatum fuerit, omnino reparari debet et parti laesae restitutio facienda est. Quo gravior est difficultas practica in urgenda restitutione, eo accuratius haec obligatio tractanda et in casibus singularibus consideranda est, ut confessarius incerta a certis secernat, neque graviora onera, quam necessarium est, poenitentibus unquam imponat; nam confessarius aeque scrupulum sibi facere debet, si non obligat ad restitutionem poenitentes, qui restituere tenentur, ac si obliget, qui non tenentur.

I. Notio et obligatio restitutionis. Notio restitutionis.

I. ***Notio et obligatio restitutionis:*** Restitutio est juris alicuius redintegratio, seu uti communiter definiri consuevit: est *actus justitiae commutativae, quo vel res aliena suo domino redditur, vel injusta laesio resarcitur.* Dicitur:

a) „*Actus justitiae commutativae*“, ut indicetur, nonnisi ex titulo justitiae commutativae oriri obligationem restitutionis. Ex neglectis officiis caritatis tantum *compensatio ethica* oritur, quae ad restitutionem juridicam eodem modo se habet, qualis generatim est relatio officiorum juris ad obsequia piae benignitatis. Unde compensatio isthaec minus determinata esse solet, quam restitutio juridica; vi externa cogi non potest, et frequenter cessat, eo, quod etiam titulus debendi cessaverit.

b) „Quo res aliena domino redditur“. Res aliena potest esse vel *inculpabiliter* accepta, ut e. g. res inventa, commodata, bona fide a fure coëmta; vel *culpabiliter*, e. g. furto ablata. Hinc restitutio non semper supponit culpam, sed interdum fieri debet ad praecavendam culpam.

c) „*Injusta laesio resarcitur*“, quo nomine tum injusta damnificatio proximi ratione bonorum et jurium temporalium, tum injusta laesio ipsam personam proximi, ut puta: corpus, famam, honorem etc. concernens intelligitur.

Restitutio mox explicata ergo sequentes species complectitur: *restitutionem in sensu strictiori*, qua res vel ipsa, vel prorsus aequivalens illi, ad quem spectat, redditur; *compensationem*, qua vel damnum alteri injuste illatum, vel etiam lucrum cessans reparatur; et demum *satisfactionem* tum pro injuriis personalibus, tum pro damnis, quae penitus resarciri nequeunt.

Nota: In Codice Austriaco §. 1323. distinguitur: *indemnisatio*, qua solum damnum emergens reparatur; et *plena satisfactio*, qua praeterea tum lucrum cessans alicui refunditur, tum illata injuria aboletur.

Obligatio restitutionis. 1. Restitutio necessaria est.

Obligationem restitutionis quod attinet, haec valent:

1. Restitutio in re, vel saltem in voto, necessaria est necessitate praecepti ad salutem, quoties de materia gravi agitur. Dicitur enim in s. Scriptura: „Si laeserit quisquam agrum vel

vineam, . . . pro damni aestimatione restituet;"[1]) et iterum: „Si autem dixeris impio: morte morieris, et egerit poenitentiam a peccato suo, fecerit judicium et justitiam et pignus restituerit ille impius, rapinamque reddiderit . . ., vita vivet, et non morietur."[2]) Unde s. Augustinus ait: „Non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum, cum restitui potest".[3]) Idem etiam jus naturae dictat, nam eadem ratio, qua aliorum jura revereri jubemur, urget quoque, ut jus alterius laesum resarcire studeamus; etenim jus violatum reparare nolle, idem est, ac injuriam continuare.

Hinc confessarius severe urgeat restitutionem. Huic officio optime quidem consultum esset, si poenitens restituat, antequam ad confessionem accedat; si tamen promittat, se statim restituturum, cum possit, una vel altera vice absolvi poterit; qui vero interato fidem fefellit, item, qui haeredibus suis curam restituendi relinquit, qui debita sua cum creditorum damno culpabiliter persolvere differt etc., absolutionis merito indignus habetur.

Qui restituere absolute nequit, excusatur quidem a restitutione *in re*, quia ad impossibile nemo tenetur; sed non excusatur a restitutione *in voto*, i. e. semper firmum debet habere propositum restituendi, quando poterit; secus enim affectum ad rem malam retineret; ideoque tenetur etiam curare, ut quamprimum possit obligationi suae satisfacere, quia obligatus ad finem etiam ad media obligatur.

Qui totum restituere non valet, ad partem tenetur, si de re divisibili agatur. Qui restitutionem promittere recusat, absolvi non potest, prout nec ille, qui aere alieno gravatus impensas superfluas in mensa, ludo, suppellectili etc. ad satisfaciendum creditoribus resecare detrectat.

2. *Obligatio restitutionis gravis est in materia gravi, levis in materia levi.* Ita omnes. Sed notandum, quod furtula minuta diversis personis facta, si ad materiam gravem perveniant, etiam sub gravi obligationem restituendi involvunt; ratio est, quia per haec furtula graviter est laesa communitas, uti jam alibi diximus, ideoque gravis adest obligatio restituendi ut in ceteris furtis. 2. Restitutio obligat sub gravi vel levi.

Attamen si singulis dominis leve detrimentum seu damnum sit illatum, probabilius fur non peccat graviter, si non restituat ipsis dominis, licet certis, et hoc commode facere possit; etenim praeceptum non furandi intendit vitare damnum proximi, cum autem singuli graviter non fuerint laesi, fur non tenetur gravi obligatione singulis restituere; ideoque fur semper excusabitur a mortali, si pauperibus restituat; et etiam a veniali, si ad hoc aliqua causa rationabilis adsit.

Similiter fur, qui gravem pecuniae summam surripuit, probabilius non tenetur eam integram sub gravi restituere; sed sub gravi tenetur, tantum restituere id, quod materiam gravem complet, quia hoc restituto, materia retenta jam gravis non est. Hinc potest quis sub gravi obligari ad materiam levem restituendam, sed

---

[1]) Exod. XXII. 5. [2]) Ezech. XXXIII. 14. [3]) Ep. 153 ad Maced. n. 20.

tunc obligatio gravis non per se, nempe ex re levi, sed per accidens, scilicet ex cumulo gravi oritur. Ita s. Alphonsus.

Nota pro praxi.

Pro praxi advertendum, quod s. Alphonsus ex sententia communissima sapienter monet: Si poenitens sit in bona fide, et confessarius praevideat, monitionem de facienda restitutione minime esse profuturam, monitio omittatur; si enim, ut s. Doctor ait, confessarius magna prudentia officio suo fungi debet, quomodo prudenter se gerat, si poenitentem monebit praevidens, quod ille animae detrimentum, — in peccatum formale incidendo — sit passurus; et econverso damnum creditoris non sit amovendum? Attamen non facile praesumendum, admonitionem nihil esse profuturam.

Impotens restituere ex bonis ejusdem generis, probabilius non tenetur restituere ex bonis diversi generis, e. g. famam pecunia compensare; nam inter bona diversi generis non datur mensura communis, ergo dari nequit compensatio damni juxta aequalitatem. — Id tamen non impedit, quominus a judice per modum poenae pro injuria circa unum bonum, aliquid praestandum ex bonis alterius generis imponatur. Denique congruum esse dicunt, ut confessarius poenitenti pro poenitentia, vel ex aequitate, aliquid laeso elargiendum praescribat. Ita s. Alphonsus.

Nota quoad moribundos restitutioni obnoxios.

Speciales cautelae a confessario observandae sunt cum ***moribundis restitutioni obnoxiis,*** et quidem praesertim sequentes:

a) Si poenitens videatur in bona fide, nec supersit tempus, eum de sua obligatione prudenter monendi, aut praevideatur monitio non profutura, omissa admonitione, erit absolvendus.

b) Si fructus monitionis speretur, aut poenitens versetur in ignorantia vincibili, fortiter simulque suaviter admonendus erit de restitutionis obligatione, et ad illam statim peragendam adjuvandus.

c) Si vero haec statim fieri nequeat, et obligatio sit ex occulto delicto, erit inducendus aeger ad summam pecuniae viro fideli, vel, si aliter fieri non possit, ipso confessario committendam, ut postea creditori secreto restituatur, vel ad alterutrum legatarium fiduciarium instituendum, omissa in codicillo restitutionis monitione. Quod si non suppetat tempus, nec modus, ait Scavini, testamentum vel codicillum (neque nuncupativum) condendi, curet moribundus, ut per suos haeredes plures celebrentur Missae, pluraque distribuantur successive pauperibus etc., sic intendendo suis obligationibus satisfacere.

d) Si autem obligatio sit ex causa honesta, vel inhonesta quidem, sed publica, et statim fieri nequeat, confessarius curet, ut haeredibus modo valido imponatur facienda, vel schedula debitum comprobans creditori tradatur.

II. Fontes restitutionis.

II ***Fontes seu radices restitutionis:*** *Radix restitutionis remota et generalis est omnis realis laesio justitiae commutativae. Radix autem proxima et specialis triplex* assignatur, scilicet *acceptio et detentio rei alienae, injusta damnificatio,* et *cooperatio,* sive ad acceptionem sive ad damnificationem rei alienae.

Acceptio rei alienae.

1. ***Acceptio et detentio rei alienae:*** Ex re accepta ori-

tur obligatio restituendi, si res aliena reperitur apud aliquem sine justo titulo, quamvis sine culpa ad eum pervenerit. Fundamentale principium, cui in hoc casu restituendi obligatio innititur, est hoc: Solus rei dominus per se habet jus eam possidendi, neque jus dominii amittit, si res in alterius manus pervenerit. Hinc quivis rei possessor eam hero reddere tenetur, etiam possessor bonae fidei, quia hic nonnisi per accidens et ex errore invincibili jus habet, rem possidendi, et nonnisi quamdiu durat hujusmodi error.

Ex hoc principio fundamentali sequentes regulae fluunt, quibus singulae quaestiones circa restitutionem rei alienae emergentes facile solvuntur:

Principia:

a) „*Res clamat ad dominum,*" i. e. dominus potest rem suam a quovis detentore recuperare, ubicunque eam inveniat; ratio patet ex modo dictis.

b) „*Res fructificat domino,*" ratio est, quia usus seu fructio rei necessario in idea dominii perfecti includitur. Fructus ex re aliqua percepti, diversi distinguuntur:

  α) *Fructus naturales*, qui ex ipsa rei substantia natura sua frugifera, sine ulla aut modica hominum opera proveniunt, ut sunt: gramina, fructus arborum, ligna, lac, lana, vitulum etc. — Suntque fructus naturales alii *pendentes,* alii *separati;*

  β) *fructus industriales*, qui sola hominis industria acquiruntur; uti est lucrum, quod percipitur a pecunia negotiationi exposita;

  γ) *fructus mixti,* qui partim a natura, partim ab industria habentur; ut sunt segetes, frumentum, vinum;

  δ) *fructus civiles,* qui proveniunt ex re aliqua vi obligationis in jure civili fundatae, uti sunt: pretium domus locatae, mercedes operariorum, reditus annui.

c) „*Res naturaliter perit domino;*" ratio est, quia dominium, quum sit terminus essentialiter relativus, necessario, praeter subjectum, objectum requirit, quare deficiente dominii objecto, eo ipso evanescit et ipsum dominium. Si tamen illud adhuc in aequivalenti existit, istud *aequivalens* domino competit.

d) „*Nemo ex re alterius locupletari potest,*" seu mensura restitutionis est quantitas rei alienae sine causa detentae; ratio, quia soli domino rei competit, utilitatem ex ea percipere.

e) „*Res non intelligitur, nisi aere alieno deducto;*" i. e. ut verum rei pretium eruatur, expensas ad conservationem rei necessarias deducere oportet.

Attamen hae regulae modificantur tum pro varia regionum legislatione, tum pro diversa conditione possessoris.

2. Injusta damnificatio.

2. ***Injusta damnificatio:*** Injustus damnificator ille dicitur, qui jus alienum laedit, seu injusta actione proximo in bonis suis nocet, quin inde ditior evadat, seu aliquam utilitatem percipiat, ut e. g. si quis alterius domum incendit. Ex hac damnificatione obligatio restitutionis oritur; nam qui alium damnificat, etsi sine proprio suo emolumento, aufert ei aliquid, nempe idipsum, in quo

eum damnificat; unde haec damnificatio per actum justitiae, i. e. per restitutionem ita resarcienda est, ut totum praevisum damnum reparetur.

Conditiones requisitae ad restitut.

Ut vero actio damnificans obligationem restitutionis inducat, triplex requiritur conditio, nempe ut sit ***injusta, damni causa efficax, et theologice culpabilis.***

a) Actio debet esse injusta.

a) Actio debet esse injusta; et quidem non tantum *affective*, sed etiam *effective*, i. e. justitiae commutativae opposita et opere externo completa, seu damnum revera producens. Sola injuria non obligat ad restitutionem, ubi damnum non intercessit, uti saepe monet s. Alphonsus. Similiter non exurgit obligatio restitutionis, quando damnificans jus habet ponendi actionem externam, quae alteri est nociva, e. g. si mercator merces suas infimo pretio vendat, privans alios mercatores emolumentis.

b) Actio debet esse causa efficax damni.

b) Actio debet esse causa efficax damni, seu requiritur, ut damnum ex actione tamquam sua causa vere consequatur; secus enim damnum agenti non posset imputari. Unde e. g. non tenetur ad restitutionem, qui pravo suo exemplo alios ad damnum inferendum induxit, etsi praeviderit pravi exempli efficaciam, quia exemplum non est causa efficax damni, sed *mera occasio seu ansa*, ex se ergo alii damnificatores determinantur ad damnum inferendum.

c) Actio debet esse theologice culpabilis.

c) Actio debet esse theologice culpabilis. Duplex enim culpa distinguitur, *theologica* et *juridica; prior* ea dicitur, quae a Theologis in foro conscientiae spectatur, et verum constituit peccatum formale, sive mortale, sive veniale; — *posterior* est omissio diligentiae, ex qua damnum proximo sequitur, et quam jura imputant. C. A. §. 1294. Haec per se sistere potest, sine culpa theologica.

Nota: Culpa juridica in jure Romano distinguitur in *latam*, *levem* et *levissimam*. In jure Austriaco triplex culpa juridica distinguitur, scil. α) si quis ex proposito damnum injustum infert; β) si quis ex gravi negligentia illud causat; et γ) si quis ex levi inadvertentia et negligentia ex lege vitanda idem inferat. Culpa ex α) et β) ad plenam satisfactionem, culpa vero ex γ) ad solam indemnitatem praestandam obligat. C. A. §. 1294.—1324.

Requiritur autem ad obligationem restitutionis *culpa theologica* seu injuria formalis, i. e. voluntas nocendi saltem indirecta, seu praevisio damni injusti, saltem in confuso; quia dari nequit obligatio in foro conscientiae, nisi in eodem foro injuria fuerit commissa. Ita s. Alphonsus.

Nulla extat vero obligatio restituendi ex culpa mere juridica, nisi post judicis sententiam, dummodo haec non innitatur in falsa facti praesumptione; et casu, quo quis se voluerit obligare ad damnum reparandum sola culpa juridica subsecutum. Ita communissime cum s. Alphonso.

3. ***Injusta cooperatio:*** Cooperatio, prout hic loci consideratur, est consortio injuriosa ad actionem alienam proximo damnosam. Cooperatio ad restitutionem tunc obligat, si injusta, causa efficax damni et theologice culpabilis sit, prout supra de damnificatione dictum est. 3. Injusta cooperatio.

III. ***Causae excusantes a restitutione:*** sunt illae, ob quas obligatio restituendi jam contracta vel *suspenditur*, vel omnino *tollitur*. Unde causae excusantes a restitutione sunt duplicis generis; aliae excusant *ad tempus* tantum, aliae vero *in perpetuum*. III. Causae excusantes a restitutione.

1. ***Causae ad tempus a restitutione excusantes*** sunt: 1. Causae ad tempus excusantes:

a) ***Impotentia et magna difficultas debitoris:*** haec tamdiu excusat, quamdiu existat. Haec impotentia adest: a) Impotentia.

α) Quando debitor aut ejus proxime cognati in extrema necessitate versantur. S. Alphonsus.

β) Si adest, aut restituendo efficitur necessitas valde gravis vel quasi-extrema; nisi forte creditor in eadem necessitate versetur; tunc enim creditor praeferendus est.

γ) Quando debitor, si restitueret, e statu suo, *juste acquisito* prorsus excideret, idque s. Alphonsus admittit, etsi debitum ex delicto ortum ducat. Sed, ut recte advertunt s. Antoninus, Sporer et alii, in tali casu semper tenetur debitor expensas diminuere, ut restituat saltem, quod potest.

δ) Quando restitutio fieri nequit sine gravi damno in bonis altioris ordinis, ut cum gravi periculo vitae aut famae; sed quaerenda erit, in quantum possibile, alia via, qua securius fiat restitutio.

ε) Quando debitor ejusve familia per restitutionem ex fragilitate in magnum animae periculum induceretur, ut: desperandi, filias prostituendi etc.

ζ) Imo si per instantaneam restitutionem praeter rei alienae dimissionem vel debiti solutionem aliud grave damnum debitoris sequeretur, nisi dominus ex rei suae carentia fere aequale damnum subiret, obligatio *statim* restituendi urgenda non esset.

b) ***Damnum creditoris aut tertii:*** Si scilicet ex restitutione vel solutione, si nunc fiat, creditori aut alio extraneo damnum oriatur, caritas postulat, ut potius differatur restitutio, nisi forte debitori ex retentione etiam damnum oriatur; uti e. g. si praevidetur dominum re sibi reddita abusurum esse ad peccandum, vel in damnum tertii; imo in tali casu debitor tenetur denegare restitutionem, cum potest sine suo graviori vel saltem aequali damno. — Ita s. Alphonsus et alii. b) Damnum creditoris aut tertii.

c) ***Cessio bonorum:*** sive judiciaria sive voluntaria secundum leges facta id saltem privilegium tribuit debitori, ut residuorum debitorum solutionem tamdiu valeat differre, dum postea commode possit eam praestare. c) Cessio bonorum.

Ut autem hic favor in conscientia valeat, excluditur:

α) Omnis cessio fraudulenta, sicut etiam cessio bonorum ex delictis inducta seu causata;

β) retentio bonorum occulta praeter ea, quae lege conceduntur; nam licet in conscientia ea bona retineri possint, quae ad parce vivendum pro conditione debitoris necessaria sunt, idque occulte, si forte per leges necessaria non concedantur, tamen quod praeter leges retinetur, excluditur etiam postea a favore legis, ita ut pro hac restitutione *commoda* facultas exspectari non possit.

Per se autem neque judicialis neque conventionalis seu voluntaria bonorum cessio excusat a futura residuorum debitorum solutione, nisi forte aut expressa creditorum declaratione aut aliis signis satis certis pateat, creditores voluisse debita, quae restant, absolute condonare. Neque sufficit, si leges postea *actionem judicialem* creditorum non amplius admittunt; haec enim sola actionis fori externi denegatio est, quae neque jus, neque debitum in foro interno extinguit. (Quoad legem Austriae, vide Concursordnung 1858, §§. 26, 28, 31, 33, 34, 42—48.)

2. Causae in perpetuum excusantes.

2. ***Causae in perpetuum a restitutione excusantes*** sunt haec:

a) Condonatio.

a) ***Remissio seu condonatio a creditore libere et legitime facta,*** i. e. neque fraude vel minis seu metu extorta, neque facta ab eo, qui jus non habuit. — Ubi notandum, quod remissio etiam *tacita,* imo et *certe praesumpta* liberat a restitutione, ut satis communiter docent. Hinc facilius, quam alii, a restitutione excusari possunt filiifamilias, si pecuniae summam sat exiguam parentibus surripuerint; item famuli, qui esculenta communia consumpserunt. Sed abusus hac in re quam maxime cavendus est, ne sic janua innumeris injustitiis aperiatur. S. Alphonsus et Lugo.

b) Compensatio.

b) ***Compensatio,*** tum legalis seu propria (C. A. §. 1438.) tum occulta seu impropria, i. e. quando creditor propria auctoritate rem vel aequivalens ejus pretium sibi vindicat, aut debitum aequalis valoris sibi retinet.

c) Praescriptio.

c) ***Praescriptio*** tum acquisitiva tum liberativa — debitis conditionibus vestita. Haec autem, uti per se patet, obtinere non potest quoad possessorem malae fidei, quia bona fides est conditio sine qua non, et nunquam praescriptio valere potest.

d) Compositio.

d) ***Compositio,*** qua Summus Pontifex, et ejus nomine S. Poenitentiaria ex rationabili causa, partem unam debitam condonat, alteram determinat ad pias causas in eo casu, quo dominus, diligenti inquisitione facta, manet incertus. — Compositio legitime facta non irritatur, etiamsi dominus postea compareat, quia jam dominium translatum est. Ita s. Alphonsus et cum aliis Lugo, qui simul probat, Summum Pontificem juste et licite talem compositionem concedere posse. Haec compositio praecipue circa bona immobilia ecclesiastica injusto modo acquisita, nisi restitutio re ipsa fiat, a S. Pontifice exquirenda est.

His de reparatione laesi juris generatim dictis, jam specialius investigandum est, ad quid teneatur injustus possessor rei alienae,

ad quid injustus damnificator et cooperator, et sub quibusnam circumstantiis restitutio facienda sit.[1])

§. 69. Restitutio ab injusto possessore facienda.

Possessor rei alienae quidam fieri potest vel cum *bona fide*, vel cum *mala fide*, vel denique cum *dubia fide*. Unde dicendum est juxta legem naturalem et civilem de possessore bonae, malae et dubiae fidei.

I. ***Possessor bonae fidei*** ille est, qui invincibiliter ignorat, rem a se possessam esse alienam, seu prudenter judicat, eam esse suam. Quoad hujusmodi possessorem haec valent principia: I. Possessor bonae fidei.

Principia:

1. Possessor bonae fidei statim ac cognoscit, rem non esse suam, tenetur eam, si adhuc in toto vel in parte extat, domino restituere, quia „res clamat ad dominum"; *et quidem rem restituere debet gratuito, i. e. quin ejusdem pretium postulet,* quia secus dominus cogeretur rem suam emere. — Attamen si quis acquisivit bona fide rem alienam, quam secus dominus difficulter recuperare potuisset, tantum a domino petere potest, quantum ad arbitrium viri prudentis meritus est, rem domino utiliter redimendo. Ita ex jure naturae, et ex jure Austriaco §. 333.

2. *Possessor bonae fidei, qui durante bona fide rem alienam consumpsit, destruxit, si ditior inde non evaserit, postea, quando cognovit, rem alienam fuisse, ad nihil tenetur.* Nam non tenetur ratione damnificationis, quia non est damnificator formaliter injustus; nec ratione acceptionis rei alienae, quia eam nec in se, nec in emolumento habet, nisi — quod bene attendendum, — ex possessione ditior evaserit.

Ditior autem evadere potuit praecipue: si res apud ipsum crevit; vel si rem gratuito acceptam utiliter impendit, suis rebus parcens, in alterum pro pretio rem transferens etc. — In dubio, an ditior factus sit, ad nihil tenetur. Hinc e. g. qui vestem alterius bona fide portavit et fere attrivit, si dominus compareat, tenetur vestem extantem restituere, et insuper solvere, quantum attrita est, si aliam vestem aequalis valoris attrivisset; qui rem dono sibi datam, bona fide vendidit, tenetur restituere pretium, quia hoc factus est ditior; qui rem bona fide emit et vendidit sine lucro, ad nihil tenetur, si vero lucrum accepit, id restituere debet, nisi sit fructus industrialis; — qui rem alienam bona fide alicui donavit, non donaturus aliam, si haec non habuisset, ad nihil tenetur; secus si aliam donaturus fuisset, quo casu restituere debet id, quo ditior factus est; qui rem alienam bona fide emit et alteri vendidit, in casu evictionis, seu in casu, quo dominus rem suam ab emptore postulaverit, emptori pretium solutum reddere tenetur; et idem valet in casu, quo emptor sponte sua rem domino restituit. Extra casum evictionis vel spontaneae restitutionis ex parte emp-

[1]) Cfr. s. Alph. L. III. H. A. X. Müller II. §. 134 sqq. Lehmkuhl II. n. 941 sqq. Marc II. n. 923 sqq. Staller II. tr. 9. §. 1 sqq. Delama n. 308 sqq.

toris ad nihil tenetur; qui rem furtivam bona fide emit, probabilius potest eam *furi reddere* ad pretium suum recuperandum, quia nemo tenetur rem domino servare cum proprio damno aequali.

3. Possessor bonae fidei ex jure naturae non tenetur restituere fructus industriales; tenetur autem fructus naturales restituere, quia „res fructificat domino", *et fructus mixtos, in quantum naturales sunt.* Ita omnes. — Ex jure Austriaco autem ad possessorem bonae fidei spectant omnes fructus naturales jam *separati*, pariter omnia alia emolumenta (fructus civiles) *de facto percepta*, et durante possessione bonae fidei *jam debita* (fällige). — Probabilius haec juris Austriaci dispositio etiam in foro conscientiae valet. — Excipe tamen ex jure Austriaco *inventorem*, qui etiam eo tempore, quo uti possessor bonae fidei habetur, domino comparenti praeter rem, vel ejus pretium, etiam *interesse* forte inde perceptum restituere debet; dein *contrahentem*, qui, postquam alter rem promissam ex casu fortuito praestare nequit, restituere quidem debet illud, quod accepit, uti possessor bonae fidei, ita tamen, ut ex alterius damno nullum lucrum referat. C. A. §. 1447. et 392.

4. Possessor bonae fidei ex jure naturae deducere potest omnes expensas necessarias et utiles, seu quae rem conservant et meliorem efficiunt; secus enim dominus plus, quam suum est, reciperet. *Nihil autem repetere potest pro expensis voluptuariis*, nisi quatenus communem rei valorem augeant. Potest tamen meliorationem auferre, si absque rei ipsius detrimento fieri possit. — Ex jure Austriaco eadem valent, si limites, *expensas necessarias aut utiles* possessori bonae fidei deberi juxta actualem valorem, modo praesens valor expensas reipsa factas non superet. C. A. §. 331. et 332.[1])

II. Possessor malae fidei.

II. **Possessor malae fidei**, dicitur ille, qui scit, rem, quam accipit vel possidet, non esse suam. Hic, cum injuriae formalis reus sit, rigorosius quam possessor bonae fidei obligatur ad restitutionem; rigorosius nimirum applicatis ad ipsum axiomatibus satis jam notis: „res clamat ad dominum", „res fructificat domino". In specie quoad possessorem malae fidei haec tenenda sunt principia (cfr. C. A. §. 1036.—1040., 1294., 1295., 1323., 1324., 335., 336.):

Principia:

1. Possessor malae fidei restituere debet rem alienam, si existat, vel ejus pretium aequivalens, si non existat, licet inde ditior non evaserit. Ratio est, quia rem alienam injuste accipiendo aut detinendo, hoc ipso rei vel pretii debitorem se constituit, ac proinde ex justitia commutativa debito huic stricto secundum aequalitatem satisfacere tenetur. Haec tamen tunc tantum valent, si dominus habet *jus in re*, nam si habet tantum *jus ad rem*, tunc ei satisfieri debet pro valore spei, quam habebat, rem efficiendi suam. — Ita ex jure naturae, cui concordat C. A. §. 335., ubi additur, quod si quis actione a lege poenali prohibita alterius possessionem ad-

---

[1]) Cfr. C. Gall. 550. etc., Ital. 701 sqq., Boruss. I. 7. §. 189., I. 15. §. 25., 26. et I. 11. §. 158., Angl. de restitut. n. 512. etc.

ierit, in poenam delicti compensatio etiam ad *pretium affectionis* extenditur.

2. *Possessor malae fidei restituere debet id omne, in quo factus est ditior, scil. omnes fructus naturales, mixtos quoque et civiles, quatenus fructibus naturalibus correspondent;* fructus autem mere industriales licite retinere potest.

3. *Possessor malae fidei domino etiam compensare tenetur omne damnum emergens et lucrum cessans, saltem in confuso praevisum,* etiamsi ditior non fuerit factus; quia istud injuste intulit, hoc injusta sua actione injuste impedivit.

Ita quidem, si agatur de compensando lucro certo, si autem sit tantum probabile, comparari debet juxta majorem vel minorem spem probabilem.

4. *Possessor malae fidei ex jure naturae subducere potest omnes expensas tum necessarias, tum utiles; non autem mere voluptuarias;* has tamen a re separare potest, dummodo intacta maneat rei substantia. — Ex jure Austriaco possessor malae fidei repetere potest expensas necessarias, et quae manifestam domino afferunt utilitatem, non autem ceteras; potest tamen auferre meliorationes, si hoc sine rei ipsius damno fieri possit. C. A. §. 336., 1037.—1040. Utrum possessor malae fidei rem alienam reddere possit furi ad pretium recuperandum, controvertitur; affirmat s. Alphonsus ut probabile cum aliis; negant alii communius.

Ex dictis sequentia profluunt corollaria. Corollaria.

a) Qui rem alienam surripuit, secus certo perituram, eam restituere debet, deductis tamen expensis factis cum pretio operae adhibitae ad rem a periculo liberandam; etenim res non cessavit ad dominum pertinere etiam in summo periculo; ovis etiam in ore lupi ad dominum clamat. — Plures tamen excipiunt casum, quo res certo et proximo interitus periculo subducitur, statimque consumitur, e. g. esculenta et poculenta incendio jam peritura, quia res in tali periculo relicta nullius valoris est pro domino. — Ita s. Alphons.

b) Fur ad restitutionem tenetur, licet res furtiva absque omni culpa penes ipsum perierit; quia rem alienam surripiendo totum illius periculum in se suscepit. — Secus dicendum, si res etiam apud dominum fuisset peritura *eodem tempore et eodem periculo,* quia tunc furtum non est causa efficax damni. Ex jure civili Austriaco possessor malae fidei non tenetur ad restitutionem, si damnum aeque apud dominum evenisset. Ita jurisperiti.

c) Fur praeter pecuniam furtivam etiam restituere debet interesse, si constet aut merito praesumatur, quod dominus istud lucrum fuisset percepturus; secus vero probabiliter, si dominus pecuniam servasset otiosam, quia non constat, dominum ad illud auctarium jus habere. — Juxta Codicem Austriacum vero fur in quocunque casu praeter pecuniam furto ablatam, etiam restituere debet ejusdem interesse legale, quia lex tenet, semper domino lucrum illud cessare saltem ex eo, quod facultate pecunia sua utendi privetur. C. A. §. 1314.

d) Si res eo tempore, quo a possessore malae fidei detinebatur, vel in se seu intrinsece, vel ex aestimatione hominum, seu extrinsece, varium subierit valorem, haec quoad obligationem restitutionis observanda sunt:

α) Res apud furem deterior facta secundum valorem restituenda est, quem eo habebat tempore, quo sublata est, alioquin dominus non reciperet, quod suum erat. — Econtra si res apud furem melior facta est seu creverit, restituenda haec est cum intrinseco incremento, e. g. si ex vitulo facta sit vacca; quia res crescit domino.

β) Si dominus rem suam fuisset venditurus eo tempore, quo sibi fuit ablata, et fur eodem tempore eam vendiderit aut consumpserit, tenetur solummodo restituere valorem, quem res habebat, quando illam surripuit.

γ) Si res apud furem creverit et postea decreverit, atque constet, dominum eo tempore, quo majoris pretii erat, illam venditurum fuisse, aut consumpturum, fur ad totum majus pretium tenetur.

δ) Si fur rem inique ablatam, quam dominus ultra non servasset, tempore minoris pretii consumpserit, ad restitutionem supra istud pretium non tenetur; quia ex re nec ditior evasit, nec majorem injuriam domino intulit.

ε) Si fur rem vendiderit vel consumpserit tempore majoris pretii, tenetur illud pretium domino reddere, licet dominus rem usque ad tempus majoris pretii non conservasset, quia res domino suo fructificat. Probabilius tamen fur ad majus pretium restituendum non tenetur, si dominus rem tempore minoris pretii aut vendidisset aut consumpsisset.

In praxi tamen, cum rarius et difficilius innotescant omnes praefatae circumstantiae, plerumque sola est urgenda compensatio valoris, quem res tempore furti habebat, ut dicit Lehmkuhl.

e) Pro casu, quo res aliena per manus plurium malae fidei possessorum transivit, haec observanda sunt:

α) Rem ipsam vel ejus pretium aequivalens restituere ille tenetur, qui eam adhuc possidet, aut eam consumsit, aut alio quovis modo amisit. — Hoc autem deficiente tenetur raptor, quodsi neuter debito suo satisfecerit, ceteri per aequas portiones rei pretium solvere debent. Tandem in ceterorum defectu, quisque ad totum tenetur.

β) Fructus et damna singuli compensare tenentur pro rata temporis, quo unusquisque rem detinuit; si vero ceteri pro sua parte compensent, totius damni reparatio singulis incumbit, pro rata tamen temporis elapsi a die, quo successive facti sunt injusti rei alienae possessores; hinc quisque eorum tenetur ad reparanda damna, non quae prius secuta sunt, quam ipse fieret possessor, sed quae postea evenerunt.[1])

---

[1]) C. Gall. 1381. et 1302., C. Ital. 1298.

III. ***Possessor dubiae fidei:*** Dubia fide dupliciter potest quis rem alienam possidere, *vel enim possessionem rei cum dubia fide incepit*, vel *dubium possessioni bona fide inceptae supervenit.* Unde haec sunt observanda:

III. Possessor dubiae fidei.

Principia:

1. ***Si dubium praecesserit possessionem,*** distinguendum est, scil.

a) Qui in dubio incepit possidere, rem auferendo a domino vel a possessore bonae fidei, tenetur postea, si dubium perseveret, rem totam priori possessori restituere, quia in dubio melior est conditio possidentis.

b) Qui rem accepit cum titulo de se legitimo, e. g. donationis, emptionis, sed cum dubio, utrum sit aliena, si post inquisitionem anceps maneat, tenetur restituere non totum, ut quidam volunt, sed *pro rata dubii*, domino probabili, si cognitus sit, vel pauperibus, si dominus ignoretur. Ratio est, quia ex una parte illi non favet possessio incepta cum dubia fide, et ideo nequit rem sibi totam retinere; ex altera vero aequum non videtur, eum obligari ad totum restituendum, cum dubium sit, an res sit aliena.

c) Qui mala fide rem aliquam accepit, putans scil. eam esse alienam, et postea dubitat, an res sua sit, necne, aequiparandus est ei, qui possessionem dubia fide incepit; prior enim aestimatio falsa reperitur, nec proinde attendenda est; unde casus resolvendus est juxta modo dicta.

2. ***Si dubium supervenerit possessioni bona fide inceptae,*** tunc possessor, si debita adhibita diligentia *dignoscat, rem esse alienam,* tenetur eam restituere, simulque id, in quo factus est ditior, tamquam possessor bonae fidei.

Si dubium perseveret hinc inde aequale, non tenetur rem dividere pro rata dubii, ut quidam volunt, sed potest totum sibi retinere; ex communi etenim sententia tuto utitur principio: „In dubio, beatus qui possidet;" etenim possessio bona fide incepta fundat praesumptionem certam de justitia possessionis.

Si possessor dubiae fidei, qui bona fide incepit possidere, facta diligenti inquisitione inveniat, rem probabilius esse alienam, potest adhuc rem sibi retinere, donec non constiterit moraliter certe, rem esse alienam; quia ex possessione certa jus moraliter certum oritur, et donec alter jus suum certum probaverit, valet axioma: „Melior est conditio possidentis." Ita s. Alphons.

Si possessor rei alienae exorto dubio *neglexerit* inquirere, et postea non possit amplius verus rei dominus inveniri, juxta sententiam veriorem tenetur aliquid restituere vel domino praesumpto, vel pauperibus, si dominus sit incertus, et quidem pro ratione spei, quam dominus habere potuisset, rem suam recuperandi. Generatim vero spes illa, licet rationes ex utraque parte sint aequales, pretii medietatem non attingit, sed multo minoris est valoris. Ita s. Alph.[1])

---

[1]) Cfr. s. Alph. L. III. Müller II. §. 135.—138. Marc II. n. 935.—947. Lehmkuhl n. 946.—961. Staller II. tr. 9. §. 2.—4. Delama n. 313.—326. Stapf II. §. 315.—319.

§. 70. Restitutio ab injusto damnificatore facienda.[1])

Quoad injustum damnificatorem primo generatim dicendum est, *quid restituere teneatur, positis supra relatis conditionibus;* et dein *ad quid in specie teneatur pro variis damnificationis injustae modis.*

I. Quid generatim restituere teneatur.

I. ***Quid generatim restituere teneatur:*** Id dicunt sequentia principia:

Principia:

1. Injustus damnificator restituere tenetur pretium rei damnificatae plene aequivalens; sic e. g. qui domum alterius culpabiliter incendit, totum ejus pretium domino refundere debet; qui incenderit domum assecuratam, societati assecurationis totum compensare debet, quod illa domino solvit. Insuper domino etiam illud damnum resarcire tenetur, quod a societate haud plene compensatur, prout frequentius contingere solet.

2. Injustus damnificator insuper restituere debet pretium aequivalens aliorum damnorum, quae ex actione damnificante forsan provenerunt. Haec igitur indemnisatio non solum *damnum emergens,* sed etiam *lucrum cessans,* ac proinde *plenam satisfactionem* complectitur. Hinc e. g. si opifex solitam operam aliquo tempore ideo omittere debuerit, quod ipsius instrumentum ad laborem necessarium destruxeris, non solum de valore instrumenti, sed etiam de lucro cessante teneris.

Casus practici:

Ex his principiis et conditionibus supra praepositis, derivantur regulae sequentes, quae spectant casus notabiliores in praxi occurrentes:

a) Qui inculpabiliter causam damni posuit, sed postea damnum, quod impedire potuit, non impedivit, totum damnum restituere tenetur. Patet ex dictis. Unde e. g. qui inculpabiliter domum alienam incendit, ex justitia tenetur flammam erumpentem extinguere, si possit; secus graviter peccat, et ad reparandum damnum tenetur.

b) Qui culpabiliter causam damni posuit, et postea damnum impedire conatus est, sed frustra, itidem ad totum damnum resarciendum tenetur, quia vere est causa efficax damni, siquidem pergit influere in illud per actionem, quam culpabiliter posuit. Ita communiter.

c) Qui vacat operi illicito vel simul injusto, ex quo damnum alterius per accidens sequitur, non tenetur ad restitutionem, quia deest culpa theologica, cum damnum illud non intentum, nec in confuso quidem fuerit praevisum; ergo „casus nocet domino“. Ita communiter. Hinc e. g. ad restitutionem non tenetur, qui venationi prohibitae vacans pro fera, quam petebat, hominem, quem minime videbat, sclopeto occidit.

d) Non tenetur nocens ad reparandum damnum obveniens innocenti, cui crimen imputatur, nisi tales fuerint circumstantiae,

---

[1]) Cfr. C. A. §§. 1294., 1311., 1312., 1323., 1324.

ex quibus suspicio gravis necessario in innocentem cedere debuisset. Ratio est, quia hoc damnum innocenti tantum per accidens provenit; hoc idem valet probabilius, licet nocens intenderit, ut crimen suum innocenti imputetur, in tali etenim casu, nocens tantum affective contra justitiam peccat. Ita s. Alphons., Lacroix et alii contra Lugo et alios.

e) Qui impedit proximum a consecutione alicujus boni vel beneficii, tunc tenetur ad restitutionem, si proximus jus strictum habet ad illud consequendum, uti in casu concursus; *vel si mediis injustis,* e. g. vi, fraude, calumniis proximum impedit, licet jus strictum non habuerit; et tunc restitutio fieri debet pro modo spei, quam proximus habuit, illud bonum consequendi. Ita s. Alphonsus et alii communissime. Secus dicendum probabilius in aliis casibus, licet talis malevolus graviter contra caritatem peccet, si alium mala voluntate, e. g. ex odio a consecutione boni impediat.

f) Qui alicui ex errore intulit damnum, dum alteri illud inferre intendit, juxta s. Alphonsum et alios probabiliter non potest obligari ad restitutionem in foro interno ante sententiam judicis, quia actio damnificans non fuit voluntaria seu formalis erga damnificatum; alii tamen auctores dicunt, illum teneri ad restitutionem, quia error videtur accidentalis. — Idem valet, si quis existimat ex errore invincibili, damnum a se illatum multo minus esse, ac revera est, e. g. si projiciat in mare gemmam alterius valentem 100 florenos, existimans eam 10 tantum valere; talis probabiliter tenetur tantum ad restituendum pro rata damni cogniti. Excipitur tamen in utroque casu:

α) Si damnificator ita animo actualiter comparatus fuerit, ut, etiamsi scivisset, damnum tamen intulisset;

β) si condemnatus fuerit a judice; quia, cum opinio contraria etiam probabilis sit, in dubio pro judice standum est. Ita s. Alphons.

g) Qui dubitat, an damnum evenerit ex sua actione, distinguendum est, nempe *in dubio, an damnum sit revera illatum,* ad nihil tenetur, quia „factum non praesumitur, nisi probetur"; *in dubio, utrum ipse inter plures, qui actionem damnaficativam posuerunt, damnum intulerit, an alius,* duplex datur sententia: alii probabiliter affirmant; alii vero *probabilius negant,* quia nemo tenetur ad damnum reparandum nisi moraliter certo constet, ipsum fuisse causam efficacem damni, nec semper actio, apta ad damnum alicui irrogandum, revera est causa damni. Ita s. Alphons. Hinc e. g. si duo adulteri dubitent, cujusnam sit proles enata, probabilius neuter tenetur ad damni compensationem. Et idem dicendum, si quis dubitet, an ejus consilium, vel mandatum, vel consensus, vel palpatio etc., fuerit causa damni. Excipe tamen, in casu citato, si adulterium communi consilio patraverint, vel si posterior sciat, adulterium jam factum ab altero; tunc tenetur ipse

restituere, quia ipse est causa incertitudinis prolis, ideo vera causa, et a primo non potest exigere compensationem. Ita Scavini. — Idem valet, si duo vel tres fornicarii cum eadem femina dubitent, cujusnam sit proles enata; juxta s. Alphonsum nullus ad restitutionem tenetur, — juxta alios vero probabilius urgenda est restitutio ab eo, qui causa est dubii; si omnes simul causa incertitudinis vel dubii essent, tunc singuli in solidum tenentur ad restitutionem.

h) Relate ad illum, qui damnum quidem grave intulit, sed ex culpa levi, e. g. qui ex defectu advertentiae subita ira correptus hominem occidit, *duplex datur sententia;* videlicet *una negat*, illum ad aliquid teneri; etenim obligari non potest, neque sub gravi, neque sub levi; non sub gravi, quia gravis obligatio cum levi culpa proportionem non habet; neque sub levi, quia levis obligatio non habet proportionem cum gravi re. Ita cum Lugo et aliis s. Alphonsus, qui hanc sententiam vocat probabiliorem. — Altera tamen sententia affirmat, illum teneri ad restitutionem, ejusdem tamen patroni in duas partes abeunt. Alii dicunt, tunc totum damnum restitui debere; alii autem melius tradunt, esse obligationem restituendi pro ratione culpae, ergo si culpa est venialis, obligatio reparandi etiam erit venialis, non ad totum, sed ad partem, judicio prudentum determinandam. Ita Lacroix; est utique valde urgens ratio.[1])

II. Species damnificationis.

II. ***Ad quid damnificator in specie teneatur relate ad varios modos damnificationis.*** Proximus in diversis bonis damnificari seu laedi potest, unde etiam diversae obligationes restituendi oriuntur, et quidem:

1. Damnificatio in bonis animae.

1. ***Obligatio restituendi ob damnum in bonis animae.*** C. A. 1299.—1301. Bona animae duplicis generis sunt, scil. *supernaturalia* et *naturalia*. *Bona supernaturalia sunt illa*, qui ordinantur ad salutem aeternam, uti gratia, sanctitas, virtutes etc. *Bona naturalia illa sunt,* quae ad ipsam naturam humanam ejusdemque perfectionem pertinent, uti usus rationis, ingenium, memoria; item diversae scientiae et artes.

Generatim quisque ex justitia tenetur reparare damnum, quod proximo tum in bonis supernaturalibus, tum in bonis naturalibus efficaciter et injuste intulit, dummodo damnum istud in eodem ordine reparari possit. Homo enim non minus jus strictum habet in haec bona, quam in bona temporalia.

Principia:

Speciatim vero hic sequentia sunt tenenda, et quidem:

a) Quoad damnum in bonis supernaturalibus.

a) Quoad damnum in bonis supernaturalibus haec valent:

α) Qui alium vi, fraude, dolo, metu injusto laesit in bonis supernaturalibus, e. g. illum inducendo ad peccatum grave, vel avertendo a virtute, vel imbuendo falsa doctrina, impediendo ab ingressu religionis, aut ad egressum ex ea inducendo, injuste Novitio suffragium denegando etc. tenetur

---

[1]) Cfr. C. Gall. 1382., 1386., Ital. 1153., Boruss. I. 6. §. 41., 42., 61 sqq.

ex justitia, vim, fraudem, dolum etc. auferre et omnia damna inde secuta resarcire. Et si hanc suam impietatem editis libellis in vulgus disperserit, illam eodem modo publice retractare debet.

β) *Qui vero sine vi, fraude, dolo, metu injusto, sed mero consilio aut pravo exemplo seu scandalo alterum ad peccatum induxit, aut ab ingressu religionis avertit,* ex justitia stricte tali quidem ad nihil tenetur erga inductum, quia scienti et volenti non fit injuria. At vero ex caritate omnino tenetur, conversionem seducti, quoad potest, procurare, saltem orando, suadendo, monendo etc. Et qui publice scandalum dederit, etiam publice id reparare debet; sufficit autem plerumque vitae prioris emendatio publica. Ita s. Alphons.

b) *Quoad damnum in bonis naturalibus haec valent:* b) Quoad damnum in bonis naturalibus.

α) Qui officium suscepit alios edocendi artem, disciplinam sine sufficienti peritia, vel illud negligenter implevit, damnum, quod intulit male docendo, reparare tenetur, necnon pretium acceptum pro ratione suae ignorantiae vel negligentiae restituere.

β) Qui fraude impedit aliquem, ne scientiam vel artem addiscat, tenetur fraudem depellere, et damna temporalia exinde orta reparare.

γ) Qui per venenum, maleficium, philtrum etc. memoria vel usu rationis alium privat, ex justitia tenetur reparare tum damnum in sanitate, eum curando, quoad potest, tum damnum in bonis temporalibus, si quod illi emersit; uti si is non amplius valeat artem suam exercere. Lessius.

δ) Qui alium privat libertate, illam restituere debet, uti per se patet.[1]) C. A. §. 1329.

2. ***Obligatio restituendi ob damnum in bonis vitae et corporis.*** Bona vitae et corporis potissimum violari possunt: mutilatione, homicidio, fornicatione, stupro et adulterio. 2. Damnificatio in bonis vitae et corporis.

a) ***Mutilatio et homicidium:*** Ut sciatur, quid et quibus homicida vel mutilator restituere debeat, distinguendum est triplex genus damnorum, quae inferri possunt, scil. *damna, quae inferuntur ipso laeso ante ejus mortem; damna, quae inferuntur ejus familiae,* et *damna, quae inferuntur ejus creditoribus.* Unde statuenda sunt sequentia: a) Homicidium. Principia:

α) *Homicida vel vulnerator (et in ejus defectu haeredes) tenetur compensare omnia damna temporalia, quae ex suo facinore occiso vel vulnerato illata sunt.* Hinc tenetur compensare damna ante obitum laesi causata, scil. lucrum cessans et damnum vulnerato emergens, vel ejus familiae ex omissione operarum tempore infirmitatis, et expensas necessarias pro curatione factas; porro resarcire debet lucrum cessans et damnum emergens familiae, — uxori et filiis — post mortem laesi juxta probabilem prudentum aestimationem.

---

[1]) Cfr. Marc II. n. 513 sqq. Staller II. tr. 4. §. 30. Müller II. §. 152.

Excipiunt tamen probabilius, si haeredes necessarii in posterum aliunde habeant vel accipiant sustentationem, cum tunc nullum damnum patiantur. Ita s. Alphons.

Nihil autem restituendum est pro vita, membro, vel dolore, quia haec pretio juxta aequalitatem aestimari nequeunt. Congruum autem est, ait s. Alphonsus, ut confessarius imponat poenitenti pro poenitentia vel aequitate aliquid laeso elargiendum. — Pariter ex jure naturae nihil est restituendum pro expensis funeris, quae quippe etiam post mortem naturalem fieri debuissent. At juxta Cod. Austr. §§. 1311., 1325., 1327. etiam hujusmodi expensae restituendae sunt; praeterea Cod. Austr. statuit, ut, si petatur, pro causatis doloribus congrua circumstantiis summa solvatur.

Denique homicida juxta s. Alphonsum probabilius restituere tenetur omnibus illis, quibus directe nocere intendit. Sic tenetur damna compensare creditoribus, consanguineis, vel pauperibus, quos spe solutionis, haereditatis, vel eleemosynae defraudavit, respective frustrari voluit; quia quisque jus habet, ne directe et per vim a consecutione justi boni impediatur. Ad hoc vero non tenetur, si damna ista praevisa quidem, non autem intenta fuerint, quia tunc censentur evenisse per accidens; est sententia probabilior juxta s. Alphons.

β) *Haec obligatio restitutionis vero ex solo homicidio voluntario et injusto exoritur.* Unde ad nihil tenetur, qui injustum aggressorem servato moderamine inculpatae tutelae occidit; si vero hoc moderamen excesserit, ad restitutionem procul dubio tenetur, quia injuste occidit invasorem.

Similiter probabilius ad restitutionem non tenetur, qui in duello alterum occidit, etsi fuerit provocans, nisi vi, aut gravibus minis alterum induxerit ad pugnam. Et quidem ad nihil tenetur erga provocatum, quia hic, libere acceptans duellum, remisisse videtur damnorum compensationem; ad nihil tenetur erga ipsius uxorem et filios, quia non per vim alimenta et emolumenta eorum impedivit. Ita Lugo cum aliis, quibus in re consentit s. Alphonsus. Idem dicendum est de illo, qui occidit alterum provocatum ad rixam. Scavini.

b) Stuprum.

b) ***Fornicatio et stuprum:*** C. A. §. 166.—177. Quoad obligationem restitutionis, ortam ex fornicatione, et maxime ubi agitur de virginis defloratione, distinguendum est, *utrum defloratio occulta permanserit, an vero aliis innctuerit*, per prolem forte susceptam; dein: *utrum facta sit virgine libere consentiente, an vero illa invita;* et denique *utrum facta sit aut sine, aut sub promissione matrimonii.*

Principia:

Unde sequentes tenendae sunt regulae:

α) *Si defloratio mansit occulta, et virgo in illam libere consensit, deflorator ad nihil tenetur;* quia volenti non fit

injuria. Si defloratio occulta quidem permansit, virgo tamen prorsus invita fuit, deflorator quidem probabilius nihil de jure tenetur rependere pro laesione virginitatis, cujus jactura pecunia compensari nequit; sed tamen congruum est, ut a confessario ex aequitate, vel pro poenitentia, ad aliquid elargiendum adigatur; attamen cetera detrimenta exinde secuta, e. g. ratione sanitatis, bonorum temporalium etc. ex integro resarcire tenetur. Ita s. Alphons.

β) *Si defloratio innotuit per puellae impraegnationem et puerperium*, deflorator, si eam violaverit libere consentientem absque ulla matrimonii promissione, ad nihil tenetur, nisi ad alimentationem prolis, et ad curam gerendam pro ejus educatione in solidum cum matre. Quod jus Austriacum sub hoc respectu praescribit, vide in Codice §. 167 sqq. et §§. 1220., 1231. — Juxta Cod. Austr. ille, qui civili processu convincitur cum prolis matre rem habuisse eo temporis spatio, a quo ad partum usque nec minus quam sex, nec plus quam decem menses sint elapsi; item ille, qui id etiam extra judicium fatetur, praesumitur prolem genuisse, Cod. Austr. §. 163.; verum probatio in contrarium admittitur.

Pari ratione ad nihil tenetur, si precibus aut donis puellam ad peccatum induxit. Sunt tamen, qui illum etiam obligant, ut restituat honorem patri ablatum, veniam petendo, vel simile honorationis signum exhibendo. Sunt porro, qui defloratorem ex aequitate ad aliquid elargiendum obligant, si is fuerit valde dives, puella vero paupera. Multo magis id dicendum erit, si quis personam aliquam blanditiis diversisque illecebris seduxit; hic ex titulo caritatis tenetur reparare damna, quorum auctor moralis existit.

γ) *Si defloratio nota, vi, minis, fraudibus aut similibus artibus facta est, tenetur deflorator omnia damna honoris et fortunae tam ipsi, quam ejus parentibus reparare.* Tenetur itaque augere dotem, ut puella aeque bene nubat, ac si corrupta non fuisset; tenetur ad expensas partus et puerperii, et ad omnes sumptus pro educatione (pro victu, vestitu, habitatione etc.) filii suscepti, quousque hic sibi sufficit. Ratio est, quia solus stuprator fuit causa damni. Attamen ejus defectu mater curam filii, licet nullam culpam admiserit, suscipere debet, *quia mater est;* sed tunc recursum servat in corruptorem, qui omnes expensas, quas mater occasione prolis fecit, ipsi refundere tenetur. Ita jus naturae, consonat Cod. Austr. §§. 1238., 167. quinimo ex hoc ad illas expensas tenetur quicunque mulierem, licet consentientem, *seduxerit.* Non vero tenetur ipsam ducere uxorem, si matrimonium ei non promisit. Sed lex canonica optionem defloratori relinquit, aut ducendi oppressam, aut eam plenius dotandi. Non immerito vero dicunt, defloratorem conscientiae lege tunc illam ducere obstringi, si damnum illatum alio

modo vix possit reparari, et puella seducta in posterum vitam turpem agere praevideatur.

δ) *Qui sub matrimonii promissione, sive vera, sive ficta puellam corrupit, eam ducere tenetur;* ratio in utroque casu est clara, et est doctrina communis et certa, quae ultro confirmatur nonnullis declarationibus S. Congreg. Concilii. — In foro civili Austr., qui mulierem corrupit sub promissione matrimonii, tenetur quidem damna inde orta ob honoris laesionem reparare, non autem promissionem adimplere. Cfr. C. A. poenal. §. 278., 279. et C. A. civil. §. 45., 46.

Ab hac tamen regula excipiuntur aliqui casus, in quibus stuprator a promissione servanda excusatur, videlicet: si mulier ex verbis aliisque indiciis facile cognoscere poterat promittentis fallaciam; vel, saltem valde probabiliter, si stuprator nobilitate vel divitiis notabiliter superet conditionem feminae, et haec talem disparitatem noverit; vel si timeatur matrimonium infaustum, uti saepissime timendum est; vel si vir puellam cognoverit, existimans esse virginem, et corruptam invenerit; vel denique si puella nolit matrimonium cum stupratore inire. Ita communiter.

Ultimo notandum, quod puella, quae cum duobus vel pluribus rem turpem habuit, et coram judice eum nominat patrem prolis, qui non est, nequit tuta conscientia accipere vel detinere sumptus, ad quos ille a judice condemnatur, tum quia iste re ipsa nullum intulit damnum, tum quia sententia judicis in falsa facti praesumptione nititur. Ita Lugo, Elbel etc.

c) Adulterium.

c) ***Adulterium:*** Hic distinguendum est, nempe: *vel proles ex adulterio nata est, vel non;* porro *aut uxor vi vel dolo coacta est ad peccatum, vel libere consensit; vel denique delictum aut latet, aut notum est.* Unde haec valent:

Principia:

α) *Ubi hoc delictum latet, neque aliud exinde damnum sequitur,* pars innocens rem totam ignorare permittitur; flagitio autem detecto, illi utique humilis deprecatio et congrua satisfactio debetur. — Ex lege poenali Austr. §. 502., 503. ad accusationem partis innocentis adulteri etiam poena subjiciuntur.

β) *Si proles ex adulterio nata est,* tunc, quando vir dolo aut vi copulam a muliere extorsit, omnia damna reparare tenetur, utpote qui est causa efficax et injusta damni. — Unde restituere debet omnes sumptus, quos fecit maritus in prole spuria alenda et educanda; et si filius illegitimus cum legitimis haereditatem accepit, istis pro rata compensatio facienda est. Non adest autem probabilius obligatio restituendi pro iis, quae a consanguineis dantur vel legantur spurio, quia illum legitimum reputant. Attamen, ut Billuart observat, spurius, cui de sua conditione constaret, eas donationes non posset retinere. Si vero uxor libere in peccatum consensit, tunc uterque adulter tenetur in solidum

damna supra enumerata reparare, tum filiis legitimis, tum marito obvenientia. Et mulier quidem adultera, si paraphernalia habeat, ex his restitutionem praestare debet; si non habeat, debebit diligentius rem familiarem curare, parcior esse in sumptibus privatis etc. — Attamen quando ex adulterio uxoris marito inscio nata est proles spuria, omnes concedunt, adulteram non teneri generatim, ut crimen marito fateatur, quia res semper est perdifficilis ac periculis plena, ideoque crimen potius occultandum, quam manifestandum est. Unde etiam Innocentius III. (c. off. de poen. et remiss.) dicit: „Mulieri, quae ignorante marito de adulterio prolem suscipit, quamvis id viro suo timeat confiteri, non est poenitentia deneganda, sed competens satisfactio per discretum sacerdotem ei injungi debet."

In dubio, an proles sit mariti aut adulteri, communis est sententia, quae excusat adulterum ab omni restitutione, quia possidet matrimonium, et filius reputatur legitimus, nisi constet oppositum. Ita s. Alphons. — Quoad adulteros vel fornicarios divites, qui prolem ad nosocomium vel orphanotrophium miserunt, dicendum est, illos juxta sententiam, quae videtur s. Alphonso probabilior, non teneri expensas nosocomio compensare, quia hospitalia hujusmodi pro omnibus infantibus illegitimis instituta sunt. Omnes autem conveniunt, in praxi illos adhortandos esse ad aliquid saltem titulo poenitentiae nosocomio tribuendum.

3. ***Obligatio restituendi ob damnum in bonis famae:*** 3. Damnificatio in fama.
C. A. §. 1330. Quoad restitutionem famae laesae haec valent: Principia:

a) *Iniquus laesor famae tenetur tum restituere famam injuste laesam, tum reparare alia damna temporalia ex diffamatione secuta et aliquo modo praevisa;* uti e. g. dum diffamatus munere suo dejicitur etc. Et bene notandum est, obligationem restituendi famam esse *personalem;* obligationem vero reparandi damna, quae ex diffamatione orta sunt, esse *realem* illamque proinde transire ad haeredes.

Porro juxta veriorem sententiam tenetur ad restitutionem famae non solum apud auditores *immediatos*, sed etiam apud *mediatos,* in quantum possibile, si nempe talis divulgatio praevisa fuit, et si auditores immediati restitutionis officio defuturi existimantur.

b) *Restitutio famae alio modo facienda est a calumniatore, ac a simplici detractore.* Et quidem *calumniator* tenetur dicta retractare, etiam cum juramento, si necesse sit; imo cum jactura propriae famae, si aliter reparatio fieri nequeat; sique publicatis libellis crimen falsum proximo imposuit, pari modo palinodiam canere debet. — *Detractor simplex* non potest quidem crimen, quod inique manifestavit, postea denegare, quia mentiretur; attamen tenetur infamati famae per alia media prospicere, e. g. de eo honorifice loquendo, ejus naevos excusando, dotes vere bonos laudando; vel etiam dicendo: se male

locutum esse, se *errasse*, non enim hi solum errant, qui a veritate, sed etiam qui a rectitudine recedunt. — Sed diffamator non tenetur famam pecuniis compensare, si eam restituere nequeat, saltem probabilius, quia pecunia non est aequivalens famae ablatae, ut dicit s. Alphons., qui tamen subdit: „Monent autem communiter Doctores, quod si infamator sit dives, et infamatus pauper, tunc ei *ex aequitate* compenset infamiam cum aliqua pecunia."

Causae excusantes a restitutione famae:

c) *Ab obligatione famam restituendi potest justa causa excusare*, et quidem sequentes causae excusant:

α) Impotentia physica et moralis.

α) *Impotentia physica et moralis;* uti si cum auditoribus, coram quibus detraxisti, nec verbo, nec scripto convenire possis; aut famam reparare nequeas sine damno longe graviori, quam est illud diffamati.

β) Inutilitas.

β) *Inutilitas,* ut si diffamatio jam deleta est sententia judicis aut communi cordatorum judicio; vel si detractio ita oblivioni mandata est, ut ejus reparatio aut recordatio censeretur injuriosa; vel si postea facta est justa criminis publicatio, e. g. per sententiam judicis; vel si reparatio famae alio modo jam facta est, e. g. probitate vitae.

γ) Justa compensatio

γ) *Justa compensatio,* si nempe mutua fuit et aequivalens infamatio, renuente uno ex detractoribus reparationem, potest probabilius alter (non tamen ex vindicta) restitutionem differre, donec alter tandem paratus sit ad satisfaciendum.

δ) Praesumpta condonatio.

δ) *Prudenter praesumpta condonatio infamati,* qui possit cedere juri suo; quoties nempe infamatio ipsum solum attigit, nec reparatio requiritur, sive ad vitandum scandalum, sive ad munus suum implendum. Secus si diffamatio redundet in alios, aut cedat in damnum spirituale vel temporale proximi.[1])

4. Damnificatio in honore.

4. ***Obligatio restituendi ob damnum in bonis honoris:*** Hic sequentia sunt observanda:

Principia:

a) *Qui aliquem contumelia affecit, tenetur ei restituere honorem, aliaque damna exinde secuta et in confuso saltem praevisa, resarcire.* Patet ex dictis de justitia.

b) *Modus autem restituendi honorem pendet tum ex indole injuriae, tum ex laedentis laesique conditione.* Unde:

α) Honor *publice* ablatus, publice etiam reparari debet e. g. veniam ab eo petendo coram iis, qui testes fuerunt contumeliae, aut ita saltem, ut satisfactio innotescat aliis. Sufficit autem, ut haec per aliam personam fiat. — Honor per *occultam* contumeliam laesus, occulte reparari potest. Ita s. Alphons.

β) *Triplicem satisfaciendi rationem communiter assignant,* scil. *ubi superior subditum offendit,* plerumque sufficit amica salutatio, exhibitio benevolentiae etc. — *Ubi offensio fuerit inter aequales,* offenso signa honoris solitis majora ex-

---

[1]) Cfr. s. Alph. L. III. H. A. XI. 18. Prax. Conf. n. 45. etc.

hibeantur; — demum *si inferior superiorem offendit*, vix non semper humilis deprecatio veniae requiritur. Imo si laesio nonnihil major fuit, haec deprecatio etiam inter aequales petatur. Superiores tamen nunquam tenentur a subditis veniam petere, „ne, dum nimia servatur humilitas, regendi frangatur auctoritas,“ ut s. Augustinus dicit.[1])

a) *A restitutione tamen honoris excusatur dehonestator:*

α) Si offensus prudenter praesumatur, quod jam remiserit offensam; aut si recuset publicam satisfactionem, ne novo robore perfundatur, quo in casu sufficit eum alio modo honorare.

β) Si offensus jam ultus fuerit injuriam sibi illatam; aut si jam publice a judice in offenserem poena sufficienti ad reparandum honorem sit animadversum. Ita s. Alphons.

5.Damnificatio per negligentiam in officio.

5. ***Obligatio restituendi ob damnum ex negligentia in officio.*** Negligens vel imprudens in implendo officio suo potest teneri ad restitutionem, *vel ex injusta acceptione*, vel *ex damno illato in bonis sive fortunae sive animae.* Unde haec sunt observanda:

Principia:

a) *Ex injusta acceptione* tenentur ad restitutionem omnes stipendiati, qui sui muneris obligationes non impleverunt, uti e. g. Episcopi, Canonici, Parochi, Beneficiati, Judices, Advocati, Medici, Magistratus, Professores, Magistri etc. Catechismus Romanus dicit: „Illi quoque in furum numero reponendi sunt, qui, cum ad privatum aliquod vel publicum officium conducti sunt, nullam vel parvam operam navantes, munus negligunt, mercede tantum ac pretio fruuntur.“[2])

b) *Ex injusta damnificatione* tenentur ad restitutionem quicunque, sive ob stipendium, sive sine stipendio, munus aliquod susceperunt, et alicui per incuriam graviter culpabilem damna intulerunt. Ratio est, quia suscipientes, etiam sponte, aliquod munus, se obligant, saltem implicite et quasi-contractu, ad illud cum ordinaria diligentia subeundum. Ita s. Alphons.

Computatio damnorum in his et similibus casibus debet fieri secundum aestimationem prudentum.

6. Damnificatio in tributis.

6. ***Obligatio restituendi ob tributa defraudata:*** Tributum seu vectigal, generice sumptum, est omne id, quod a legitima potestate imperante civibus solvendum imponitur, ad sustinenda communia reipublicae onera. — Tributa sunt duplicis generis: *directa,* quae alicujus bona vel personam afficiunt; hujusmodi sunt tributa *realia,* quae super agros vel domos imponuntur, et *personalia* vel *mixta,* quae super personae industriam, vel divitias mobiles imponuntur, et alia similia; — *indirecta*, quae immediate cadunt in quandam actionem circa certas res, et mediate in personas, quae illas actiones exercent, puta, quae illas vel vendunt, consumunt, introducunt, talia sunt *vectigalia*, seu pecuniae solvendae pro invehendis rebus in provinciam; *accisum*, seu quod solvendum est a vendente vinum, carnes etc.; *pedagium*, quod

[1]) Epist. 211. (al. 109.) n. 14. [2]) De VIII. Praecepto n. 9.

praestandum est a transeuntibus per viam vel pontem; ad haec revocantur *taxae*, quae persolvendae sunt e. g. pro jure successionis haereditatis etc.

Ad justi tributi impositionem, praeter legitimam potestatem, tres requiruntur conditiones, nempe: *justitia causae, proportio tributi,* et *aequalitas in personis.* — Jam satis constare videtur, leges, quae tributa *justa* subditis imponunt, *generatim* spectatas non esse mere poenales, uti patet ex verbis Christi: „Reddite ergo, quae sunt Caesaris, Caesari,“ et ex verbis Apostoli ad Romanos.[1]) Unde etiam Catechismus Romanus rapacibus eos accenset, qui tributa, vectigalia et reliqua hujusmodi non dissolvunt, aut intervertunt et ad se transferunt.[2])

Ceterum haec quaestio non videtur generali regula solvenda; pendet enim ex mente legislatoris, et ex interpretatione usuali, quae pro variis temporibus ac locis, imo pro variis tributis, *variari* possunt. Quoad *tributa realia* quidem omnes consentiunt, illa solvenda esse in conscientia etiam ante judicis sententiam. — An vero alia tributa, sive directa, sive indirecta, sint in conscientia solvenda, et proinde restituenda, si defraudata fuerint, maxime controvertitur. Unde admonendi quidem sunt populi, ut tributa solvant; sed *post factum* non sunt cogendi ad restitutionem „si probabiliter sibi suadeant, in tanta vectigalium multitudine se aliquid injustum solvisse, vel competenter contribuisse ad publicas necessitates“. Ita s. Alphonsus cum Lugo et Molina, quibus consonant multi alii.

Damnandi tamen sunt: *tum qui vectigalibus exigendis praepositos mediis injustis,* scilicet muneribus, promissionibus, metu etc. *corrumpunt,* ne officio suo fungantur; peccant enim contra justitiam commutativam ratione cooperationis, et ad restitutionem tenentur; — tum *qui violenter resistunt ministris vectigalia exigentibus;* hi enim peccant contra obedientiam, et etiam contra justitiam commutativam; si sua violentia damnum inferunt; — tum *qui per fas et nefas defraudationem velut commercium quoddam exercent,* atque animo resistendi etiam armati diu noctuque vagantur; hujusmodi enim homines fiunt cives rebelles, et societati perniciosissimi.

Generatim peccant etiam contra justitiam commutativam praepositi, quoties tributum non exigunt, et quidem graviter in materia gravi, vi contractus. — Excipiunt tamen plures, si praepositi vectigalibus exigendis quandoque mitius agant in re levi, praecipue cum pauperibus, vel etiam cum iis, qui alias diligenter solvunt.

An peccent et ad restitutionem teneantur importantes merces prohibitas, e. g. tabacum externum etc. *quoad peccatum controvertitur,* alii affirmant, alii negant, quia istae leges ex sensu communi habentur uti mere poenales; *quoad restitutionem vero communiter negant,* quia nullius jus strictum laedunt, neque principis, neque privati alicujus.

7. Damnificatio occasione militiae.

7. ***Obligatio restituendi ob damnum occasione militiae illatum.*** Hic notatu dignissima sunt sequentia:

---

[1]) XV. 3. [2]) P. III. l. 8. n. 10.

a) Milites in bello, sive justo, sive injusto tenentur de omnibus damnis, quae per *privatam* actionem, e. g. per furtum, intulerunt. — In bello autem, *quod sciunt injustum*, singuli tenentur *pro rata proprii influxus* de damnis ab ipso exercitu illatis. Ita per se. Sed ordinarie excusantur, sive propter ignorantiam, sive propter metum gravioris mali, si obedire renuerent, sive tandem propter physicam aut moralem restituendi impotentiam. Principia:

b) Principes et duces tenentur primario et in solidum de *toto damno* per exercitum illato, quia ipsi fuerunt vere mandantes, vel saltem quia non impediverunt actionem damnificativam, ad quod ex officio tenebantur.

c) Milites, qui sorte ad militiam designati, ab hac se subtrahunt, vel exemptionem sine veris causis obtinent, juxta sententiam communiorem peccant quidem contra justitiam legalem, non vero commutativam, unde ad restitutionem non tenentur; soli enim milites mercede conducti tenentur vi justitiae commutativae ad militiam.

d) Milites conscripti *desertores* ad castra redire tenentur, idque ex obedientia, et vi juramenti, quo se obligaverunt ad militiam per tempus a lege praescriptum. — Excusantur tamen: si bellum sit certe injustum, tunc enim tenentur aufugere, si possint; vel si grave salutis periculum offenderent, e. g. si media confitendi non suppeterent in articulo mortis etc.; vel si redeuntes morte, aliisve poenis gravissimis plectendi forent.

e) Illi milites, qui se locaverunt pro aliis, et deinde militiam deseruerunt, *per se* restituere tenentur pretium acceptum, quia pacto non steterunt; et reparare damnum praevisum, si ille, pro quo se quispiam locaverat, militiam subire cogatur. Quodsi nullum damnum nullumque periculum hujusmodi incurratur, non videtur arguenda restitutio; quia conductor pacto nihil intendit, nisi suam libertatem; si igitur liberatio subsistat, conductus non committit injustitiam, nec pactum proprie frangit.

f) Juvenes, qui militiam callide declinant, e. g. mendaciis, praevia mutilatione etc., probabiliter non tenentur restituere, neque gubernio, neque aliis alicubi vices eorum supplentibus, quia non constat, praefatas artes esse simul injustas et per se efficaces ad inferendum illis damnum.

g) Qui magistratus vel medicos largitionibus corrumpunt, ut ab eis inhabiles declarentur, tenentur ad restitutionem ceu formalis injustitiae cooperatores; excitant enim efficaciter publicos officiales ad inferendum damnum injustum alteri, cui proinde, si cognosci possit, restituendum est; hoc tamen non valet, si omnes juvenes habiles ad militiam conscribuntur, uti nunc communiter fit, quia in tali casu nulli fit injuria.[1])

---

[1]) Cfr. s. Alph. L. III. Reiffenstuel tr. 9. d. 5. Müller §§. 152.—157. Marc II. n. 951.—975. Delama n. 385.—400.

§. 71. Restitutio ab injusto cooperatore facienda.

Cooperatio ad damnum proximi novem modis fieri potest, quos recenset s. Thomas[1]) sequentibus versiculis:

Jussio, consilium, consensus, palpo, recursus,
Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

Sex priores sunt positivi et directi, tres posteriores concurrunt negative et indirecte. Nunc de singulis seorsim.

I. Cooperatores positivi.

I. ***Cooperatores positivi*** illi dicuntur, qui aut moraliter movent alium ad inferendum damnum, aut physice cum alio in damnificatione participant. Sex numerantur, ut dixi:

1. Mandans.

1. ***Mandans seu jubens;*** *dicitur ille, qui alterum inducit, ut suo nomine damnum inferat proximo.* Mandatum datur vel *expresse* vel *tacite,* verbo nimirum vel facto, quo quis alicui significat, sibi gratum fore, si damnum inferat. Sic Henricus II. rex Angliae, tacite mandavit occisionem s. Thomae Cantuariensis. — Hinc observandum:

Principia:

a) Mandans tenetur reparare damnum injustum vi mandati proximo illatum, et saltem in confuso praevisum. Ratio est, quia est causa efficax et culpabilis damni injusti, qui enim aliquid facit per alium, per se facere censetur. Secus autem si damnum suo nomine, vel in sui gratiam illatum, postea tantum approbet. Ita s. Alphonsus.

b) Mandans tenetur de damnis, quae mandatario ob mandati executionem obveniunt, si illum per fraudem, vim aut metum gravem adegit, et damna secutura saltem in confuso praevidit. — Secus probabiliter, si mandatarius sponte, vel mercede conductus, in se suscepit mandati executionem, quia tunc ipse omnia pericula in se suscepisse videtur. Ita Lacroix, Gousset, Scavini, Kutschker et alii.

c) Mandans vero ad nihil tenetur in sequentibus casibus:

α) Si mandatum revocaverit, idque mandatario innotuerit ante executionem mandati; quia per revocationem extinguitur mandatum; unde si mandatarius damnum inferat, id proprio nomine propriaque voluntate agere dicendus est. Ita s. Alphonsus.

β) Si mandatarius ex errore evitabili alium damnificaverit, e. g. si jussus occidere Petrum, occidit Paulum.

γ) Si damnum evenerit ex eo, quod mandatarius mandati limites sponte excesserit; excipe tamen, si non fuerit in potestate mandatarii, fines mandati servare. Hinc Bonifacius VIII. irregularem declaravit, qui mandat verberationem, si mandatarius fines mandati excedens, mutilet vel occidat.

2. Consulens.

2. ***Consulens;*** *ille vocatur, qui suasione, hortatu, precibus, promissis, blanditiis alium movet ad damnum proximo inferendum.* Consilium aliud est *doctrinale,* si consulens de alicujus actus justitia

---

[1]) 2. 2. q. 62. a. 7.

aut injustitia, bonitate vel malitia sententiam proferat; aliud *impulsivum*, quo alius impellitur ad damnum inferendum; et dicitur *nudum*, si fiat mere suasione, precibus etc., nullis additis motivis; vel *vestitum* seu *qualificatum*, si motiva addantur, ostendendo e. g. rei utilitatem, vel modum occultum damnum inferendi etc.

Ceterum consilium nocivum, de quo solo hic agimus, potest injuste nocivum esse tum ei, cui datur, tum alteri, contra quem datur. His praenotatis jam quoad consulentem haec principia valent: Principia:

a) *Consulens tenetur reparare damna per executorem illata, si huic dedit consilium injustum, efficax et graviter culpabile.* Innocentius XI. hanc propositionem 39. damnavit: „Qui alium movit aut inducit, ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem istius damni illati.“ Unde sequentia fluunt corollaria:

α) Consulens ad nihil tenetur, si damni executor jam erat determinatus ad damnum aeque bene et eodem modo inferendum, quia non est causa efficax damni. Secus autem, si executor consilio motus est, licet postea ex sese vel alterius consilio eodem modo damnum intulisset; quia de facto prioris consilium influxit in damnum; item si executor etiam a consilio motus fuerit, quia tunc consulens est efficax concausa damni. Ita communiter cum s. Alphonso. — In dubio vero, an consilium fuerit causa efficax damni, consulens probabilius ad nihil tenetur. S. Alphonsus. Corollaria.

β) Si quis consilio suo causa tantum fuit *majoris* damni illati, quam absque tali consilio illatum fuisset, non tenetur de toto, sed tantum de damni excessu.

γ) Qui alteri, jam determinato ad damnum proximo inferendum, suasit tantum *modum*, non tenetur ad restitutionem, si modus fuerit mere accidentalis, uti sunt communiter circumstantiae temporis, loci et medii etc. Secus si modus in ipsam substantiam aliquatenus redundaverit, e. g. si auxerit damnum, si ex incerto illud reddiderit certum.

δ) Consulens, ut damnum *citius* inferatur, ad restitutionem non tenetur, si certus sit, alterum jam determinatum esse ad malum, nec pravum animum esse mutaturum; aliter in alia hypothesi. S. Alphonsus.

ε) Qui suasit alicui *minus malum* ad majus malum avertendum, quod alio modo averti non poterat, ad restitutionem non tenetur, modo damnum sit circa eandem personam; quia tale consilium ipsi proficuum potius, quam nocivum est. — Hoc vero juxta sententiam probabiliorem non valet, si de alia persona eaque determinata agatur, de qua damnificator non cogitabat, quia haec rationabiliter invita merito censetur; excipe si haec persona determinata deberet ex caritate hoc minus malum pati, ad avertendum damnum proximi gravissimum. Ita s. Alphonsus. — Econtra ad restitutionem obligari non potest, qui e. g. alicui suasit, ut damnum in bo-

nis fortunae divitibus (in genere) potius, quam homini egeno inferat.

b) *Consulens generatim et per se non tenetur de damnis, quae illi ipsi, cui consilium dedit, obveniunt;* quia scienti et volenti non fit injuria. *Excipe tamen,* si consilium dolose datum fuerit, ad hoc nempe, ut petenti consilium damnum obveniret; vel si consulens adeo executorem circumvenerit fraudibus vel sophismatibus, ut hic ad consilii iniquitatem non adverterit; vel denique si consilium fuerit doctrinale, et consulens affectet peritiam, qua caret. In his enim casibus habetur deceptio et damnosa injuria, ex qua oritur obligatio restituendi. Ita s. Alphonsus.

c) *Qui ex ignorantia graviter culpabili dedit consilium doctrinale, proximo nocivum, tenetur de damno inde secuto, si ex suo statu vel officio egerit, veluti e. g. confessarius, medicus aut advocatus;* et quidem tenetur de damno tum erga petentem consilium, tum erga eum, contra quem consilium datur; ratio est, quia societas jus habet, ut ille scientia polleat muneri suo convenienti. — Si vero consulens non sit talis, qui ratione sui muneris peritiam praeseferat, ut est mulier, plebejus, ad nihil tenetur erga petentem consilium, nisi dolose egerit. Obligatur tamen erga tertium, qui inde damnum passus est, si propriam imperitiam noverit, et illud damnum saltem in confuso praeviderit. Ita s. Alphonsus.

d) *Qui bona fide alteri dat consilium impulsivum damnosum, vel ignorantia aut errore inculpabili consilium doctrinale nocivum, cognita veritate id retractare tenetur,* et quidem ex justitia, si absque graviori incommodo fieri possit. Quodsi culpabiliter neglexerit, tenetur de damno, quod ex neglecta consilii revocatione oritur. Ita s. Alphonsus.

e) *Qui consilium ante damni executionem serio revocavit, ab obligatione restitutionis liberatur.* Hoc saltem valet, quatenus de consilio *nudo* agitur. Nam quoad consilium *vestitum* seu qualificatum controvertitur. Hoc nimirum consilium id sibi peculiare habet, ut, quamvis revocetur, pravo tamen suo effectu difficilius privari possit. Nihilominus complures Theologi sat probabiliter censent, eum quoque, qui consilium qualificatum omni meliori et possibili modo, etiam per motiva religiosa, retractaverit, ab obligatione restitutionis excusari posse; quia damna post talem retractationem illata, jam non consulenti, sed alterius potius perversitati imputanda veniunt. — Quodsi consulens executorem ab inferendo damno avertere non possit, tenetur ex justitia monere laedendum, ut sibi caveat. Ita s. Alphonsus.

3. Consentiens. 3. ***Consentiens:*** hic intelligitur ille, qui externa approbatione, i. e. injusto suffragio, voto vel sententia, est causa alterius damni. Huc veniunt illi, qui communi consilio aliquid decernunt vel faciunt; item *consiliarii, deputati, senatores, judices* etc., qui ad leges vel sententias edendas, ad officia distribuenda etc. positive concurrunt. — Eorum suffragium est vel *consultativum,* vel *decretorium,* prout

datur per modum consilii tantum, vel per modum sententiae, vi cujus executio fieri debet. — Unde haec sunt tenenda: **Principia:**

a) Consentiens, voto mere *consultativo,* ad restitutionem tenetur *sicut consulens,* i. e. quatenus Superiorem vel alium certo et efficaciter induxerit ad inferendum injustum damnum. Hoc autem ipsi innotescere potest ex circumstantiis, e. g. si sciat, Superiorem suo voto omnino, vel partim motum fuisse.

b) Consentiens voto *decretorio,* tenetur ud restitutionem sicut mandans, i. e. quotiescunque et quatenus scienter ac libere dedit consensum efficacem in damnum injustum proximi. Ratio est, quia in hoc casu decretum damnificans exurgit ex omnibus suffragiis efficacibus seu ad validitatem decreti necessariis; unde quisque tenetur *pro rata et in solidum,* ut infra explicabitur. *Hinc de damno non tenetur:*

α) Qui bona fide tulit suffragium injustum; sed hic, errore detecto, tenetur, si potest, et quidem ex justitia, suum votum revocare.

β) Si suffragium, etsi injustum et culpabile, non influxit in damnum; e. g. quia datum est expleto jam numero votorum necessariorum; vel quia authentice revocatum est tempore opportuno.

γ) Si seclusa fraude impedivit alium per suum votum a consecutione boni, ad quod ille jus strictum non habebat.

δ) Si ex odio — ergo affective quidem — damnum alterius intendit, in quod tamen efficaciter non influit.

Econtra vero de damno injusto tenetur:

α) Si fuerit ex primis suffragantibus, quorum suffragia erant necessaria ad rem definiendam, etsi praeviderit non defuturos alios, qui consentirent.

β) Si fuerit quidem ex ultimis seu ex superfluis, sed dederit injustum suffragium ex praevia conventione seu conspiratione; quia tunc omnium est actio unica moralis.

γ) Si suffragatio facta est secrete; quia tunc ignoratur, quinam prius vel posterius suffragium injustum tulerit.

δ) Si eodem tempore cum aliis, per modum unius dederit suum votum, e. g. per acclamationem, vel si stando, sedendo etc. simul signum consensus datur.

ε) Si numerus *excessivus* est, qui determinet alios cooperatores, ut actionem damnosam compleant et efficacem reddant, aut, ne sua suffragia retractent.

ζ) Si ii, qui accedunt ad numerum jam completum, causa sunt, cur alii, qui *injuste* abfuerunt, se a restitutione immunes judicare possint; quod si accidit, singuli eorum, qui ita causa sunt, *pro rata* restitutioni obnoxii sunt.

Quoad illum, qui dubitat, utrum suum suffragium fuerit ex prioribus et necessariis, vera sententia docet, illum teneri ad restitutionem, sicut ceteros *pro rata,* et aliis non restituentibus, *in solidum;* quia saltem suo suffragio deterioravit jus, quod damnificatus habebat ad exigendam restitutionem damni

ab alio suffragium praebente, rem nempe incertam reddendo. Unde minime dubium est, quin sit aliquo modo concausa totius damni. Ita s. Alphonsus.

c) *Qui non-dando suffragium causa injusti damni fuit*, tenetur — licet post eos, qui positiva causa sunt, — ad damnum reparandum, quando ex officio obligabatur ad damnum, de quo agitur, praecavendum. Unde non tenetur:

α) Qui ex justa causa absens erat.

β) Ille, cui ex mero privilegio et favore suffragium competit.

γ) Qui utcunque non ex justitia obligabatur ad damnum illud avertendum, etsi absentia contra caritatem fortasse deliquerit.

Ultimo notandum, quod consentiens, qui ad restitutionem non tenetur praecise vi suffragii decretorii, e. g. quia fuit unus ex ultimis suffragantibus, potest teneri ex alio titulo, nimirum vel qua *consulens*, si nempe futurum praeviderit, ut Superior vel Princeps, vel coetus legislativus superior, magno superfluorum suffragiorum numero moveretur ad adprobandam iniquam legem vel sententiam, quae aliter non fuisset approbata; — vel qua *non obstans*, si cum suo voto contrario damnum impedire potuisset, et ex justitia debuisset.

4. Palpo. 4. ***Palpo:*** est ille, qui laude, adulatione, exprobratione ignaviae, aliterve alium ad inferendum damnum incitat. Generatim palpo iisdem omnino obligationibus obnoxius est, ac consulens; talis enim cooperatio est quoddam genus consilii qualificati. Nec requiritur, ut damnum intendat; sufficit, ut sciat, se in damnum efficaciter influere. Hinc e. g. qui homini injuria affecto ita repraesentat hujus injuriae magnitudinem, ut ille hoc commotus vindictam sumat, restituere tenetur, modo damnum saltem probabiliter secuturum adverterit.

Qui vero post damnum perpetratum id approbat, laudat, per se restitutioni faciendae obnoxius non fit; attamen obnoxius fieri potest, quatenus haec approbatio aut ad nova damna alterum commovet, aut ad damnum illatum non resarciendum efficaciter determinat. In dubio de influxu efficaci, idem valet, quod de consulente dictum est.

5. Recursus. 5. ***Recursum praestans;*** dicitur ille, qui praebet alteri securitatem, opportunitatem aut protectionem ad damna aliis inferenda. Hic ad restitutionem tenetur, quando est causa efficax damni injuste illati. — Hinc ad restitutionem tenetur, qui furi praebet receptaculum, instrumenta ejus abscondit, vel res ablatas accipit; quia fur per haec animosior fit vel ad furta iteranda, vel ad ea non restituenda, quae rapuit. Hoc tanto magis valet de eo, qui furi in ipso furto securitatem praestat, veluti observando et monendo, si forte alii advenerint, qui delictum animadvertant, illudque impedituri sint. — Similiter ad restitutionem tenentur mercatores, et caupones, qui a filiisfamilias pecunias aliasve res parentibus surreptas, in pretium mercium aut compotationum acceptant, vel easdem occultant; hoc enim est furta fovere.

Tamen inter receptantes restitutioni obnoxios *numerandi non sunt*, qui malefactores domi recipiunt, non qua malefactores, sed qua amicos aut consanguineos, nec qui eos sub spe emendationis occultant, aut viam eis demonstrant, qua fugere possint, si ad carcerem aut necem quaerantur, dummodo tali agendi ratione non influant in furta futura, dando spem refugii in posterum. Idem dicendum est de illis, qui ex metu gravis damni furem recipiunt, e. g. ne domus comburatur, si id eo praecise animo fiat, ut damnum imminens avertatur. — Attamen qui ita furem protegat, ne omittat ipsum hortari, ut damnum illatum domino reparet.

6. ***Participans;*** duplex distinguitur: alius in *praeda*, seu in re injuste ablata; — alius in *actione damnosa et injusta*. *Participans in praeda* tenetur ad restitutionem sicut possessor rei alienae, de quo jam diximus. *Participans in actione damnosa* tenetur ut damnificator. 6. Participans.

Ad determinandam obligationem participantis in actione damnosa prae oculis habendus est diversus modus participationis seu physicae cooperationis, qui est vel formalis vel materialis; porro participatio esse potest vel immediata vel mediata, uti jam alibi dictum est. — Quocirca haec potissimum tenenda sunt: Principia:

a) *Qui formaliter cooperatur* cum alio in actione damnosa, concurrendo scilicet ad malam ejus voluntatem, tenetur semper ad restitutionem; ratio est, quia talis cooperatoris actio est stricte, efficaciter et formaliter injusta. Hinc e. g. tenetur ad restitutionem damno secuto, qui furi annuntiat horam ad furandum opportunam; vel qui latroni vel sicario terga servat, ut securius furetur aut occidat; item notarius, qui conficit instrumentum, vi cujus petitur usura etc. Lacroix.

b) *Qui vero solum materialiter cum alio ad illationem damni concurrit*, potest excusari a peccato et a restitutione, si nempe agat ex necessitate, vel ex causa justa et proportionata absque pravo nocendi animo; seu si tam gravis est metus, quem patitur, ut secundum principia de cooperatione mediata vel immediata illa participatio in damnum tertii licita evadat.

Ut autem haec cooperatio licita sit, haec servari debent:

α) *Nunquam licet immediate in nece alterius cooperari.* Sed si habeo apud me depositum pugionem, quem dominus repetit a me inimicum occisurus, reddere possum, si alias ipse periculum vitae subeam, quia cum aequali damno meo non teneor alterius vitam protegere; idque satis *certum* est ex s. Alphonso[1]) et Lacroix.[2]) — Quare quum s. Doctor alio loco[3]) contrarium dicere videatur, id intelligi debet de dando pugione *meo;* quamquam etiam hoc alii pro licito habent ex ratione *sane gravi,* quod hanc cooperationem materialem, neque omnino proximam, alicui liceat praestare propter gravissimam causam propriae vitae servandae.

---

[1]) L. III. n. 571. et 697. [2]) L. II. 265. [3]) H. A. tr. 10. n. 56.

β) *Nemini licet, immediate in alterius vulnerationem, mutilationem influere,* nisi ut ab illo ipsam mortem avertat.

γ) *Probabiliter illicitum non est, immediate cooperari in damnis tertio inferendis in bonis fortunae, si fiat ob gravissimam causam,* e. g. ad mortem propriam vel simile malum evadendum; neque constat, tunc cooperatorem restituendis damnis obnoxium fieri. Ita s. Alphonsus n. 571.

δ) *A fortiori ad damnum bonorum fortunae inferendum cooperari licet ex causa gravi quidem, sed non gravissima, si cooperans possit et velit damnum reparare;* aut damnum adeo magnum non sit, ita ut merito prae damno alias ipsi orituro possit sperni; aut damnum tertio inferendum per cooperationis omissionem nullatenus impediatur. Attamen, si cooperatio mea est causa efficax damni alieni, et ego solius damni in bonis fortunae a me avertendi gratia cooperor, id non possum, nisi habeam animum restituendi ex meis bonis. Ita s. Alph. l. c.

ε) *Remote vero cooperari* ad damnum in bonis superioris quoque ordinis efficiendum ex causa valde gravi vel gravissima pro diversis adjunctis licitum fieri potest: porro si licita est cooperatio, restitutionis obligatio plerumque fundamento caret. Ita Lehmkuhl n. 1011.

II. Cooperatores negativi.

II. ***Cooperatores negativi:*** sunt illi, qui ob culpabilem in proprio officio incuriam causa sunt, cur proximo damnum injuste inferatur. Hujusmodi sunt: *mutus, non obstans, non manifestans.*

1. Mutus.

1. ***Mutus*** dicitur ille, qui ante damnificationem tacet et non monet, dum monere vel clamare tenetur.

2. Non obstans.

2. ***Non obstans*** ille dicitur, qui, dum infertur damnum, illud non impedit, et rem alienam non defendit, licet ad hoc teneatur.

3. Non manifestans.

3. ***Non manifestans*** vocatur, qui post illatum damnum, illud domino vel superioribus non denuntiat, quamvis teneatur denuntiare.

Principia.

De singulis cooperatoribus negativis eadem valent, et quidem sequentia:

a) *Praedicti cooperatores negativi tenentur de damno alieno, si illud* ***ex justitia impedire debuerint, moraliter potuerint, et culpabiliter omiserint.*** Dicitur:

α) *„ex justitia debuerint,“* i. e. ex officio, quod ortum habeat ex contractu vel quasi-contractu, e. g. si stipendium ad hoc acceperint, vel negotium ex pacto, aut etiam sponte in se susceperint; in hisce etenim casibus proximus habet jus strictum, ut res sua custodiatur, defendatur, etc. cum intercedit justitia commutativa; dicitur porro:

β) *„si moraliter potuerint,“* i. e. cum efficacia et absque nimio incommodo, respectu habito ad gravitatem damni impediendi, ad stipendium acceptum etc. juxta aestimationem prudentum; dicitur demum:

γ) *„et culpabiliter omiserint,“* quia sine culpa theologica nequit esse obligatio restituendi, uti jam saepius dictum est. — In dubio de culpa theologica valent supra dicta.

Unde ad restitutionem tenentur:

α) *Magistratus, belli duces,* qui culpabili negligentia non impediunt damna a furibus, latronibus, militibus, feris etc. causata; item tutores et administratores bonorum non impedientes damna pupillis, minoribus etc. obvenientia. Ita s. Alphonsus.

β) *Custodes vinearum, silvarum, agrorum, piscinarum etc.*, qui damna imminentia non impediunt, vel facta non manifestant, quia ad damna impedienda stipendium accipiunt. Excipe, si agatur de rebus levioris momenti, pro quibus ex consuetudine et praesumpta domini voluntate sufficit secreta admonitio. Lessius.

Attamen ad *mulctam* compensandam probabilius non tenentur; quia custodes conducti sunt ad dominos indemnes servandos, non vero ad eos ex mulcta ditiores reddendos; praeterea sic etiam praxis habet.

γ) *Consiliarii et canonici,* tacentes et non impedientes injustam electionem; item suffragatores, qui vota ferre debent ex officio, et per omissionem votorum injustae sententiae non obstiterunt; secus autem si jus suffragii habeant ex privilegio seu mero favore. Lugo, Vogler etc.

δ) *Famuli,* qui ab illis rebus herorum, quae ipsorum custodiae specialiter commissae sunt, damnum non avertunt; quare si patiuntur eas a fure sive extraneo sive domestico auferri, heris suis tenentur de damno. Ita omnes. — Quoad alia bona herorum tamen famuli juxta sententiam satis probabilem, tenentur tantum ex caritate ab illis damnum avertere, nisi dominus famulum vel ancillam custodem, procuratorem, praepositum illorum bonorum constituerit.

Multi tamen putant, famulos teneri ex justitia damnum, quod ab extraneis infertur, impedire, non vero damnum, quod inferatur ab homine domestico, veluti a famulo sodali, alii tamen satis probabiliter utrumque negant.

Qui impedit *alium,* avertere volentem proximi damnum, tunc tenetur ad restitutionem, si alius ex justitia tenetur illud damnum avertere; vel si illum impedivit vi aut fraude adhibita.

b) *Qui vero non ex justitia stricta, sed ex sola pietate, caritate, legisve dispositione,* damnum alienum impedire debent, peccant quidem, si illud, citra grave incommodum, non impediunt; sed non tenentur ad restitutionem, nisi judicis sententia adstringantur. Ita communiter cum s. Alphonso. Unde concludes:

α) *Confessarius,* qui poenitentem *non monuit* de restitutione facienda — sive ex gravi negligentia sive ex ignorantia id omiserit — atque in causa est, cur dominus laesus indemnis non fiat, ad restitutionem non tenetur, siquidem consti- Corollaria.

tutus ex officio non est ad bona temporalia sive sui poenitentis sive aliorum protegenda. Est sententia communissima Theologorum. Excipiunt tamen, si poenitens confessarii silentium vel dissimulationem pro responso negativo habeat, quod praesumitur, si poenitens confessarium interroget, an e. g. in tali casu restitutio sit facienda; in tali etenim casu confessarius tacens censebitur tacite consulere, adeoque positive cooperari ad damnum tertii. Sporer.

β) *Pater*, *Superior*, *magister*, qui passus est, damnum a filiis, subditis etc. tertio cuidam inferri, quamquam peccavit, ad restitutionem tamen non tenetur, nisi damnum illatum fuerit a puero rationis nondum compote, aut nisi propter culpam juridicam sententia judicis secundum leges facta accessit; aut nisi silentio suo subdito animos addidit ad damnum inferendum, ita, ut silentium illud potius positivo influxui aequiparari possit et debeat, ac pro consilio, excitatione habeatur. Alioquin ob solum influxum negativum justitiam non laesit, cum habeat quidem curam *suorum*, non vero curam alienorum, qua ad eorum bona tuenda ex officio teneatur. — Secus dicendum, si pater, superior etc. ex speciali officio publico ista damna impedire debeat. Ita Scavini, Gousset etc. contra alios.

Nota: In foro externo ex jure austriaco restituere tenentur *custodes* mentecapti, imbecillis vel infantis; item *domini* et *mandantes* ob damnum illatum a persona priorum custodiae commissa, item a famulo, et mandatario ab hisce conducto. C. A. §. 1307.—1309.

γ) Ille, qui a fure sive damnificatore pecuniam accepit, ne ipsum furem impediat, denuntiet, ad restitutionem non tenetur, nisi ex officio debebat damnum impedire. Sed si a fure rem furtivam pro praemio seu mercede accepit, ex *possessione rei alienae* ad illam reddendam tenetur, secus praemium retinens contra justitiam delinquit. Contra caritatem autem delinquere potest, non tam retinendo, quam accipiendo praemium, nisi furem etiam ad furtum reparandum efficaciter moveat.[1])

§. 72. Circumstantiae restitutionis faciendae.

Circumstantiae, quae restitutionis obligationem magis explanant, potissimum hae sunt: quantum quisque restituere debeat et quo ordine, si plures concurrerunt ad damnum; cuinam restituendum sit; quo ordine compluribus satisfieri debeat; quo modo restitutio peragenda sit; quo loco et quando facienda sit.

---

[1]) Cfr. s. Alph. L. III. Reiffenstuel tr. 9. d. 5. Müller II. §. 140.—145. Marc II. n. 976 sqq. Lehmkuhl II. n. 1000.- 1014. Delama n. 332.—359. Staller II. tr. 9. §. 6.—9. Aertnys I. n. 318 sqq. Berardi, Praxis n. 423 sqq.

I. ***Quantum est restituendum?*** Quantitas restitutionis pensanda est partim ex quantitate rei acceptae, partim ex quantitate damni illati, partim denique ex proportione influxus seu causalitatis in injuriam proximo illatam sive rei acceptione, sive damnificatione. Duo priora per se patent; unde tertium tantum hic declarandum est, seu dicendum de *solidaritate*. I. Quantum restituendum sit.

Solidaritas, seu onus restituendi *in solidum*, est obligatio quandoque incumbens singulis cooperatoribus erga laesum, illi integrum damnum reparandi. Est vel *absoluta*, si quis tenetur *solus* totum damnum reparare, quin habeat jus se recompensandi ab aliis cooperatoribus; vel *conditionata*, si quis tenetur quidem aliis deficientibus totum damnum resarcire, sed cum jure se ab his recompensandi. Unde talis dicitur obligari *pro rata et in solidum.* — Obligatio restituendi *pro rata simpliciter* est onus, unicuique incumbens, reparandi illam tantum damni partem, quae suae cooperationi respondeat. Solidaritas.

Unde sequentia tenenda sunt principia: Principia:

1. Quicunque ex cooperatoribus extitit *causa principalis totius damni* (e. g. mandans) tenetur ad restitutionem *in solidum, absolute;* ceteri etenim cooperatores non fuerunt nisi ejus instrumenta, et quidquid ab his actum est, actum est in nomine et in favorem illius. Ita omnes.

2. Quilibet ex cooperatoribus secundariis, *concurrens ad totum damnum efficaciter*, tenetur ad restitutionem *in solidum conditionate;* nam ex una parte totum damnum ejus actioni adscribendum est; ex altera parte tamen idem damnum adscribendum est etiam aliis concausis. Hoc autem contingit in duplici casu:

a) Si ejus cooperatio, quamvis per se non sufficiens, *necessaria* tamen sit, ad totum damnum inferendum, ita nimirum, ut sine illius opera damnum non eveniret; e. g. si quis praebeat suffragium ad injustam sententiam necessarium; vel si duo cistam diversis rebus refertam surripuerunt, quam unus auferre nequibat.

b) Si cooperatio plurium fiat ex *conspiratione* stricte tali, qua damnificatores ita se excitant ad injustam actionem, ut singulis non concurrentibus damnum non eveniret; ut e. g. si plures ex tali conspiratione concurrunt ad exspoliandam domum, ad depopulandam vineam etc.

3. Qui *seorsim*, sine conspiratione et sine mutuo auxilio ad idem damnum inferendum contulerunt, tenentur singuli *pro rata parte* cooperationis, quia in hoc casu nullus eorum fuit causa totius damni; et hoc facile patet, si agatur de re divisibili, uti de thesauro auferendo. Si objectum damni dividi non potest, et actio cujuspiam sufficiens quidem, sed minime necessaria erat ad totum damnum inferendum, tunc probabiliter ille non tenetur cum aliis in solidum, quoties revera sine ejusdem concursu damnum totum evenisset, seclusa conspiratione. Hinc e. g. si cum aliis domum alienam incenderis, et isti te absente domum nihilominus incendissent,

teneris tantum damni partem compensare pro ratione influxus. Ita probabiliter Navarrus, Lugo et alii contra alios.

In dubio, an quis sua cooperatione in totum damnum influxerit, necne, restitutio in solidum non est urgenda, cum onus certum imponi nequeat pro obligatione incerta.

Ubi extat quidem obligatio restituendi in solidum, et unus cooperantium dubitat, utrum alii partem suam restituerint, probabilius ille, si facta inquisitione dubium perseveret, ad aliorum partes non tenetur, ex eadem ratione ut supra.

Prudenter observat s. Alphonsus, quod in praxi raro expedit, rudes obligare ad totum damnum reparandum, quamvis certo teneantur in solidum, quia non facile sibi persuadent, se teneri ad restituendam partem ab aliis ablatam seu destructam.

II. Ordo restituendi in solidum.

II. ***Ordo restituendi in solidum:*** Quoad ordinem restituendi in solidum, si talis obligatio existat, haec observanda sunt:

Principia:

1. Si plures ad damnum proximi *eodem modo* seu *in eodem gradu* cooperati fuerint, e. g. duo mandantes, duo consulentes, tenentur singuli aequaliter ad restitutionem, et quidem primo quilibet *suam partem*, et secundo *in solidum conditionate*, nempe si unus vel alter non possit, vel nolit suam partem restituere; ille vero, qui non restituit, illis, qui pro ipso restitutionem praestiterunt, partem suam refundere tenetur.

2. Si plures inaequaliter seu *diverso modo* ad damnum alienum concurrerunt (quia e. g. unus mandavit, alius consuluit, alius executus est) restitutionis ordo sequitur ipsos gradus concursus. — Sed distinguendum est, an restitutio praestanda sit propter *furtum*, vel an propter *injustam damnificationem*.

a) In restitutione *propter furtum* hic ordo servandus est: Primo loco tenetur *possessor*, qui rem in se vel in aequivalenti habet; „res enim clamat ad dominum;“ deinde *mandans* tenetur, quia est principalis auctor damni; idem dicendum est de *consulente;* deficiente mandante seu consulente, tenetur *executor seu raptor;* denique tenentur ceteri cooperantes, positivi et negativi.

b) In restitutione *propter injustam damnificationem* sequens ordo servandus est: Primo loco tenetur *mandans*, ut causa principalis; secundo loco tenetur *executor* damni, qui relate ad alios est causa principalis; tertio loco tenentur ceteri *cooperatores positivi*, quibus ultimo loco *cooperatores negativi* succedunt.

De consulente notandum est: si consilium *est utile soli consulenti*, hic mandanti aequiparatur, ideoque ipse tenetur primo, executor autem in ejus defectu; si *est utile soli executori*, hic tenetur primo, consulens vero in ejus defectu; si *est utile utrique*, uterque tenetur pro rata, et singuli in alteris defectu in solidum. Lacroix, Lugo.

Ex dictis sequitur:

a) Si causa principalis restituerit, causae secundariae ad nihil tenentur; si una ex causis secundariis restituerit, causa principalis eam indemnem facere tenetur.

b) Si causae principali condonatio restitutionis a domino facta est, ceterae quoque causae liberantur; at vero si dominus solvat ab obligatione causam secundariam, non ideo liberatur causa principalis; et si dominus unam causam secundariam solvat ab obligatione, non ideo etiam reliquae causae secundariae liberantur, nisi condonatio sit omnino plena, et qua talis merito haberi possit. Delama.

III. ***Cui restituendum sit.*** (C. A. 1301., 1302, 1424. sqq. C. poenal. §. 486.) Dominus laesus seu creditor, cui restitutio facienda est, potest esse vel *certus et cognitus*, vel *dubius*, vel prorsus *incognitus*, vel *talis, qui adiri non potest.* III. Cui restituendum.

Unde sequentia tenenda sunt principia: Principia:

1. ***Si dominus laesus certus et cognitus sit,*** huic ipsi restitutio praestanda est, aut ejusdem haeredibus, quippe qui in omnia jura defuncti succedunt.

Attamen ab hac ordinaria regula excipiuntur sequentes casus, scilicet:

a) Si res accepta fuerit e manibus tertii justi possessoris, e. g. a conductore, depositario, custode etc., huic tertio, non autem domino restituenda est, nisi ea probabiliter abusurus praevideatur cum domini injuria.

b) Bona ablata filiofamilias, pupillo vel prodigo uti tali declarato, restituenda sunt patri, tutori vel administratori.

c) Si dominus coactus est cessionem bonorum facere, generatim restitutio et debitorum solutio fieri debet administratori, publica auctoritate constituto. Quandoque tamen ipsi creditori, qui cessit bonis, restitui tuta conscientia potest, si hic in gravi necessitate versetur, et debito valde indigeat ad vitam ducendam; quia in eo casu, uti dicunt communiter Doctores, bonis cedens ea subducere potest, quae ipsi et familiae ad vitam sunt necessaria.

d) Quoties restitutio facienda est propter tributa defraudata etc. *per se* quidem aerario publico restitui debet, ut dicit Kutschker; attamen nunc sententia sat communis est, restitutionem fieri oportere in usus pios et in pauperes, non autem principi (vel potius aerario) aut subditis laesis, in quos proprie cadit damnum defraudationis. Nam aerario restituendi vix aliquid suppetit modus, nisi fors pro restituenda summa non adeo magna plagulae signatae emantur, et postea absque alio usu deleantur; subditi vero laesi in concreto determinari nequeunt. Ergo impendenda est pecunia juxta horum voluntatem rationabiliter praesumptam. Limitat tamen Gousset, nisi summa notabilis esset restituenda.[1])

2. ***Si dominus laesus dubius sit,*** i. e. si sciatur quidem, rem vel jus ad aliquem, vel ad aliquos cujusdam loci pertinere, sed post diligentem inquisitionem non innotescat, ad quem, vel ad quos peculiariter spectet, sic distinguendum est:

---

[1]) Cfr. C. Gall. 1240 sqq., Ital. 1242 sqq., Boruss. I. 16. §. 39. et 36.

a) *Si dominus dubius sit inter paucos,* e. g. inter tres aut quatuor, debet res vel pretium inter illos dividi, nec potest dari pauperibus, quia dominus non debet privari spe, quam habet recuperandi partem rei suae.

b) *Si dominus, vel pauci domini, qui certe defraudati sunt, sint dubii inter multos,* e. g. qui discerni nequeunt inter loci habitatores, restitutio non est necessario facienda incolis illius loci, sed sufficit, si fiat quibuslibet pauperibus, vel piis causis.

c) *Si multi domini incerti alicujus communitatis fuerint damnificati,* restitutio absolute facienda est hujusce laesae communitatis vel civibus, vel saltem pauperibus. Et quidem *civibus,* quando hoc moraliter possibile est, puta si mercator defraudaverit multos in pondere, mensura vel pretio, debet deinceps si possit sine infamia, augere pondus, vel minuere pretium, erga ementes ordinarios, qui defraudati praesumuntur. — *Pauperibus loci* vero accedente aliqua rationabili causa, puta si quis non possit restituere civibus sine aliquo notabili incommodo, vel si urgeat necessitas aliquorum valde indigentium, quibus praesumuntur cives illi non esse inviti restitutionem fieri. Ita s. Alphonsus.

3. ***Si dominus laesus sit plane incognitus,*** vel si cognitus quidem, moraliter tamen *adiri nequeat,* neque immediate, neque mediate per litteras aut per aliquem tertium, sic distinguendum est:

a) Si res accepta fuerit *bona fide,* puta si quis ex inculpabili errore acceperit majus debito, habenda est tamquam res casu inventa Quare si dominus, facta morali diligentia, reperiri nequeat, res retineri potest, quia pro derelicta habetur; et ita fert usus universalis.

b) Si accepta fuerit *mala fide* seu ex delicto, eroganda est juxta communem sententiam in eleemosynam, vel in alias causas pias pro salute domini, talis enim praesumitur domini voluntas. De hoc certo constat ex jure canonico quoad lucrum usurarium et simoniacum; et ita fert consuetudo generalis quoad ceteros casus.

c) Si accepta fuerit *dubia fide,* debet, perseverante post debitam inquisitionem dubio, partim impendi in causas pias, et potest partim retineri.

Ultimo adhuc sequentia notanda sunt:

α) Si, praetermissa debita diligentia ad inveniendum dominum, res erogata fuerit pauperibus, damnum domino postea comparenti resarciendum est. — Secus, si, spectatis omnibus circumstantiis, prudenter judicetur non amplius fore, ut dominus reperiatur; quia in hoc casu, pauper acquirit rei absolutum dominium, sine ullo restitutionis onere. Ita s. Alphonsus.

β) Si nullus ex dominis, sive cognitis, sive dubiis, graviter laesus fuerit, restitutio ipsis solum sub levi facienda est, ut patet; pauperibus autem vel causis piis, sub gravi; quia

grave est, ut supponitur, totum damnum communitati illatum. Ita s. Alphonsus.

γ) Si ipse fur vel damnificator sit pauper, potest ex prudenti aestimatione restitutionem pauperibus debitam sibi ipsi aut suae familiae applicare, licet hoc non sit faciendum propria auctoritate sine consilio confessarii, propter magnum periculum fraudis. Tunc autem, admonet Müller, debitori pauperi injungantur certae preces persolvendae, aliave pia opera peragenda pro salute domini.

IV. Quo ordine compluribus restituendum.

IV. ***Quo ordine compluribus creditoribus restituendum sit.*** Si debitor omnibus creditoribus satisfacere valet, nullus ordo in debitis solvendis necessario servandus est, uti patet; dummodo tempore suo omnibus solvatur; si vero impar sit omnibus satisfaciendo, tunc certus ordo servari debet. Et quidem praeprimis distiguendum est, utrum omnes creditores *jus aequale* ad solutionem habeant, an vero aliquibus relate ad alios *jus praelationis* competat.

Principia:

1. Si omnes *jus aequale* habeant, debitor bona sua inter omnes creditores juxta proportionem debitorum dividere tenetur, et prorsus iniquum foret, omnia solvere uni aut alteri cum damno aliorum. — Pauperes, nisi in extrema aut valde gravi necessitate versentur, non videntur anteponendi esse divitibus, quia jus divitis tam strictum est, quam jus pauperis, cum justitia commutativa ad personas non attendat. — Debita ex titulo oneroso, e. g. emptione, solvi debent ante debita ex titulo gratuito, e. g. promissionis. — Debita ex delicto, e. g. furto, probabilius non sunt praeferenda debitis ex contractu, neque debita priora debitis tempore posterioribus, nisi hypothecaria sint. — Probabilius creditores *certi* anteponendi sunt creditoribus incertis seu pauperibus, quibus eorum loco restitutio esset facienda. Lugo.

2. Si creditores ad solutionem *non habeant jus aequale*, ceteris praeferendi sunt ii, quibus jus fortius competit. S. Alphonsus hac de re animadvertit: „Servandum est jus particulare loci, si tale sit et non repugnet juri naturae.“ Jus austriacum, lege 15. Dezembris 1868, §. 26.—52., ex quibus pauciora decerpam, hunc ordinem statuit:

a) *Primo loco* res aliena, si apud debitorem adhucdum existat, domino reddenda est. Si res post apertum concursum alienata fuerit, pretium inde obtentum loco rei succedit.

b) *Secundo loco* veniunt debita bonis cessis inhaerentia, qualia reputantur expensae ob apertum concursum, ob conservationem et administrationem bonorum faciendae aliaque intuitu massae praestanda. Huc etiam pertinent tributa publica, durante concursu solvenda.

c) *Tertio loco* veniunt debita hypothecaria, in quantum hypothecaria sunt, servato temporis ordine, juxta illud: „Qui prior est tempore, potior est jure.“ Interesse, quod durante concursu vel ex ultimo triennio ab aperto concursu debetur, eodem

ordine cum sorte oppignorata venit. Idem de aliis praestationibus oppignoratis periodice recurrentibus valet.

d) *Quarto loco* succedunt reliqua debita, quae iterum in *quinque classes* distinguuntur, scilicet:

α) *Ad I. classem* spectant expensae pro funere debitoris; salarium ex ultimo anno ante apertum concursum famulitio (liberis haud exclusis) debitum, necnon ea, quae ex tempore unius anni medicis, chirurgis, pharmacopolis etc. debentur.

β) *Ad II. classem* spectant damna a patre, tutore aut curatore compensanda personis ipsorum curae commissis, quatenus scilicet damna ista ex culpabili bonorum administratione juridice tali provenerunt. Idem valet quoad debita, quibus personae, in munere publico constitutae, ratione muneris erga fiscum obstrictae sunt.

γ) *Ad III. classem* spectant debita communia, videlicet ea omnia, quibus alia classis expresse non est assignata.

δ) *Ad IV. classem* pertinent interesse aliaeque praestationes periodice solvendae, quibus idem ordo, ac sorti aut perceptionis juri non competit. Et hoc etiam valet, licet debita ista pignore sint munita, si pignus ad ea solvenda non sufficiat.

ε) *Ad V. classem* denique pertinent debita ex titulo gratuito descendentia, et mulctae pecuniariae.

Ita ex jure austriaco, quod in aliis regionibus hac in re praescribitur, videri potest in respectivis codicibus.

Cessio bonorum.

Ultimo adhuc nonnulla quoad *cessionem bonorum* notanda sunt, et quidem:

a) Debitor, qui statum suum labilem cognoscit, nec amplius spem probabilem habet ex fortunae angustiis se eripiendi, bona sua creditoribus secundum juris ordinem cedere debet. Unde culpandi sunt, qui in talibus circumstantiis cessionem differentes novum aes alienum contrahunt, sicque creditorum damnum in dies augent. Tanto magis peccant, qui ante cessionem bonorum pecunias seponunt et abscondunt, et postquam majorem partem bonorum occultaverunt, semet insolventes fingunt, atque creditores suos sub hoc obtentu miserrime decipiunt. Tales igitur per modum furis se habent, et adinstar possessoris malae fidei restituere tenentur. Attento jure naturali cessor bonorum ea quidem subducere licite potest, quae ad suam suorumque vitam sustentandam stricte necessaria sunt; sed hac in re caute procedendum, ne justitia violetur.

b) Debitor ad talem statum dejectus, ut omnibus creditoribus satisfacere nequeat, nullatenus potest pro lubitu suo facere solutiones, unum praeferendo alii, cui jus fortius vel saltem aequale ad solutionem competit. Debitor itaque integram solutionem uni praestando, cum praejudicio aliorum, contra justi-

---

[1]) C. Gall. §. 2095.—2113., Ital. 1952.—1963., Germania Lex 10. Februarii 1877 — item C. Gal. 2114.—2203., Ital. 1964.—2075.

tiam peccat. — Dixi, non potest *pro lubitu suo* solutiones facere; debitor enim solutionem praestare potest creditori, eam ante alios petenti. Et hoc quidem certum est, si creditor solutionem debiti in judicio petat; verum idem quoque probabilius valet, si creditor solutionem extra judicium petat. Quamvis autem debitor, qui solutionem debiti alicui creditori eam non petenti praestat, injuriam erga alios creditores committat, ipse tamen creditor, qui in tali casu solutionem sibi oblatam accipit, ad restitutionem erga alios creditores probabiliter non obligatur. Si enim solutionem absque injuria petere potest, injuriam haud committere videtur, si solutionem ipsi sponte oblatam accipiat ac retineat. S. Alphonsus tamen sententiam oppositam tenet. — Denique observandum est, in Cod. Austr. poenali §. 486., illum poenae reum declarari, qui solutiones adhuc facere pergit, dum jam advertit, se debitis supra facultates gravatum esse. Insuper Codex civilis §. 953. statuit, donaria in ejusmodi statu labili, cum damno creditorum facta, repeti posse, nisi a donatario bona fide jam fuerint alienata.

V. Quo modo restituendum sit.

V. ***Quo modo restitutio peragenda sit.*** Generatim requiritur et sufficit, ut jus violatum ex integro reparetur. Hinc:

Principia:

a) Non requiritur, ut restitutio *palam et advertente domino* fiat; sed fieri potest etiam *occulte*, et frequenter ita fieri debet, ut scil. fama restituentis salvetur.

b) Restitutio etiam *per simulatam donationem* fieri potest; in tali casu autem non licet accipere donum reciprocum a donatario, ex grato animo forsitan oblatum. An ille satisfaciat obligationi restituendi, qui debiti immemor aliquid gratuito creditori suo donat, controvertitur; cum tamen etiam sententia id affirmans sat probabilis sit (opposita est communior et probabilior) juxta s. Alphonsum restitutio non est urgenda, si debitor voluntatem restituendi antea habuerit, quia lex seu obligatio dubia est.

c) Non requiritur, ut debitor restituat *per se ipsum, sed per alium* quemlibet restituere potest, dummodo justitiae satisfiat. Unde confessarius non adeo difficilem se exhibeat in assumenda restitutionis executione, praesertim si timere debeat, debitorem obligationi suae defuturum esse, si ejusdem rogationi haud obtemperaverit. Attamen caute agat, tum ut sigillum confessionis illaesum maneat, tum ut poenitens certus reddatur, creditorem vere debitum suum recepisse, ne qua suspicio contra confessarii probitatem suboriatur.

VI. Quo loco restituendum.

VI. ***Quo loco restitutio praestanda sit:*** Distinguendum est:

Principia:

1. Possessor bonae fidei satisfacit, si rem eo in loco restituat, ubi eam modo possidet. Sufficit ergo dominum monere, ut rem suam recipiat, eaque, prout placuerit, potiatur. Si rem domino alibi versanti transmittat, expensas transmissionis non ipse, sed dominus rei ferre tenetur; similiter si res occasione transmissionis

pereat, domino seu creditori perit, si tamen absque culpa transmittentis pereat.

2. *Possessor malae fidei* et *injustus damnificator* restituere debent in loco, in quo dominus rem esset possessurus, si ablata aut damnificata non fuisset, idque suis sumptibus; quia dominus omnino indemnis servari debet. Unde si res domino transmissa casu vel culpa tertii periit, non domino, sed debitori perit, qui proinde eam domino compensare tenetur, quia semper remanet causa culpabilis damni. Excipe tamen, si dominus ipse aut judex certum transmittendi modum determinaverint, vel si dominus debitori reliquerit libertatem eligendi ad transmittendum personam, quam vellet, modo prudens et fidelis eligatur.

Si vero expensae transmissionis valorem rei longe superent (plus duplo, ut aliqui arbitrantur), tunc restitutio modo differri, vel pretium rei domino transmitti, et quando neque hoc facile fieri potest, res tribuenda est pauperibus ex praesumpta domini voluntate.

3. *Debitor ex contractu* stare debet legibus positivis et clausulis contractui appositis. Quod si de loco traditionis et de expensis transmissionis inita non fuerit specialis conventio, standum est legum praescripto.

Quodsi res debita e contractu in translatione pereat, puta si sit commodata, deposita, locata, debitor ad nihil tenetur, quia perit domino, modo aliter conventum non sit. — Si pretium e contractu solvendum in via pereat, debitor obligatus manet ad illud solvendum, quia dominium in pretium servat, donec id ad creditorem pervenerit, ergo debitori perit. — Delama.

Nota: Advertit Lehmkuhl: Si poenitens confessario rem seu valorem restituendum tradiderit, videtur nullatenus improbabile esse, poenitentem liberum manere, etsi fortuito ad dominum res restituenda non pervenerit; quia confessarium jure considerare possumus ut quasi-mandatarium seu *negotii gestorem* ipsius domini creditoris, et non solummodo ut mandatarium poenitentis.

VII. Quando restituendum.

VII. ***Quando restituendum sit:*** Iterum distinguendum:

1. ***Restitutio ex contractu*** facienda est eo tempore, de quo fuit conventum, sive expresse, sive tacite, etiamsi eam creditor non petat. — Si vero tempus non fuit determinatum, non peccat, qui restitutionem differt, usquedum urgeatur a creditore, quia creditor scienter non petendo videtur consentire dilationi; secus autem si creditor ex metu non audeat urgere, vel hoc omittat ex oblivione aut impotentia. S. Alphonsus cum Lugo et aliis monet, non esse damnandum de culpa gravi, qui differt solvere debitum ex contractu sine gravi damno creditoris, licet iste petat, quia talis dilatio non videtur ei graviter injuriosa. — Si debitor ex contractu justam causam habeat restitutionem differendi, non tenetur de damnis, quae ex dilatione solutionis forsitan sequuntur; quia talis damnificatio non est theologice culpabilis.

2. ***Restitutio ex alio titulo*** generatim praestanda est,

quam primum fieri potest sine gravi incommodo. Qui modo non potest restituere totum, tenetur eam saltem partem restituere, quam potest. Unde notandum:

a) Qui absque justa causa restitutionem *notabiliter differt,* graviter peccat, si de materia gravi agatur. Et si dehinc damna eveniunt domino, ea compensare tenetur negligens, sive sit possessor bonae fidei, sive malae fidei, vel qualiscunque debitor vel possessor. Ita s. Alphons. — Attamen si quis, habens propositum restituendi, *ad breve tempus* differat restituere, nec dominus grave damnum inde patiatur, non ita facile de peccato gravi arguendus est, imo ne de veniali quidem, si rationabilis aliqua causa adsit restitutionem differendi, e. g. spes occasionis longe commodioris.

b) Qui restitutionem differt *ex gravi causa*, e. g. ad vitandam infamiam, vel ad vitandum scandalum, non peccat; si vero ex hujusmodi dilatione inculpabili damna domino eveniant, ea semper resarciri debent, si restitutio debita sit ex delicto, quia per furtum antea patratum existit causa damnorum. Attamen si damnum istud extraordinarium foret, ita, ut praevideri non potuerit, debitor illud probabiliter non tenetur reparare. — Possessor bonae fidei vero et debitor ex contractu, de damnis ex inculpabili dilatione provenientibus non tenetur, quia deficit culpa theologica.[1])

SECTIO II.

Ethica particularis (Socialpflichten).

Praenotanda.

Praeter commune humanitatis vinculum, quo omnes invicem sine discrimine constringimur, et ex quo *communia* illa, de quibus usque diximus, omnium officia enascuntur, variae quoque aliae sunt particulares conditiones, quibus fit, ut cum aliqua hominum parte arctius connectamur et consociemur.

Ipsa haec particularis cum aliquibus hominibus consociatio ad fines et honestatis et felicitatis nostrae tum privatae, tum communis non modo perutilis, sed multifarie etiam necessaria est.

---

[1]) Cfr. s. Alph. L. III. H. A. tr. 10. Reiffenstuel tr. 9. d. 5. Müller II. §§. 146.—151. Lehmkuhl II. n. 1015.—1032. Marc II. n. 990.—1015. Delama n. 350.—375. Staller II. tr. 9. §. 11. et 12. Stapf II. 322 sqq. Konings n. 777 sqq. Schwane III. §. 31 sqq. Varceno tr. de rest. art. 6. Aertnys I. n. 350 sqq. Kutschker etc.

Atque hinc nobis in ejusmodi societate positis varia enascuntur officia, quibus extra talis societatis conditionem haud teneremur, quare illa *particularia* dicuntnr. — Universim autem *societatis* nomine intelligimus hominum quorundam conjunctionem mutuo certi finis invicem assequendi consilio nixam. Ex ipso hoc fine societatum quarumvis conditio omnis officiorumque summa definitur.

Societatum hujus generis, quas inter homines vigere experimur, duas classes distinguere licet, nempe, vel sunt *privatae* et minores, vel *publicae* et majores. Ad illas pertinent: *societas conjugalis,* i. e. conjugum inter se; *societas parentalis,* i. e. parentum atque prolium; *societas domestica seu herilis,* i. e. patrumfamilias et servorum; et tandem *societas forensis*, i. e. eorum, qui officio forensi cuidam adstricti sunt.

Ad societates publicas vero pertinet *societas ecclesiastica* et *civilis.*

Hinc tota materia in hac sectione ventilanda reapse in duo capita dispescitur, et quodlibet caput in duos articulos.

Caput I.

Officia societatum privatarum.

Articulus I.

Officia status conjugalis et parentalis.

IV. Decalogi praecept.

§. 73. Officia societatis conjugalis generatim.

Inter tres formas principales, quas exhibet humana societas, eminet familia domestica, quippe quae fontem et originem societatis tum civilis, tum ecclesiasticae constituit. Familiae vero primordia constituit matrimonium, seu uterque conjux legitimo matrimonio conjunctus. De matrimonio fusius tractatur in Dogmatica et Jure canonico; ad Theologiam Moralem pertinet tantum delineatio officiorum conjugatorum, quae sunt partim utrique *communia,* partim uni vel alteri tantum incumbentia, ergo *particularia.* De singulis jam in specie:

I. Officia communia conjugatorum.

I. ***Officia communia conjugatorum:*** Conjuges sibi mutuo debent: *amorem, societatem* et *fidem.*

1. Amor.

1. ***Amorem,*** seu mutuam aestimationem et caritatem. Etenim ex idea conjugii maritus et uxor non solum „una caro", sed etiam una anima esse debent, et quidem in Christo. Unde Apostolus dicit: „Viri, diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam;"[1]) et in Epistola ad Titum[2]) praecipitur uxoribus, „ut

[1]) Ephes. V. 25. [2]) II. 4.

viros suos ament". — Hinc sibi invicem bonum sincere velle et operari, infirmitatibus compati, se mutue aedificare, et sibi mutuum adjutorium in rebus tam spiritualibus quam temporalibus praestare nitantur, ut sic semper in bona et optima pace et mutua caritate convivant, et post felicem vitam ad coelestia praemia perveniant.

Unde peccat conjux contra amorem conjugalem, si alterum odio habeat, vel si grave malum optet; si injuriosis verbis vel signis contristet etc. Item peccat graviter, sive maritus, sive uxor, si aut duritia, aut ignavia, aut sumptuositate, alteram partem iis privet, quae vitae aut sustentationi necessaria sunt.

2. ***Societatem;*** Conjuges tenentur simul habitare quoad *mensam et torum*, nisi legitima causa excuset. Id patet tum ex natura matrimonii, tum ex verbis Christi: „Dimittet homo patrem et matrem et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una."[1]) Unde non potest unus pro mero arbitratu sine alterius consensu ad tempus praesertim longius abesse; conjuges enim ex obligatione justitiae tenentur ad cohabitandum in eodem domo, mensa et toro, nisi adsint justae causae, uti si ad tempus se separent *ob bonum publicum,* e. g. vir militiae adstrictus; vel *ad alendam aut tuendam familiam*, vel ad *vitandum damnum ab inimicis.* 2. Societas.

Si vir diu deberet alibi manere, teneretur, si commode potest, uxorem eo adducere, ut secum cohabitet.

Uxor vero regulariter tenetur sequi virum mutantem domicilium; — electio enim domicilii pertinet ad virum, — et hoc etiamsi mutet sine justa causa, modo causa non sit turpis. Et hoc etiamsi alicubi adsit contraria consuetudo, quae non potest derogare juri divino, quod constituit virum caput uxoris.

Idem valet, etiamsi vir longe discedat, et ibi per longum tempus sit moraturus; secus vero, si brevi inde reversurus sit; tunc enim nec uxor tenetur sequi virum, nec vir secum ducere uxorem, prout nec vir tenetur eam secum ducere, etiamsi longe discedat, si magnae expensae requirerentur, ad eam illuc transvehendam. — Probabilius tenetur uxor etiam virum in exilium condemnatum sequi, quia tenetur ejus sufferre infortunium; sicut et vir tenetur comitari uxorem, si necessitas eam ad mutandum domicilium cogit. Ita s. Alphons.

E converso uxor non tenetur sequi virum, si ille velit eam pertrahere ad peccatum, vel si ex sequela timeatur grave onus vel periculum e. g. vitae, sanitatis; vel si uxor a viro peregre non alatur; vel si vir post matrimonium factus sit vagus, nec facile sit sequi; secus tamen, si jam ante matrimonium fuit vagus, idque ipsa scivit; vel denique si in contractu matrimonii additum fuit pactum, de non mutando domicilio, et nulla gravis necessitas urgeat.

Ultimo notandum, quod vir potest suscipere brevem peregrinationem devotionis causa etiam invita uxore; hoc tamen non potest uxor sine consensu viri, cum ipsa sit subjecta ejus voluntati. —

---

[1]) Matth. XIX. 5.

Ex mutuo autem consensu bene possunt conjuges invicem separari, modo absit periculum incontinentiae et nocumentum prolis educandae. — Probabilius et communius non licet viro non cohabitare cum uxore, eamque expellere a domo ob dotem promissam et non solutam; sicut nec vir ex hac ratione uxori debitum negare potest. Non vero tenetur vir in tali casu, scil. dote non soluta, uxorem alere, nisi eam duxerit sine promissione dotis, vel nisi uxor sit in viri obsequio vel famulatu. Similiter juxta sententiam communiorem et probabiliorem vir non tenetur alere uxorem adulteram, nisi et ipse sit adulter.

Ex dictis patet, separationem a toro vel habitatione seu divortium, justis de causis tantum fieri posse, manente vinculo conjugii, uti patet ex Concilio Tridentino.[1]) Quaenam justae causae divortii sint, docet Jus canonicum; item quanam auctoritate separatio conjugum fieri debeat. — Ad nos spectant tantum regulae practicae quoad conjuges, *qui non petita separatione legitima sejuncti vivunt,* et quidem sequentes:

a) Non est a Sacramentis arcenda mulier, quam publice constat fuisse a suo viro inique depulsam; at maritus non est absolvendus, nisi vitae consortium cum uxore restituat.

b) Non est inquietandus, qui causa adulterii notorii secessit a comparte; reus autem non est admittendus ad Sacramenta, nisi crimen et scandalum reparaverit.

c) Absolutione indigni habendi sunt, qui causa matrimonii infeliciter initi, e. g. mutua aversione, se privato consilio separaverint. Ast, remoto scandalo, si sint *in bona fide,* nec moniti velint acquiescere, non sunt de hoc monendi.

3. Fides conjugalis.

3. ***Fidem,*** nempe conjugalem, juxta illud:[2]) „Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier," in ordine scilicet ad generationem; conjuges enim ad actus generationi inservientes *plenum jus* in personas suas seu corpora mutuo sibi tradiderunt. Sed huic juri certi limites sunt positi, ne conjuges „sicut equus et mulus" cohabitent, sed ut honorabile sit connubium et torus immaculatus. — Unde *fides conjugalis* exigit, ut pars quaevis alteri *debitum conjugale,* ut actus maritalis vocari solet, praestet, et ut ambo conjuges *castitatem conjugalem servent.* — Sed de his duobus officiis fusius in paragraphis sequentibus agemus.

II. Officia specialia conjugatorum.

II. ***Officia specialia conjugatorum.*** Inter officia conjugum quaedam sunt *cuique* conjugi *propria;* id quod jam ex eo patet, quod vir est caput mulieris, quodque mulier viro subdita esse debet. Unde:

1. Officia specialia mariti.

1. ***Officia specialia mariti:*** Maritus ut caput mulieris tenetur ad sequentia:

a) Uxorem recte dirigere, consiliis et amicis suasionibus potius, quam rigido imperio; quia uxor est *socia* viri, non vero ancilla.

---

[1]) Sess. XXIV. can. 8. [2]) I. Cor. VII. 4.

b) Spirituali uxoris saluti prospicere, adeo, ut peccet graviter, si violationem legis divinae vel ecclesiasticae ex socordia permittat, et eam non corrigat.

c) Corpus, uxorem nempe secum retinere et alere secundum suum statum.

d) Bona tum communia, tum uxoris propria debita diligentia administrare, — quod expresse etiam postulat lex civil. Austr. §. 91. et 92. — et rem familiarem studiose gerere.

Unde peccat maritus, et subinde *graviter:*

α) Si verberibus aut contumeliis afficiat uxorem sine justa causa; moderate tamen castigare verbis," ait s. Alphonsus,[1]) „vel etiam ex gravi causa moderatis verberibus, habita ratione conditionis et status, quandoque potest."

β) Si illam impediat ab impletione praeceptorum Dei et Ecclesiae. Si vero impediat illam sine causa circa ea, quae consilii tantum sunt, ut est frequens confessio, Communio etc. peccat tantum venialiter; nisi constet, quod illa magnam ex Sacramentis utilitatem percipit.

γ) Si neget aut negligat ei procurare alimenta; vel si eam modo tyrannico tractet, instar vilis mancipii; vel si familiae gubernationem negligat etc.

2. ***Officia specialia uxoris:*** Uxoris potissimum est: 2. Officia specialia uxoris.

a) Marito reverentiam et obedientiam in omnibus honestis et licitis exhibere, juxta illud Apostoli:[2]) „Mulieres subditae estote viris, sicut oportet, in Domino."

b) Domus curam gerere, in negotiis domesticis et prolibus pie educandis indefessam operam navare. Si tamen spectatae conditionis est, potest officia viliora per famulos vel ancillas adimplere, modo ipsis invigilet, et curet, ut res domestica bene geratur.

c) In omnibus singularem pudorem et munditiei studium prae se ferre, a luxu, vesana garrulitate, zelotypia aliisque vitiis, quae cum perturbatione pacis domesticae mulieres infestare solent, pro viribus sibi temperare.

Unde mulier peccat graviter, si maritum rixis vel asperis verbis ad gravem iram, vel blasphemiam provocet; si spreto marito, imperium sibi vindicet; si sine sufficienti indicio male judicet de ejus continentia; si quid notabile ex bonis communibus expendat contra ejus voluntatem et consuetudinem mulierum suae conditionis; si sibi arroget administrationem domus sine justa causa; si nolit virum sequi mutantem domicilium etc.[3])

§. 74. Debitum conjugale.

Uti jam diximus, fides conjugalis sub ratione positiva exigit, ut pars quaevis alteri *debitum conjugale* praestet. Id patet

---

[1]) L. III. 356. H. A. VII. 12. [2]) Coloss. III. 18. [3]) Cfr. s. Alphons. L. III. Marc II. n. 703 sqq. Stapf-Aichner II. § 338. et 339.

ex verbis Apostoli:[1]) „Uxori vir debitum reddat; similiter autem et uxor viro.“

Quoad debitum conjugale pro praxi potissimum tria necessario consideranda sunt, nempe: *liceitas* actus conjugalis, ejusdem *circumstantiae* et *obligatio*.

I. Liceitas actus conjugalis. 1. Notio.

I. ***Liceitas actus conjugalis:*** Hic sequentia sunt notanda:

1. Actus conjugalis, seu ea conjugum actio, quae generationi necessaria est, i. e. copula carnalis perfecta, inter veros et legitimos conjuges omnino *honestus et licitus est,* supposito, ut debito modo et fine exerceatur. Est enim medium ab ipso naturae Conditore statutum et ordinatum ad legitimam humani generis propagationem. Et quidem hic actus omnibus vere conjugatis licitus est; ergo etiam *sterilibus*, quia per se ad ipsum perficiendum idonei sunt, et nonnisi per accidens fit, quod generatio nulla sequatur; nec lex aliqua in contrarium ostendi potest; item etiam *senibus,* ex iisdem rationibus, modo actum ipsum recte perficere valeant, vel saltem spem aliquam habeant, eum debito modo perficiendi. Licita etiam habetur copula, si mulier post legitimum matrimonium contractum impos evadat, e. g. exciso utero vel ovario.[2])

2. Fines honesti:

2. *Fines, qui actum conjugalem honestum reddunt*, sequentes sunt:

a) Generatio prolis.

a) Generatio prolis; quae est finis primarius et praecipuus omnis matrimonii. Hunc finem excludere positive, i. e. aliquid *contra* illum *agere,* nunquam licet; verum si sic positive non excluditur, ex se peccatum non habetur, supposito, quod alius finis honestus adsit.

b) Satisfactio obligationis.

b) Satisfactio obligationis erga alterum conjugem, qui debitum petit.

c) Sedatio concupiscentiae.

c) Sedatio concupiscentiae, et proinde vitatio incontinentiae, tum in se, tum in comparte; finis secundarius enim matrimonii est concupiscentiae remedium; in eo vero, qui alteri obsecundet, honestissima ratio est ipsius juris redditio, ut sub *b)* diximus. Quo fit, ut ex communi Theologorum sententia, et ex praxi Ecclesiae comprobata, etiam tum matrimonii usus in se illicitus non sit, quando per accidens primarius finis non attingitur, neque attingi potest, uti e. g. in copula cum uxore gravida; — si modo actus ex sua natura legitimus sit. Imo nondum fit ejusmodi actus peccaminosus, etsi conjuges cupiant, ne sequatur prolis conceptio, si modo ipsi positive eam non impediunt.

d) Desiderium honesti amoris fovendi.

d) Desiderium honesti amoris fovendi vel conciliandi, conjugalis affectus patefaciendi vel promovendi.

Omnes praedicti fines juxta s. Alphonsum actum conjugalem honestum et licitum reddunt. Ex quo simul patet, illicitum esse usum matrimonii, si fiat exclusis relatis finibus, ob *solam* voluptatem, uti etiam constat ex propositione n. 9. ab Innocentio XI. damnata: „Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum, omni

---

[1]) I. Corinth. VII. 3. [2]) Cfr. Linzer Quartalschrift 1889, pag. 378 sqq.

penitus caret culpa ac defectu veniali." Sed nota, quod dicitur: „ob *solam* voluptatem"; ob voluptatem utique fieri potest, dummodo non singuli fines supra numerati excluduntur. Attamen etiam casu, quo actus conjugalis ob *solam* voluptatem exercetur, id per se est tantum peccatum veniale, nisi operans ob *solam* voluptatem, *positive* quemlibet alium finem excludat, ita, ut quasi finem ultimum in voluptatem ponat, quo casu utique graviter peccaret. — Advertit Berardi: In praxi, quoad usum matrimonii propter solam voluptatem, conjuges solent esse in bona fide, nec plerumque fructus ex monitione sperari potest; unde consultius est, ut confessarius eos in sua bona fide relinquat.[1])

3. Requisita ad liceitatem actus conjugal.

3. Actus conjugalis, ut licitus et honestus sit, debet esse talis, qui aptus est ad generationem. Sub hoc respectu requiritur:

a) Copula carnalis perfecta.

a) Copula carnalis perfecta, seu seminatio actualis intra vas. Ad hoc Lehmkuhl adnotat: „Communiter quidem theologi ad copulam conjugibus licitam requirunt, ut in ipsa vasis muliebris perforatione fiat virilis seminis effusio; idque, si fieri potest, fieri utique debet, quia alioqui saltem magnae seminis partis profusio et frustratio fit; quae si ex consulto fiat, aut sine gravi causa permittatur, licita dici nequit. Verum hodie inter physiologos et medicos constat, sufficere posse ad generationem, si semen virile ad ora organi muliebris effundatur, ita ut per contactum et attractionem a muliere recipiatur. Quare in casu matrimonii certo valide contracti, quando impossibile est, aut mulieri graviter damnosum, perfectius coire, neque alia impotentiae causa accedit, non videtur peccati ejusque gravis ille actus damnandus esse, qui sufficere possit ad essentialem matrimonii finem obtinendum.

Utrum vero, si illa impossibilitas ab initio existat, matrimonium pro valido habendum sit, an ex impotentiae impedimento pro invalido, id non confessarii (pro quo haec scripta sunt), sed judicis ecclesiastici in externo foro est judicare."

Si conjuges incoepta copula cohibeant seminationem, seu copulam ante seminationem interrumpunt, si id fiat ad sedandam concupiscentiam ab iis conjugibus, qui juste timent numerosam prolem, juxta s. Alponsum et alios peccant venialiter, si ambo in hoc consentiunt, nec adsit periculum seminandi extra vas; illa enim penetratio vasis feminei tunc reputatur instar tactus verendorum, qui inter conjuges permittitur, secluso periculo pollutionis. Graviter vero peccarent, si alter se retrahit sine alterius consensu, quia copula jam incoepta altera pars jus habet, petendi copulam perfectam; item graviter peccant, si adest periculum pollutionis. Ita Sanchez, s. Alphons. etc.

Si vero periculum gravis damni copulae inchoatae superveniat, illa obrumpi sine peccato potest et debet, etsi pollutio sequatur, quam promovere tamen tum non licebit.

---

[1]) Praxis n. 334. q. 12. Cfr. Aertnys, II. De usu matrimonii n. 481 sqq.

b) Commixtio seminis mulieris et viri.

b) Commixtio seminis mulieris et viri; sed hic distinguendum est: si femina jam seminaverit, vel sit in probabili periculo seminandi, vir debet exspectare, usquedum et ipsa seminet, et a seminatione se retrahere non potest sine gravi culpa, quia tunc ipse esset causa, quod semen uxoris prodigatur. — Ita omnes. — Hoc tamen non erit ita intrinsece malum, ut aliquo casu permitti non possit: puta, si vir desisteret a copula ob periculum mortis, vel gravis scandali aliorum; tunc enim licite se potest retrahere etiam cum periculo pollutionis, quia haec per accidens et praeter intentionem eveniret. Haec sunt certa apud omnes.

Si autem vir jam seminaverit, dubium fit, an femina graviter peccet, si se retrahat a seminando; aut an vir graviter peccet, non exspectando seminationem uxoris. Nonnulli affirmant, quia, ut dicunt, etiam semen mulieris active concurrit ad generationem; alia vero sententia, quam s. Alphonsus dicit probabiliorem et communiorem, negat; ratio, quia, ut dicunt, juxta medicos recentiores semen mulieris non est necessarium ad generationem seu ad perfectam prolem, sed servit tantum ad voluptatem in femina procreandam, ut debitum libenter praestet. Addit tamen s. Alphonsus, esto, secunda sententia sit quidem communior et probabilior, ut videtur, censeo tamen, in praxi primam sententiam esse tenendam.

In casu, quo vir se retrahit post seminationem, sed ante seminationem mulieris, juxta sententiam communiorem mulier potest se *statim post copulam* tactibus excitare, ut seminet, ratio, quia seminatio mulieris pertinet ad complendum actum conjugalem; sed bene adverte: tantum *immediate seu statim post copulam* id mulieri licet, alias enim jam nulla adesset relatio ad copulam. Porro id minime licet post congressum onanisticum, quia eo casu finis naturae omnino frustraretur. — Alii tamen contradicunt huic sententiae; omnes tamen concedunt uxoribus, quae frigidioris sunt naturae, quod possint se tactibus excitare ante copulam, ut seminent in congressu maritali statim habendo.[1]) — Haec commixtio seminis postulat etiam, ut mulier nullo modo prohibeat propriam seminationem cum intentione impediendi generationem; seclusa hac intentione juxta Sporer et Sanchez talis prohibitio mulieri licita videtur.

c) Retentio seminis virilis intra vas: Etenim ex parte mulieris graviter peccatur, si ipsa post legitimum congressum semen receptum expellere studeat lotione aliove studioso conatu. Attamen non opus est, ut diu in eodem situ maneat, quia matrix semen statim attrahit. Ita s. Alphons. — Ex subjectiva mulieris intentione graviter peccaminosum fieri potest, statim post copulam surgere, aut etiam mingere ex intentione generationis impediendae, sed, nisi alia violenta actio accedit, id *vix* efficax est ad generationem impediendam, siquidem

---

[1]) Cfr. Schmid, solutio cas. ex Dir. Brixinensi 1885. cas. 9.

brevi post habitam copulam et semen receptum matrix clauditur, atque tantum seminis retinet, quod ad foecundationem prorsus sufficit.[1])

II. ***Circumstantiae actus conjugalis:*** Actus conjugalis etiam debitis circumstantiis vestitus sit oportet. Praeter circumstantiam *finis* (cur?), de qua jam supra diximus, adhuc tres sequentes circumstantiae pensandae sunt: *quomodo? ubi?* et *quando?* II. Circumstantiae actus conjugalis.

1. ***Quomodo?*** To „quomodo"? denotat situm, quo actus conjugalis perfici debet. Situs naturalis est, ut mulier sit succuba et vir incubus; hic enim modus aptior est effusioni seminis virilis et receptioni in vas femineum ad prolem procreandam. — Talis situs *per se loquendo* solus licitus est. Si coitus aliter fiat, e. g. sedendo, stando, de latere, vel a tergo de more pecudum, vel si vir sit succubus et mulier incuba, situs innaturalis est. Attamen mutatio situs, seu situs innaturalis, *per se* non est, nisi veniale peccatum, uti s.s. Antoninus et Thomas dicunt; modo copula semper fiat in vase naturali. Imo *per accidens* mutatio situs, uti communiter dicunt, *nec leve peccatum* est, tunc scilicet, si mutent conjuges situm ex justa et rationabili causa, nempe ob aegritudinem, nimiam defatigationem mulieris succubae, vel pinguedinem viri, vel ob periculum abortus, aut scandali aliorum, vel ad excitandum alterum frigidum. Ita expresse s. Thomas. 1. Quomodo?

E converso conveniunt omnes, quod si experientia constaret, quod mutato situ naturali, nihil seminis femina retineat ob nimiam vasis laxitatem vel humiditatem, vel propter aliquam infirmitatem naturalem, tunc *esset mortale.* Secus vero, dicit Sanchez, si non ex situ, sed ex aliquo morbo mulieris talis effusio proveniat. Item dicit Sanchez, non esse mortale, si ob variationem situs pars tantum seminis decidat, reliquo intra vas retento sufficienti generationi;[2]) contradicit tamen s. Alphonsus licet sententiam Sanchezii non audeat damnare.

Porro mutatio situs grave peccatum est, si fiat affectu sodomitico, uti si vir inchoet copulam in vase praepostero, vel in alio non naturali, e. g. in ore, aure, intra scapula etc., ut postea in vase debito eam consummet. Ratio est, quia ipse hujusmodi coitus, etsi absque seminatione, est vera sodomia, quamvis non consummata. Id valet etiam e. g. si vir perfricat virilia circa vas praeposterum uxoris, quia saltem talis actus non potest fieri, saltem moraliter, sine affectu sodomitico. S. Alphonsus.

Quodsi tamen vir id non facit affectu sodomitico, sed tantum ad se excitandum ad copulam, non esset grave, imo plerumque nec leve. — Ceterum per se patet, quod confessarius de situ non interrogare debet, nisi sit necessarium, nec de illo unquam loqui, nisi poenitens interroget.

2. ***Ubi?*** Locus, quo actus conjugalis exercetur, non potest esse, ut ipse naturalis pudor dictat, nisi secretus, ita, ut nemo, nisi 2. Ubi?

---

[1]) Cfr. Capellmann, medic. pastor. de cop. conjug. [2]) Cfr. Capellmann pag. 147. Aertnys II. n. 491 sqq.

forsan testis necessarius e. g. medicus, hujusmodi actum videre possit. In loco publico seu coram aliis, actus conjugalis foret gravissimum scandalum. Praesertim pro praxi advertendum est, conjugibus maxime inculcandum esse, eos gravissime peccare, nisi caveant, ne filii de re maritali notitiam capientes scandalum patiantur. Quod scandalum facillime oriri potest, si pueri sive puellae grandiusculae modo in eodem cubiculo cum parentibus dormiant, qui, experientia testante, saepissime tali modo ab ipsis parentibus in infimam sceleris sentinam dejiciuntur. Insuper omni quo possunt modo curare debent parentes seu conjuges, ne quispiam suorum suspicionem habere possit, quod forsan hunc actum peragent, e. g. si se includant in cubiculum etc.

Si actus conjugalis fieret in loco sacro (praeter casum necessitatis) gravis esset irreverentia et sacrilegium.

3. Quando? 3. ***Quando?*** Generatim conjuges actum conjugalem exercere possunt toties, quoties volunt qualibet die aut nocte, dummodo id fiat intra terminos naturalis temperantiae. Unde tempus per se est circumstantia indifferens; potest tamen quandoque ratione aliorum adjunctorum reddere actum conjugalem leviter graviterve illicitum. Ita communius cum s. Bonaventura. — Ratio *primi* est, quia nulla lex assignari potest, qua unquam prohibeatur hujusmodi actus; unde si canones et s.s. Patres usum conjugii diebus festis vel poenitentiae temporibus prohibere videantur, intelligenda est prohibitio de consilio, non autem de praecepto. — Ratio *secundi* habetur ex lege naturali, quia juris conjugalis usus potest suspendi, vel impediri ob concursum alius juris praedominantis, e. g. ob periculum abortus, vel nocumenti valetudinis, tempore praesertim menstruorum, praegnationis, purificationis post partum, lactationis et infirmitatis. — Unde in specie haec sunt tenenda:

a) *Diebus festivis, vel jejunii,* qui praecipue divino cultui vel poenitentiae dedicati sunt, quamquam consilium est a *petendo* conjugali debito abstinere, nihilominus praeceptum non est; imo ne consultum quidem, si periculum incontinentiae existit. Ita s. Alphonsus.

b) *In die s. Communionis,* etsi praeter communem specialis quaedam causa urgere videatur, cur ab omni veniali culpa eum immunem esse negemus, qui solius voluptatis causa, nulla tentatione aliave ratione urgente, conjugale debitum petat: tamen cavendum est, ne uxor, quae frequentius accedit ad S. Communionem, roget virum, ut desistat a debito petendo, nedum petenti difficiliorem sese exhibeat. S. Alph., Lehmkuhl.

c) *Tempore praegnationis* per se satis probabiliter peccatum non est, copulam maritalem habere, maxime si causa aliqua cohonestans accedit, ut dicit s. Alphonsus. Sola ratio abortus timendi obstare potest. Verum grave periculum non est, nisi specialis dispositio uxoris ad abortum existit, — quae si adest, leves causae abortus occasionem dare possunt, eas autem omnes sub timore gravis peccati evitare debere, videtur prorsus intolerabile esse. — Generatim usquedum non constat expe-

rientia, periculum abortus adesse, non est illud praesumendum. Unde concludit Lehmkuhl: rarissime conjuges obligandos esse, ut tempore gestationis uteri a copula abstineant; nam ex una parte raro *grave* periculum abortus per copulam inducitur, et adhuc rarius de eo constat; ex altera vero parte aliquod periculum pro minore majoreve incontinentiae periculo, quod conjuges alioqui subirent, permitti seu tolerari potest. — Hinc conjugibus potius moderatio quoad numerum et modum copulae commendanda erit.[1])

d) *Tempore purgationis post partum, tempore fluxus menstrui* consueti vel etiam tempore extraordinarii fluxus muliebris, periculum damni, quod forsitan mulieri oriatur, considerari debet, ut de liceitate copulae judicium feratur. — Plerumque scriptores copulam illis temporibus, nisi gravior quaedam causa cohonestans, ut e. g. periculum incontinentiae, accedat, pro peccato quidem, sed *veniali* habent; quia indecentia est, et quia mulieris incommodum et gravamen saltem augetur. — Imo, teste Capellmann, periculum *non leve*, praesertim brevi, i. e. duabus hebdomadis post partum, mulieri creare potest. Quare, quid liceat tunc, collige ex sequenti principio.

e) *Tempore morbi*, seu quando propter morbum similesve circumstantias ex usu matrimonii *grave* damnum seu periculum sequitur, non tamen imminentis mortis periculum, ut copula liceat, *grâvis* causa accedat, necesse est, qualis est, praecipue in diuturno morbo compartis, grave incontinentiae periculum. Sed quamquam caritas erga periclitantem permittit alteri, ut seipsum periculo exponat, obligatio tamen non est, siquidem ad tentationem vincendam tandem alia remedia existunt. Ita Lacroix et alii.

In imminentis mortis periculo, ex copula secuturo, ille usus matrimonii graviter illicitus est, utpote temeraria de vita dispositio; quo minus autem periculum sit *imminens*, etsi in se non leve, *gravis* quaedam causa usum matrimonii *licitum* reddere potest. — Sed plura de hoc periculo infra dicentur, ubi de obligatione debiti conjugalis.

III. Obligatio debiti conjugalis.

III. ***Obligatio actus seu debiti conjugalis:*** Actus conjugalis quidem generatim ad conjugum officia spectat, ut generationi operam dent, quia hunc ipsum in finem conjugium institutum est. Attamen *in concreto per se* neuter conjux tenetur debitum conjugale *petere,* quia nemo tenetur uti jure suo, sed illud remittere potest. *Per accidens* tamen in concreto quoque potest dari obligatio petendi debitum, puta: ad vitandam incontinentiam propter verecundiam alterius partis, vel ad fovendam ac instaurandam amicitiam conjugalem etc.

In genere mulier non petit, sed vir. *Vir tenetur petere,* si uxor tacite exigat, puta, si ostendat aliquod signum seu indicium, quo tacitam petitionem significat, quia in mulieribus ob innatam

[1]) Cfr. de hac re Cappelmann pag. 148 sqq. — Aertnys II. n. 483 sqq.

verecundiam etiam talia signa habentur pro vera petitione. — E converso non tenetur mulier reddere viro, nisi hic expresse petat, cum enim non pudeat viros, expresse exigere, bene possunt uxores praesumere, quod viri expresse non petentes, nolint ipsas obligare ad petendum. Recte tamen excipit Sanchez cum s. Antonino, nisi talis erubescentia potius praesumatur aliquando in parte viri, quam feminae esse, puta, si illa esset maximae auctoritatis aut ferae conditionis, et vir valde pusillanimis ac verecundus.

Juxta theologos uxor tenetur petere in sequentibus casibus:

a) Si alter conjux est in periculo incontinentiae; sed tenetur tunc tantum ex caritate; unde non tenetur cum magno incommodo, e. g. si magnam verecundiam subire deberet.

b) Si vir ob votum vel aliud impedimentum, copulam illicitam reddens, non potest petere; tunc mulier debet praevenire, ut liberet virum a periculo incontinentiae.

c) Denique, si vir expresse postulat, ut et ipsa aliquando et saepius petat; quod tamen tunc tantum valet, si mulier non est adeo verecunda; unde grave incommodum mulierem semper excusat ab obligatione petendi.

His generatim praemissis jam quoad obligationem debiti conjugalis potissimum duo sunt pensanda, scilicet *qualis sit obligatio pro conjugibus debitum reddendi*, et *quaenam sint a tali obligatione causae excusantes.*

1. Obligatio debitum reddendi.

1. ***Obligatio debitum reddendi:*** *Uterque conjux tenetur ex justitia et sub gravi reddere debitum alteri conjugi rationabiliter ac serio petenti;* et hoc inprimis de actu perfecto intelligitur, sed etiam extendendum est per se ad actus imperfectos non certo malos. Constat ex Apostolo: „Uxori vir debitum reddat; similiter autem et uxor viro.“ Ratio est, quia vi contractus matrimonialis, ut idem Apostolus dicit: „Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier;“ et ideo non possunt usum conjugii sibi invicem denegare sine injustitia, quae per se est peccatum mortale; quia est denegatio ex natura sua et ex attentis consectariis omnino gravis, saltem si saepius, vel obstinate fiat. — Unde illi praesertim conjuges reprehendi debent, qui ex mera pertinacia, ex rancore, vel capto alterius fastidio, ejusdem petitioni non acquiescunt, vel adeo difficiles se praebent, ut altera pars debitum petere vel formidet, vel dedignetur. — Sed diximus:

a) *„Rationabiliter petenti“;* nam si petens non sit sui compos, ut amens vel perfecte ebrius, quia non petit humano modo; vel si petat injuste, immoderate, intempestive, et quoties generatim legitima intervenit denegandi causa, cessat obligatio, saltem justitiae; etsi tunc adhuc dari posset obligatio caritatis, nempe ad vitandum in petenti periculum incontinentiae, irae, blasphemiae etc. — Diximus porro:

b) *„Serio petenti“;* nam si conjux non serio et instanter, sed remisse petat, vel facile precibus cedat, ex communi sententia non est mortale, nisi petens versetur in periculo incontinentiae;

imo nec veniale, si qua detur denegandi causa. — Nihil tamen refert, utrum expresse petat an tacite; sufficit enim, si manifestet quibusdam signis se illum actum desiderare, etsi eum prae verecundia exigere non audeat. Ita s. Alphonsus. Diximus denique

c) *„et hoc inprimis de actu perfecto intelligitur"*, — i. e. de copula conjugali, quod patet per se; — *„sed etiam extendendum est per se ad actus imperfectos non certo malos"*; etenim conjugibus etiam liciti illi actus imperfecti sunt, ut tactus, aspectus etc., qui ad copulam praeparant vel disponunt, quando aut intentio ejus exercendae adest, aut saltem possibilitas et pro eo casu etiam voluntas, si forte urgens pollutionis periculum oriatur. Illi enim, cui licet actus consummatus, etiam licet ejus inchoatio, seu ea, quae utcumque tamquam ejus inchoatio vel praeparatio considerari possunt. Imo, etsi haec intentio consummati actus non adsit, quoslibet actus imperfectos peccati, ejusque gravis, damnare, esset conjuges in perpetuo periculo peccandi constituere. Et revera communis omnino sententia cum s. Alphonso docet, ejusmodi actus, si periculum pollutionis non adsit, ex honesto fine, ut fovendi sive reconciliandi mutui amoris exercere, aut ad compartis petitionem eos petere vel ad eos cooperari, nullum esse peccatum; si vero isti actus ex sola voluptate venerea exerceantur, secluso periculo pollutionis, non esse nisi veniale peccatum. — Imo etiam illi, cui propter varias circumstantias consummata copula illicita est, vel impossibilis, actus imperfecti — periculo pollutionis secluso — propterea interdicti nondum sunt. Verum ille tum longe cautior esse debet, cum pollutionis gravius sit periculum, facultas praeveniendi nulla.

Denique notandum est, quod obligatio reddendi debitum petenti non exstinguitur per hoc, quod petens *illicite* tantum petat, modo ne *injuste* aut *rem illicitam* petat; uti e. g. si vir, voto castitatis ligatus debitum petat, mulier tenetur reddere; nam votum obligat quidem erga Deum ex virtute religionis voventem, ne petat; sed hujus rei judicium alter non habet; quare, etsi vovens *illicite* petat, petit tamen, quod ad jus suum pertinet, ac proin nolenti desistere altera pars reddere debet; nisi forte — quod melius est — partes *petentis* vult assumere.

Imo etsi conjuges ambo vovissent castitatem, ita tamen, ut invicem se non abdicassent *usu juris*, persistenti in debiti exactione alter reddere debet, quia hic per votum sibi tantum illicitam reddit petitionem, non vero redditionem actus conjugalis. Ita s. Alphonsus, Suarez, Lugo et multi alii contra paucos.

Ex dictis colliges:

α) Mortaliter peccat mulier, si *obstinate neget*, etiam pro una vice dumtaxat, dum vir serio et instanter petit. Similiter, si in redditione *magnam morositatem* ostendat, cum periculo aut etiam cum animo virum deterrendi a petitione; si debitum non

concedat nisi *coacte;* si viro *dure* et *contumeliose* petitiones exprobret. Ita communiter.

β) Item mortaliter peccat uxor, si serio petenti debitum illud *longius differt,* e. g. ab hac ad sequentem noctem.

γ) Graviter delinquunt illi pessimi viri, qui, sive ex avaritia, ut prolem evitent, sive ex malevolentia, sive ex amore concepto erga alias, proprias uxores nunquam aut fere nunquam cognoscunt, quamvis bene praesumere debeant, quod ipsae id aegerrime ferant. Ita Berardi.[1])

Econtra excusatur aut omnino aut saltem a mortali peccato, qui non reddit debitum petenti, *secluso incontinentiae periculo probabiliter animadverso* — quod tamen periculum facile adesse potest, — in his adjunctis:

α) Si non est petitio seria, aut si roganti facile remittitur debitum; — modo tamen preces non sint ita importunae, ut alter quasi coactus videatur cedere.

β) Si petitio est nimis immoderata. Cavendum tamen, ne facilius petitio immoderata habeatur; dicunt, non esse mortale, post tertiam copulam in eadem nocte habitam, negare quartam, nisi in altero adsit periculum incontinentiae. Minime vero potest post copulam habitam in die, illa negari in nocte, et vice versa. Ita s. Alphonsus. Generatim dici potest, uxorem, a qua petitur debitum, excusari, si grave damnum, etsi non imminens mortis periculum juste timere debet: quare pro viribus uxoris facilius aut minus facile petitio immoderata censenda est. In dubio consulatur medicus; confessarii tamen est animadvertere, non quodlibet incommodum, sed serium damnum, quod ex prudentis medici judicio timetur, ab obligatione reddendi vel frequentius reddendi debitum excusare. — Lehmkuhl.

γ) Si ad breve tempus, secluso semper periculo incontinentiae, differtur redditio, puta a die ad noctem, a nocte ad mane.

δ) Cum eadem restrictione etiam admitti debet, *raro denegare, si saepe praestatur,* ex parvitate materiae esse veniale peccatum, e. g. ut s. Alphonsus dicit, si mulier, quae saepius in hebdomada rogata, debitum reddere consuevit, semel in mense denegat — citra tamen periculum incontinentiae vel gravis dissidii.

ε) Si vir uxoris et prolis curam non habet, ita ut ex culpa viri vagabundi, illae sibi suaeque miseriae atque gravi paupertati relinquantur, uxor obligari non potest, imo, nisi vir resipiscat, ne periculum quidem incontinentiae ratio esse videtur, quae uxorem cum tanto incommodo obliget, ut mero arbitrio et libito viri addicta sit. Lehmkuhl.

2. Causae excusantes a redditione debiti.

2. ***Causae ab obligatione debitum reddendi excusantes.*** Generatim cessat in uno *obligatio reddendi* debitum, cessante *jure petendi* in altero. Haec quippe correlativa sunt. — In

---

[1]) Prax. n. 336. Aertnys II. n. 507 sqq.

specie vero diversi casus occurrere possunt; et quidem: casus, in quibus conjux (unus vel alter) *non potest petere debitum conjugale;* dein casus, in quibus conjux quidem potest, sed *non debet reddere debitum;* porro casus, in quibus conjux *licite non potest reddere debitum;* et tandem casus, in quibus *neuter conjux nec petere, nec reddere potest debitum conjugale.*

a) Casus, in quibus conjux non potest petere debitum. — α) Ob votum castitatis.

a) ***Casus, in quibus conjux non potest petere debitum conjugale:***

α) *Si conjux voto castitatis sit innodatus;* sed tenetur in hoc casu reddere, sive post, sive ante initum matrimonium emiserit votum; nam si prius, graviter quidem contrahendo peccavit, sed valide tamen jus in corpus conjugi tradidit; si posterius, non potuit vovendo juri alterius derogare, quia voveri nequit, quod juribus aliorum repugnat.

β) Ob incestum.

β) *Si qua pars* sciens et voluntarie (non ex gravi metu) cum persona consanguinea conjugis *incestum commisit,* unde primum vel secundum gradum affinitatis contraxit (ergo per copulam perfectam). Dixi: „sciens", scilicet ubi scit illam sanctionem poenalem Ecclesiae, vi cujus per talem excessum jus petendi debitum amittitur. Ignorantes hanc poenam juxta sententiam satis probabilem s. Alphonsi, jus petendi in tali casu non amittunt.

γ) Ob cognationem spiritual.

γ) *Si quando cognatio spiritualis superveniat.* At juxta s. Alphonsum satis probabile est, illum, qui propriam prolem baptizavit aut levavit, etiam seclusa necessitate, non solum reddere, sed etiam petere posse debitum. — Juxta sententiam communiorem et probabiliorem pars, quae aliquo ex hisce impedimentis (α, β, γ) ligatur, debitum petere potest, quando advertit, compartem esse in periculo incontinentiae, nec audere petere; vel generatim quoties compars verecundia detinetur a petendo; tunc enim dicunt, hanc petere *interpretative,* et proin in parte impedimento ligata potius redditionem occurrere, quam petitionem. — Si vero ipsa pars tali vinculo ligata versetur in periculo incontinentiae, non potest petere; sed excipit s. Alphonsus, si dispensatio super impedimento ecclesiastico brevi obtineri non possit, et magnum periculum sit in mora.

δ) Ob nullitatem matrim.

δ) *Si conjugi uni tantum innotescant rationes justae, quamvis non evidentes, matrimonium esse nullum;* tunc ille conjux dubitans de valore matrimonii non potest petere, sed tamen reddere; interea justam adhibeat diligentiam ad solvendum dubium.

ε) Ob periculum sanitatis.

ε) *In gravi periculo sanitatis propriae vel compartis;* sed tunc quandoque non solum petere, sed et reddere prohibetur, sicut et in aliis casibus, ut mox dicetur.

ζ) Ob modum illicitum debitum reddendi ex parte viri.

ζ) *Si vir reddat debitum modo illicito,* e. g. seminando extra vas; tunc uxor non potest petere, quia tenetur ex caritate illius peccatum impedire; excipe tamen, nisi gravem haberet causam petendi, nempe si esset in periculo incontinentiae,

vel si alioqui perpetuo abstinere deberet a suo jure petendi; caritas enim cum tanto onere non obligat; unde non videtur teneri ad abstinendum, nisi per paucas vices.

b) Casus, in quibus conjux quidem potest, sed non debet reddere.

b) Casus, in quibus conjux quidem potest, sed non debet reddere:

α) Primo bimestri.

α) Primo bimestri post nuptias matrimonio nondum consummato. Est enim de fide juxta Tridentinum, matrimonium ratum, sed non consummatum dissolvi per *solemnem Religionis Professionem* alterutrius conjugum. Dicit scilicet Tridentinum: „Si quis dixerit, matrimonium ratum non consummatum per solemnem religionis professionem alterius conjugum non dirimi: anathema sit.“[1]) Quapropter, ut conjuges praedicto privilegio uti valeant, conceditur eis *Bimestre* a matrimonii celebratione, intra quod tempus non tenentur debitum conjugale reddere.

β) Ob adulterium unius partis.

β) *Adulterium unius alteri jus dat debitum negandi,* nisi forsan adulterium adprobaverit, in illud consenserit, vel sua culpa illud adduxerit, aut ipse idem hoc crimen commiserit, aut alteri culpam expresse, i. e. verbis, vel tacite, i. e. copulam faciendo condonaverit; nam „frangenti fidem, fides frangatur eidem“.

γ) Ob incestum.

γ) Adulterio omnino par habetur *incestus cum consanguinea alterius partis in primo vel secundo gradu* commissus; vel scelus sodomiae aut bestialitatis.

δ) Ob amentiam, ebrietatem etc.

δ) *Si conjux petens sit amens, ebrius, vel alias mentis impos.* Sed dantur exceptiones, e. g. si amens petat in lucido intervallo, si ebrius esset in periculo incontinentiae. — Plerumque in his casibus nec reddere potest pars sana, tunc scilicet, si est periculum scandali aut abortus, quod praesertim valet, si mulier est ebria vel amens, — nisi sit experta sterilis; — vel si vir amens aut ebrius sit, et mulier jam gravida.

ε) Ob grave vitae periculum.

ε) *Grave vitae aut sanitatis periculum;* sed haec causa excusans cum cautione est interpretanda. Etenim communia et leviora incommoda, e. g. sanitas aliquantisper debilitata, dolores non admodum graves, molestiae ordinariae partus, vel graviditatis, uxorem prorsus non excusant a reddendo debitum, quia haec incommoda matrimonio natura sua sunt connexa. Vicissim dantur sanitatis pericula, e. g. morbus contagiosus alterius partis, uti: lepra, phtisis, morbus gallicus (Syphilis) etc., in quibus, quia nemo est dominus vitae suae, nec etiam reddere licet debitum petenti, nisi forsitan adsit justa causa, — e. g. motivum caritatis, necessitas prolis ad bonum commune, praecautio dissidiorum vel incontinentiae periculum, vel alia ratio, ex qua conjugi vitae vel sanitatis periculum subire licet.

---

[1]) Sess. XXIV. can. 6.

ζ) *Separatio conjugum quoad torum et mensam legitime facta;* in hoc enim casu usus matrimonii, etiamsi illicitus non sit, tamen indecens esse videtur. Idcirca parochus hoc advertens instet, ut separati conjuges ad commune vitae consortium redeant.

ζ) Ob separationem quoad torum et mensam.

η) *Si mater reperta sit filios parere mortuos;* quia illa mors foetus per accidens evenit, et praeterea „melius est puero esse cum culpa originali, quam omnino non esse", ut dicit s. Thomas; et quia alias conjuges in continuo periculo incontinentiae essent. — In casu vero, quo nascantur proles miserae, e. g. surdae, mutae etc. non cessat obligatio reddendi, quia, ut iterum s. Thomas dicit: „melius est misere esse, quam non esse."

η) Si mater reperta sit filios parere mortuos.

ϑ) *An sit justa causa negandi debitum, si plures nascantur filii, quam conjuges possint alere, controvertitur.* Alii negant, excepto casu, quo conjuges multiplicata prole ad extremam necessitatem redigerentur. — Alii vero affirmant probabiliter; conveniunt tamen omnes, esse obligationem reddendi, si adsit in altero periculum incontinentiae, quod revera vix non aberit, si in eodem toro conjux habitet, et alter debitum petat; ex hac ratione sancto Alphonso prima sententia magis arridet. — In praxi hujusmodi conjugibus, ne incontinentiae periculo sese exponant, potius suadendum est, ut, reliquo tempore sese continentes, eo tempore matrimonio utantur, quo spes generandi satis remota sit: quod accidit, si sese continent paucis diebus ante mulieris fluxum menstruum, et plenos quatuordecim dies post menstruationem inceptam, ita, ut sine magna spe — vel, ut ipsi considerant, periculo — generandi circiter decem intermediis diebus vel pluribus matrimonio uti possint.[1]) Verum tamen non est, generationem omnino certo non posse sequi. — Quam praxin damnandam non esse, atque insinuare caute posse conjugibus, si aliter ab onanismi peccato non retraherentur, S. Poenitentiaria 16. Junii 1880 edixit.

ϑ) Ob multitudinem filiorum.

c) ***Casus, in quibus conjux licite non potest reddere debitum:***

c) Casus, in quibus conjux licite non potest reddere debitum.

α) *Ob damnum temporale* exinde eminens *aut conjugi petenti,* dum e. g. nescit, compartem morbo contagioso esse infectam; imo, ut dicunt, etiam dum haec conscia est periculi sui — nisi adsit justa causa reddendi; — *aut proli jam conceptae;* quoties nempe probabile mortis vel abortus periculum est timendum. Sed advertendum cum s. Alphonso, tale periculum communiter non adesse, ideoque non esse vexandos importune, ut abstineant tempore praegnationis. Insuper justa causa etiam in hoc casu excusat; — *aut denique uxori reddenti,* uti si haec e. g. ex antecedenti expe-

α) Ob damnum temporale.

---

[1]) Cfr. Capellmann, Medic. pastoral.

rientia sciat, se non posse sine *manifesto* vitae periculo foetum emittere. Si periculum quidem *grave*, sed non manifestum est, juxta omnes uxor *potest recusare* debitum; an vero teneatur recusare, vel prohibeatur petere, controvertitur. Sanchez putat, in tali casu licitum illi esse debitum petere et reddere.

Excipiuntur tamen sequentes casus, in quibus conjux debitum reddere potest etiam cum gravi periculo propriae sanitatis, scilicet: si proles sit necessaria ad bonum commune; si conjux petens esset in probabili periculo incontinentiae; si redderet ad vitanda magna dissidia, vel ad fovendum amorem conjugalem, vel etiam ad vitandum periculum incontinentiae propriae; et tandem si conjux sanus possit praeservativis facile vitare damnum sanitatis sive ejus periculum.

Nota: Haec autem omnia intelligenda sunt, si morbus alterius, ex quo periculum imminet, sit diuturnus et quasi habitualis; non vero si sit de illis, qui de brevi et facile possint mortem inferre, ut est e. g. infectio pestis.

β) Ob damnum spirituale.

β) Ob damnum spirituale; si nempe altera pars debitum petat vel in loco indebito, e. g. publico vel sacro; vel si altera pars petat modo prorsus illicito, e. g. sodomitico, quia in tali casu reddere idem esset, ac peccato alterius formaliter cooperari.

Si vir *onanistice* petat debitum, uxor id reddere potest, si *adsit gravis causa reddendi,* dummodo interius ipsius peccatum detestetur, exteriusque displicentiam suam ostendat, atque monitionibus et obsecrationibus, iterum iterumque repetitis, virum a tali crimine avertere, et ad meliorem frugem pro viribus inducere nitatur. Studeat etiam virum inducere ad temporaneam continentiam secundum supra dicta.

Hujusmodi mulierem inquietandam non esse, S. Poenitentiaria pluries decidit, quia proprie ne materialiter quidem peccato viri cooperatur, cum non cooperetur seminationi extra vas, sed tantum copulae ceptae, quae per se utique omnino licita est. Ita s. Alphonsus.

Gravis causa in hoc casu pro uxore reputatur, tum timor, ne a viro aliquid grave pati debeat, graves rixas etc., tum timor, ne sibi periculosum et grave sit tamdiu a matrimonii usu abstinere etc. — Ob hujusmodi rationes, uti supra dictum est, uxor etiam a viro onanista debitum petere potest.

Si autem vir ope instrumenti onanismum commissurus sciatur, non potest uxor, passive se habendo, actum permittere; sed tenetur, haud secus ac virgo, cui vis infertur, obfirmate, pro viribus resistere; nam in tali casu copula *ex parte ipsius actus* jam ab initio penitus illicita est et contra naturam. Ita s. Alphonsus.

γ) *Si petatur debitum tempore menstrui vel praegnationis,* vel mox post puerperium nulla prorsus interveniente causa honesta vel justa; attamen redditio in hoc casu certe veniale non excederet.

γ) Tempore menstrui vel praegnationis.

d) ***Casus, in quibus neuter conjux petere et reddere potest:***

d) Casus, in quibus neuter petere et reddere potest.

α) *Primo bimestri post nuptias matrimonio nondum consummato, si alteruter ligatus sit voto castitatis.* Nam tum conjux obstrictus voto ideo peccaret, quia exercendo copulam viam sibi praecideret ingrediendi religionem, sicque servandi votum; alter vero conjux peccaret cooperando voto alterius frangendo.

α) Primo bimestri ob votum castitatis.

β) *Si nullitas matrimonii cognita est ambobus conjugibus,* aut si morali certitudine de ipsa constet. S. Alphonsus.

β) Ob nullitatem matrim.

γ) *Si uterque conjux dubitet de valore matrimonii,* neuter potest petere aut reddere per se loquendo; non petere, quia sine necessitate exponitur periculo fornicationis; proximo fornicationis periculo vero se exponere, intrinsece malum est, et nunquam licet, — non reddere, quia petens in dubio peccat petendo. Si tamen ex denegatione redditionis praevideantur secutura gravia mala, pejora quam periculum fornicationis, potest reddere et se permissive habere ad peccatum petentis, cum sint justae causae illud non impediendi.

γ) Ob dubium de valore matrim.

Adhibita tamen diligentia ad dubium solvendum, matrimonium fit certum, et sic petere et reddere possunt; nam si dubium antecesserit matrimonium, supplet Ecclesia; si vero dubium post matrimonium initum ortum est, melior est conditio possidentis; possidet ergo matrimonium.

δ) *Si una pars certa est de nullitate matrimonii,* illa nec petere nec reddere potest. — Ubi notandum pro praxi: quod si confessarius tantum sciat, matrimonium esse invalidum, caute procedat, ne ex peccatis materialibus fiant formalia. Quoad specialem casum, scilicet, si confessarius ex confessione sciat, matrimonium ex una parte esse nullum, et dein altera pars veniat et confiteatur, se saepius debitum non reddidisse, confessarius juxta s. Alphonsum redditionem debiti urgere potest; ratio, quia licitum est suadere minus malum. Ceterum semper advertendum est, an forsan adsit spes, quod abstineant ab usu matrimonii usque ad acceptam dispensationem, quo casu eisdem utique significanda esset nullitas matrimonii, ut sic etiam peccata materialia impediantur.

δ) Si nullitas matrim. pro una parte certa est.

ε) *Si adsit impotentia coeundi certe cognita.* Sed de hoc consulatur jus canonicum. — Casus impotentiae consequentis juxta modernos medicos perrarus erit; et experientia constat, hanc impotentiam post plures copulas omnino tolli.[1])

ε) Ob impotentiam certam coeundi.

---

[1]) Cfr. s. Alphons. L. VI. Berardi, Praxis n. 342 sqq. Lehmkuhl II. n. 842 sqq. Marc II. n. 2092 sqq. Stapf II. §. 335. et 336. Aerntnys II. n. 492 sqq.

§. 75. Castitas conjugalis et peccata opposita.

I. Castitas conjugalis.

I. ***Castitas conjugalis:*** In hac materia probe distinguere oportet ea, quae *de praecepto* sunt, ab eis, quae sunt *meri consilii;* itemque quae *sub gravi,* et quae *sub levi* tantum praecipiantur aut prohibeantur. Praesertim castitas conjugalis haec postulat:

1. Ut fides tori omnino servetur. „Sit honorabile connubium in omnibus et torus immaculatus."[1]) Hinc neuter pars affectui sexuali erga personam aliam indulgeat, nedum adulterii ream se faciat.

2. *Ut actus conjugalis seu copula — sicut et actus imperfecti — ex honesto semper fine fiant;* scilicet: vel ad generationem prolis; vel ad vitandam incontinentiam; vel ad obedientiam erga petentem; vel denique ex intentione fovendi honestam amicitiam et mutuum amorem.

3. Ut actus maritalis institutioni creatoris semper conformis, i. e. per se ad generationem aptus sit.

4. Ut actus conjugalis etiam ratione modi, situs, temporis, loci aliarumque circumstantiarum copulae, sit omnino honestus, nisi justa causa aliud permittat.

5. Ut conjuges etiam in consortio maritali se abstineant ab omnibus actibus imperfectis, scilicet aspectibus obscoenis, tactibus impudicis, sermonibus lubricis etc., nisi hujusmodi actus ad copulam sequentem referantur, vel etiam ad contestandum mutuum amorem adhibeantur; nam ex intentione copulae vel mutui amoris quaecunque oscula, tactus, amplexus, aspectus, etc. inter conjuges praesentes, *sine periculo pollutionis,* et intra terminos honestatis naturalis, sunt licita; etenim hujusmodi actus se habent velut media ad finem, vel ut accessorium ad suum principale.

6. Ut conjuges extra consortium maritale, i. e. altera parte absente, quantum ad propriam personam *omnino castos se servent,* ac si matrimonio juncti non essent.

7. Tandem summi momenti est, ut conjuges christiani munditiei cordis studeant, ac propterea etiam consilii de bono meliori, quantum fieri potest, rationem habeant; e. g. ad tempus se abstinendo juxta monitum Apostoli. — At in praxi non audeat confessarius, conjuges juniores praesertim ad continentiam diuturniorem exhortari, neque annuat, ut verum de servanda continentia votum nuncupent; vix enim unquam consensus *vere mutuus,* et *ex utraque parte* prorsus liber adest, neque continentia diutius producta periculo carere solet. — Attamen valde conveniens est, ut certis quibusdam temporibus ex mutuo consensu sibi singulariter temperent, et orationi et sacris mysteriis vacent, sed ad brevius dumtaxat tempus. Imprimis continentia haec convenit diebus dominicis et festis, tempore Adventus et Quadragesimae, denique die s. Communionis, etiamsi non sit praecepta, ne sub levi quidem, tali die continentia!

---

[1]) Hebr. XII. 4.

II. ***Peccata opposita:*** Conjuges contra officia sibi incumbentia multifarie peccare possunt, tum interne, tum externe, tum graviter, tum leviter; — et quidem tum extra — tum intra consortium maritale. II. Peccata opposita.

1. ***Extra consortium maritale*** singulis conjugibus tum quoad proprium corpus, tum quoad alias personas ea omnia prohibita sunt, quae personis innuptis prohibentur, cum hoc tamen discrimine, quod peccata nuptorum simul induant rationem adulterii, ergo quodlibet peccatum contra castitatem duplex peccatum sit. Hinc graviter sunt peccaminosi tactus et aspectus in proprium corpus, si cum delectatione venerea absque relatione ad copulam immediate habendam fiant. Sunt tamen non pauci, qui dicunt, secluso pollutionis periculo, hujusmodi tactus culpam venialem non excedere; s. Alphonsus tamen sententiam contrariam probabiliorem et suadendam censet. 1. Extra consortium maritale.

Actus internos quod attinet, cuilibet delectationi morosae vel desiderio in ordine ad alias personas macula adulterii inhaeret. Delectatio vero morosa de copula vel habita cum comparte, vel proxime habenda, prout tenet sententia vere probabilis, secluso periculo pollutionis, non est illicita; ratio est, quia ipse status matrimonii haec omnia licita reddit; alias status matrimonialis nimius scrupulis esset obnoxius. At vero, „si delectatio habeatur non solum cum commotione spirituum, sed etiam cum titillatione seu voluptate venerea, sentio eam non posse excusari a mortali, quia talis delectatio est proxime conjuncta cum periculo pollutionis". Ita s. Alphonsus. — Sed simplex cogitatio tantum de habita vel habenda copula, certo nullum est peccatum.

2. ***Intra consortium maritale*** praesertim sequentia conjugum peccata veniunt deploranda:

1) Si copula carnalis fiat ob *solam* voluptatem; est tamen per se tantum veniale, uti jam supra dictum est.

2) Si copula exerceatur mente adultera; ut si vir, dum accedit ad suam, imaginetur aliam, et animum pascat; quod est mortale. Se excitare ad copulam respiciendo ad imagines sacras, item est grave peccatum, propter gravem irreverentiam.

3) Si copula exerceatur modo sodomitico; i. e. in vase praepostero, vel quocunque alio non naturali, sive eam consumment ibi, sive propter majorem delectationem ibi inchoent, cum intentione consummandi et seminandi in vase naturali; et hoc est gravissimum et nefandissimum peccatum contra naturam, includens insuper rationem aliquam adulterii. — Excipe tamen, ut antea dictum est, si vir id non faciat affectu sodomitico, sed tantum ad se excitandum ad copulam.

4) Si copula fiat modo onanistico; i. e. omnis pollutio voluntaria inter conjuges, aut effusio seminis extra vas legitimum, abrupta vel nondum inchoata copula, est peccatum mortale. — Si tamen, dum vir bona fide legitime congredi conatur, festinantius fortasse extra vas seminet, non est vitio dandum, etiamsi metus aliquis eum prius subierit; quia illud festinationi naturae tribuendum est. — Idem dicendum, si id praeter intentionem accidat

ob senium vel ob indispositionem partis alterius etiam voluntariam, quando spes probabilis remanet, copulam debite perficiendi. Sanchez.

5) *Uxores, quae semen jam receptum ejiciunt, aut conantur ejicere*, quacunque de causa faciant, sive paupertatis, ne multiplicetur proles, sive infirmitatis vitandae, sive etiam periculi mortis in partu, peccant mortaliter, quia id idem est, ac procurare abortum.

Nota: Inventus est nefandus modus conceptum destruendi statim post copulam, ope nimirum cujusdam injectionis in uterum. — Haec injectio, ut patet, homicidii reatum habet, sicut procuratio abortus.

6) *Si copula fiat non servatis debitis circumstantiis* quoad situm, locum, tempus etc. sine justa causa, est peccatum veniale, dummodo absit periculum pollutionis vel scandali, ut supra diximus. — Si vero adsit justa causa, tali modo, seu tempore etc. — (excepto semper loco publico) coeundi, nullum erit peccatum.

7) *Omnes actus impudici imperfecti inter conjuges*, uti: aspectus, tactus, oscula, turpiloquia, secluso periculo pollutionis, sunt peccata venialia, si fiant sine relatione ad copulam, vel sine alia justa causa, quo casu omni culpa vacarent; — dummodo actus isti non sunt tales, uti tactus turpissimi, ut ex se periculum omnino proximum pollutionis inducant, atque adeo hujus quasi inchoatio esse videantur, e. g. morosae verendorum attrectationes, vel si vir perfricaret pudenda circa vas praeposterum mulieris, vel si ea in illius os introduceret (quae obscoenitas irrumatio dicitur). Cum enim directa pollutio semper illicita sit, nunquam potest proximum ejus periculum permitti, nisi dentur illae causae et serventur illae conditiones, quae pollutionem indirecte voluntariam sufficienter excusant. — Tactus, oscula et amplexus *pudici* ad fovendum mutuum amorem, omni culpa vacant, licet aliquando improvisa sequeretur pollutio; quia hoc esset per accidens, et justa adest causa adhibendi hujusmodi blanditias. — Ast vero, juxta s. Alphonsum, graviter culpabiles sunt, si fiant cum periculo pollutionis in se vel in altero, casu, quo habeantur ob solam voluptatem, vel etiam ob levem causam; secus si ob causam gravem, puta si aliquando adsit urgens causa ostendendi indicia affectus ad fovendum mutuum amorem, vel ut conjux avertat suspicionem ab altero, quod ipse sit erga aliam personam propensus, modo absit periculum consensus.

8) *Negatio redditionis debiti sine justa causa* est peccatum grave, uti supra jam dictum est.

9) *Qui se impotentem reddit ad actum conjugalem,* etiamsi id fiat mediis alias licitis, e. g. jejunio, nimio labore, graviter peccat, nisi forsan subjective imperfectio actus — defectus hujus intentionis — excuset.

10) *Quoad pollutionem, quae per accidens evenit* ex actibus imperfectis impudicis inter conjuges, applicandae sunt regulae generales; videndum scilicet est, an adsit justa causa hujusmodi actus ponendi, necne; quaelibet causa justa — secluso periculo consensus — excusat; vel si non adsit talis causa, an actus sit graviter,

vel leviter influens; an pollutio praevideri et impediri potuit ac debuit. Unde talis pollutio est vel grave, vel leve, vel nullum peccatum.

Ex dictis patet, quod *secluso voluntariae pollutionis et sodomiae crimine* vix aliquid inter conjuges quoad castitatem intercedere possit, quod gravis culpae *certe* damnari queat. Quo quidem principio, uti par est, statuto, expeditissima confessario ratio suppetit, tum ut sanctitati Sacramenti, tum ut saluti poenitentium prospiciat. — Proh dolor! praesertim in hac materia perplures confessarii sunt justo plus rigidiores, dum omnes pene actus imperfectos inter conjuges peccatis mortalibus adnumerent. Consulant, quaeso, probatos auctores, ne sibimetipsis et conjugibus laqueum damnationis injiciant.

Nota: Quoad officium confessarii in *interrogando* circa peccata conjugum haec notentur:

a) De iis, quae ad usum matrimonii spectant, confessarius eos tantum interroget, quos ob justam causam *gravis culpae* reos esse suspicatur; idque faciat modo, quo potuerit, modestissimo; — de *venialibus* autem in hac materia tam lubrica nunquam interroget.

b) *Quod si gravis ratio interrogandi sit,* uti si suspicetur, quod conjuges onanistice congrediantur, incipiat prorsus a generali aliqua interrogatione e. g. an in matrimonio bene vivant, uxorne viro obediat: responsa data et modus respondendi facillime confessarium docebunt, utrum ulterius interrogandum sit necne.[1])

§. 76. Officia status parentalis.

Societas parentalis est conjunctio parentum ac liberorum, naturalis necessitudinis vinculo constricta, atque ex fine matrimonii, quatenus is ad procreationem prolis extenditur, orianda. Satis quippe certum est, nil naturae ordini magis congruere, quam ut genitores genitis suis jungantur, hique illorum cura et omnigena ope fruantur. Alioquin experientia constat, naturali non minus, quam tenerrimo animi sensu parentes in liberos, et hos vicissim in illos ferri.

Ex mutua hac relatione parentes inter et liberos pro illis et istis certa officia oriuntur.

I. ***Officia parentum erga liberos:*** Divina providentia mirum in modum providit, ut mutua relatio parentum inter et liberos intima et simul suavissima fieret. Hinc benignissimus Creator praesertim praecordiis *maternis* miros tenerrimosque erga prolem affectus instillavit. Sed non tantum *sensus*, verum etiam ratio per revelationem illustrata, parentes ad singularem erga proles *caritatem* obligat, id quod ex utriusque Testamenti paginis abunde comprobatur. Et utique jam ipsa natura docet, tenellum, suique I. Officia parentum erga liberos.

---

[1]) Cfr. Auctores supra relatos et l. c.

per omnia impotem infantulum, a Deo ipso parentibus concreditum, eorumque singulari curae demandatum fuisse. Imo proles quodammodo *pars parentum* existit, per quam illi perennant, et post ipsam suam mortem adhuc superstites erunt.

Ex eadem ratione parentibus in proles suas *certa quoque jura* competunt, ita ut non tantum filios, donec emancipati fuerint, sibi subjectos habeant, sed etiam ab omnibus hominibus postulare possint, ne quis citra suum consensum illos sibi usurpet, vel ex aedibus paternis abstrahat. — Sed licet parentibus in filios suos potestas quaedam dominativa competat, illa tamen per nativam hominis destinationem limitatur, cum proles non propter parentes, sed propter Deum existant. Imo jus istud parentibus a Deo nonnisi hunc in finem conceditur, ut proles sibi concreditas incolumes servare, easque ad destinationem suam feliciter assequendam pro viribus juvare studeant. Unde hoc jure non tam sui ipsorum causa, sed potius ad salutem ipsius sobolis gaudent; et idcirco, ubi filii ad justam animi corporisque maturitatem pervenerunt, haec parentalis potestas suapte quasi natura exspirat.

Nota: Quid Codex civ. Austr. tum de patria potestate, tum de ejusdem cessatione habeat, vide §§. 137.—178. Item de filiis adoptatis §§. 179.—185.

Jam praecipua officia parentum erga liberos spectant tum ad *educationem* tum ad *collocationem* prolium.

1. Officium educationis.

1. ***Officium educationis:*** Jus educationis parentibus quoad suos liberos naturaliter competit, unde illud a societate usurpari nequit, quin patriam potestatem violet. Hinc S. P. Pius IX. in Encycl. die 8. Dez. 1864 appellat „funestissimum Communismi et Socialismi errorem, societatem domesticam seu familiam totam suae existentiae rationem a jure dumtaxat civili mutuari; proindeque ex lege tantum civili dimanare ac pendere jura omnia parentum in filios, imprimis vero jus institutionis educationisque curandae“. Debet utique societas efficere, ut publica media non desint, quibus parentes ad liberos rite educandos uti possint. Debet etiam consentaneis modis curare, ut parentes tantum officium non negligant. At in rem hanc se directe immiscere, eamque potestatem sibi vindicare, — uti nostris temporibus fit, — nequaquam potest sine evidenti violatione juris paterni, cujus est, educationi filiorum prospicere. Etenim filius, ut scite s. Thomas advertit, quamdiu se regere nequit, est res patris, ad quem proinde pertinet, ejus corpus et animam educare.

Itemque prolibus parentum catholicorum in scholis publicis institutio et educatio doctrinae catholicae offensiva, vel penitus irreligiosa, sine gravissima parentum injuria obtrudi nequit; jure enim exigere possunt parentes, ut media publica educationis et instructionis, quibus pro filiis utantur, sint fini consentanea et apta.

Scopus omnis educationis est, et esse debet, ut homo adhuc immaturus ad veram suam destinationem feliciter assequendam magis magisque provehatur, ut sic felicitatem tum temporalem tum

aeternam consequatur. Hinc parentes liberis suis potissimum duplicem educationem debent, *corporalem nempe* seu *physicam*, et *spiritualem* seu *religiosam, moralem.*

1. Educatio corporalis.

1. ***Educatio corporalis seu physica*** duplicem curam a parentibus exigit, nempe:

a) Ratione vitae et sanitatis.

a) Ratione vitae et sanitatis. Proli jam antequam enata sit, summa sollicitudo advertenda est, ne quid detrimenti in utero matris patiatur. Hinc mater omnem lasciviam vitet, et vehementes affectus inordinatos sedulo coerceat; necnon ulteriore tempore praegnationis a gravioribus laboribus abstineat, tum ne foetus perimatur, tum ne forsitan tenero foetui prima malorum semina ingerantur. Commendandum summopere matri praegnanti est, ut prolem in utero piis precibus Deo offerat, patrocinio B. V. M. committat etc.

Proli in lucem editae mater curam convenientem praestare tenetur. Et quidem mater tenetur (sub veniali) lacte proprio infantem alere, nisi habeat justam causam excusationis, e. g. infirmitatem, debilitatem (vel si sit nobilis, ob consuetudinem); tunc vero tenetur sub gravi, nutricem bonam quoad mores et valetudinem sibi substituere. Ita s. Alphonsus. Item tenetur secundum jura prolem alere ad finem anni tertii; si vero mater non possit lactare, tenetur pater ad expensas lactationis. Postea educatio usque ad emancipationem spectat ad patrem; excipe, nisi hic esset pauper, sed mater dives.

b) Ratione victus et vestitus.

b) Ratione victus et vestitus: Parentes filios tamdiu alere et vestire tenentur, usquedum semetipsos liberi possint alere vel vestire: et quidem parentes ad hoc sub gravi tenentur. Porro diligentiam saltem mediocrem adhibere debent, ut bona sua pro filiis servent, imo et alia etiam acquirant, ex quibus filiis in futurum provideant. Constat ex jure naturali et ex Apostolo dicente: „Nec enim debent filii parentibus thesaurizare, sed parentes filiis.“[1]) — Hinc graviter peccant parentes:

Peccata opposita:

α) Si sine justa causa prolem in hospitali vel locis publicis exponant; justa autem causa esset, si proles sit illegitima, uti Laymann et alii probabiliter dicunt;

β) si parentes non curent, ut acquirant bona, quibus filii alantur habeantque haereditatem secundum suum statum (graviter vel leviter pro ratione negligentiae);

γ) si parentes bona dilapidando impotentes se reddant ad liberos honeste secundum statum suum educandos, vestiendos ac dotandos;

δ) si sine legitima causa filiae dotem negent, vel filium exhaeredent, e. g quia vult ingredi vel est ingressus religionem; vel vult recipere vel recepit Ordinem sacrum. Causas, ex quibus filius exhaereditari potest, exhibet C. Aust. §. 768.

2. Educatio spiritualis.

2. ***Educatio spiritualis, religiosa, moralis:*** Quo praestantior anima corpore est, eo gravius animae quam corpori

---

[1]) II. Corinth. XII. 14

filii parentes consulere tenentur. Ideo curare debent, ut filii quamprimum gratia baptismatis regenerentur; porro: ut a primis annis eos precibus assuefaciant, ut a tenerrima aetate illos praecipua doctrinae catholicae capita, per se, vel per alios edoceant; Benedictus XIV.[1]) ait, parentes in manifesto damnationis periculo versari, si liberos suos religionis elementis erudire negligant. — Porro ut filii quoque scientias humanas discant. Parentum etiam est, liberos a mundi illecebris et voluptatibus avertere, et praecipue a locis suspectis, a conversatione periculosa cum personis diversi sexus arcere. Diu noctuque vigilent, ne pravis sociis, colloquiis et lectionibus corrumpantur.

Assuefaciant liberos, ut praecepta Dei et Ecclesiae, quantum ad ipsos spectant, accurate observent; curam gerant, ut Missam frequenter audiant, et dum jam provectioris aetatis sunt, Sacramenta frequenter et devote suscipiant. Optime agunt, si corda filiorum jam a primis annis ad teneram B. V. M. venerationem et dilectionem pio studio inclinent.

Dein parentes filios delinquentes *corrigere*, imo et *punire* debent, nam „qui parcit virgae, odit filium suum".[2]) Caveant tamen, ne in corrigendo modum excedant, ab iracundia dirigi patiantur, in maledictiones prorumpant. Cum vero exempla efficaciora sint, quam verba, ideo parentes non verbis tantum, sed magis adhuc exemplis studium virtutis prolibus instillare oportet, omniaque maxime cavere debent, quae timorem Dei in filiis debilitare eorumque mores corrumpere possent. — Denique meminerint parentes, gratiam divinam ad salutarem educationis effectum omnino necessariam esse; idcirco fervidi sint in orationibus ad Deum effundendis, ut sibi suisque divinam gratiam et benedictionem ad negotium educationis fructuose peragendum acquirant. Commendent humiliter et fiducialiter liberos sacratissimo Cordi Jesu et tutelae B. V. M., ut a peccato mortali immunes serventur, et in gratia Dei continuo proficiant. Ita Müller et Stapf.

Peccata opposita:

Hinc graviter peccant parentes:

α) Si, quantum in ipsis est, non curent, ut liberi bonis moribus imbuantur, doctrinam christianam seu fidei rudimenta addiscant, pravorum consortia vitent, mandata Dei et Ecclesiae servent, Sacramenta frequentent et a peccatis abstineant.

β) Si proles ad scholas haereticas mittant. Nec permissum parentibus est, in scholas paritaeticas filios mittere; id enim Sedes Apostolica prohibuit, sicut et Germaniae Episcopi saepe saepius contra scholas paritaeticas protestati sunt.[3])

γ) Si occasiones peccandi ab eis non avertant; vel in locis aut domibus suspectis eos habitare permittant.

δ) Si consilio vel exemplo malo eos depravent. Vae parentibus scandalosis!

---

[1]) Instit. 19. [2]) Prov. XII. 24. [3]) Quoad pravas scholas cfr. Marc II. n. 712.—717.; item Lehmkuhl I. n. 786.—788. Aertnys II. n. 333 sqq.

ε) Si non objurgent puniantque dissolutos; moderate tamen; — nam peccant etiam verberando immoderate, e. g. ut notabiliter laedantur, vel si puniant in ira et odio.

ζ) Peccant etiam illiberalitate, aversatione et odio injusto in filios, imprecationibus, contumeliosa compellatione, occultorum defectuum seu delictorum filiorum propalatione; — et econtra: affectu inordinato et molliculo erga filios, seu crudeli illa misericordia, quae filiis omnia indulget.

2. ***Officium collocationis:*** Praeter educationem aliud etiam parentum officium est, ut liberos suos rite *collocare,* seu ad convenientem statum perducere conentur. Potissimae partes hujus officii sunt: 2. Officium collocationis.

a) Ut illos ad munia status, cui destinati videntur, rite excolant, vel pro concessis sibi facultatibus excolendos curent.

b) Ut iisdem, quantum per leges altiores licet, sufficientem rerum facultatumque copiam parare studeant. Equidem *proba educatio* haereditatem etiam pinguissimam longe superat; attamen negari nequit, opes, siquidem honeste ac legitime partae fuerint, prolibus ad conditionem suam perficiendam maximo fere adjumento esse posse.

c) Demum ut in capessendo aliquo vivendi statu illis tum consilio tum opera affectu vere paterno adsint, ita tamen, ut eorum jura in hoc tanto negotio, quantum fas est, pie revereantur. Etenim filii in status electione omnino liberi sunt et independentes a parentum voluntate; quia homo eum statum amplecti debet, ad quem a Deo vocatus est; quocirca hac in re non hominis, sed Dei voluntatem exequi debent.

Hinc praesertim illi parentes reatum gravissimum incurrunt, qui vel consiliis filiorum, ubi certum statum elegerunt, sine justa causa ex mera pertinacia reluctantur, vel eosdem invitos cogunt ad talem vivendi conditionem, quae semel inita non amplius potest mutari; e. g. ad statum sacerdotalem, vel religiosum vel conjugalem amplectendum; ubi in specie notandum, quod Concilium Tridentinum[1]) excommunicationem tulit in cogentes ad monasterium filias, vel impedientes feminam ab hoc ingressu.

Nota: Fusius de educatione specialis disciplina, quae Paedagogica vocatur, tractat.

Ultimo notandum est, quod omnia relata officia erga liberos deficientibus parentibus transeant ad *ascendentes,* e. g. ad avum, proavum, et ad patrinos Baptismatis et Confirmationis, relate ad *educationem spiritualem;* etenim patrini sunt quasi-patres spirituales, qui baptizatum vel confirmatum suscipiunt in suam curam.

Quoad *educationem physicam* seu *res temporales* vero, illa officia deficientibus parentibus transeunt ad *tutores et curatores,* quippe qui quoad res temporales filiorum vices parentum gerere tenentur. — Tutor sive curator tenetur ergo curam gerere pupilli,

---

[1]) Sess. XXV. cap. 18.

ejusque bona rite et fideliter administrare; nam in hunc finem constituitur et assignatur pupillo loco patris; quare si delinquat, vel notabiliter sit negligens hac in re, peccat graviter, et ad compensationem damni, quod pupillus ex eo accepit, obligatur. Imo, si tutor officium exerceat pretio, tenetur etiam de levi culpa.[1])

II. Officia liberorum erga parentes.

II. ***Officia liberorum erga parentes:*** Sicut ad jura naturalia liberorum pertinet, exspectare et postulare a parentibus, vitae suae auctoribus, quidquid ad vitae humanitatisque dignitatem tuendam opus habent, ita ut parentes vicissim officio teneantur, eatenus saluti liberorum suorum providere atque consulere: quod tam recta horum educatione, quam etiam congrua collocatione in civitate et republica fit — sic econtra etiam liberis erga parentes vi quarti Decalogi praecepti gravissima incumbunt officia. — Summa eorum consistit in *pietate* ipsis exhibenda, quae complectitur *amorem, reverentiam* et *obedientiam.*[2])

1. Amor.

1. ***Quoad amorem*** filii parentibus bona velle atque potissimum bonum operari pro viribus tenentur. Igitur filiorum est, parentibus omnia bona apprecari et per obsequia placere; ipsis graviter indigentibus, quando possunt, subsidia necessaria subministrare; iis senio, infirmitate vel quocunque adverso casu laborantibus piam commiserationem, solatium opemque exhibere: praesertim autem in necessitate spirituali illis subvenire, uti e. g. quando versantur in periculo mortis, ut ipsis Sacramenta administrentur etc.

Nec morte parentum amor filiorum finiri debet, sed potius piam eorum memoriam retineant, atque eorum animas suffragiis, potissimum vero acceptabili Missae sacrificio juvare satagent. — Ex dictis peccata amori, quem filii parentibus debent, adversantia facile colliguntur. In specie tamen graviter peccat filius in sequentibus casibus:

Peccata opposita:

a) Si signa odii et contemptus parentibus ostendat, et eos dure et aspere tractet.

b) Si eos torvo occulo fere semper intueatur, ac ita aspere alloquatur, ac si eos odio haberet vel contemneret.

c) Si non subveniat eis in gravi necessitate spirituali vel corporali; unde graviter e. g. peccant filii, si negligant preces et sacrificia offerre pro parentibus; vel si non curent, ut parentes in articulo mortis suscipiant Sacramenta necessaria etc.

d) Si non impleat eorum testamenta et legata, modo haeres sit; vel impediat, quominus fiant testamenta malis artibus, secus tamen, si modis permissis.

e) Si grave malum, e. g. infamiam gravem, vel mortem illis optet. Ita s. Alphons.

2. Reverentia.

2. ***Quoad reverentiam*** notandum est, quod filii erga parentes singularem honorem in corde fovere, atque verbis factisque manifestare tenentur, monente s. Scriptura: „In opere et sermone, et omni patientia honora patrem tuum.“[3]) — Hinc efficitur, ut reatus injuriarum alias non adeo gravium, si parentibus inferantur,

---

[1]) Cfr. Berardi Prax. n. 979 sqq. [2]) Ber. op. c. n. 169. [3]) Eccli. 3, 9.

oppido augeatur. Unde graviter peccat filius in sequentibus potissimum casibus: Peccata opposita:

a) Si percutiat patrem vel matrem etiam leviter — quod peccatum fere ubique etiam est casus Episcopo reservatus.

b) Si manum deliberate ad percutiendum attollat. Ita omnes communiter; et recte advertit Sporer, quod in his filius dupliciter peccaret, contra justitiam et contra pietatem.

c) Si graviter parentes contristet, etiamsi verba non sint graviter contumeliosa, ut probabilius dicit Busenbaum; nam si tunc non laeditur graviter reverentia, saltem graviter violatur amor erga parentes, eos sine justa causa graviter et deliberate contristando.

d) Si animo deliberato ad gravem iram provocet verbis contumeliosis vel talibus, quibus sciat eos graviter offendendos.

e) Si maledicta aut convicia in eos conjiciat; intellige in eorum praesentia, vel animo malevolo aut cum magno contemptu; item si parentes deliberate gestu vel risu subsannet.

f) Si parentes pauperes descipiat vel nolit agnoscere. Quod si tamen exterius tantum dissimulet se eos noscere, et nolit apud se habere ex justa causa, dummodo eis provideat de necessariis, Bonacina eum excusat a mortali eo, quod rationabiliter non sint inviti. Hinc nonnulli probabiliter filium excusant a gravi, si grave damnum passurus esset, vel si parentes infami crimine essent notati, et si solum exterius dissimularet sine interno contemptu. Azor. etc.

g) Si in foro externo filius etiam de vero crimine parentes accuset, extra crimen haeresis, proditionis vel conjurationis in Principem, cum non sit alius corrigendi modus. Ita s. Alph.

3. ***Quoad obedientiam*** filii obstringuntur, ut parentum jussa in omnibus licitis et honestis ad eorum curam pertinentibus, sedulo exequantur. In rebus autem pravis filii non debent, imo nec possunt obedire. — Hinc possunt et debent munia Religionis explere, Sacramenta petere, licet directe id prohibeant parentes. Porro non tenentur filii parentibus obedire, quoad vitae statum amplectendum, cum in hac re sint omnino liberi, uti jam supra dictum est; omnino autem decet, parentes consulere. Verum in matrimonio ineundo voluntas parentum exquirenda est ab eis, qui juxta leges civiles sui juris haud agnoscuntur. 3. Obedientia.

Unde graviter peccat filius in sequentibus casibus: Peccata opposita:

a) Si in re gravi sit inobediens circa ea, quae pertinent ad gubernationem domus, bonos mores et animae salutem, uti e. g. si contra voluntatem parentum habeat turpes amores.

b) Si contra voluntatem parentum ducat uxorem se indignam. Indigna autem dicitur, quacum non potest contrahere sine dedecore juxta suae regionis usum.

c) Si sine justa causa nolit eam ducere, quam vult parens, maxime si inde sopirentur odia, aut parentum necessitas levaretur. — Erit autem justa causa, si sit impar familia, si

infirma, infamata, deformis, fatua vel immorigera, vel si eam absolute nollet.

d) Si inconsultis parentibus nubat; — quod tamen cum grano salis tenendum.[1])

e) Si invitis parentibus notabilem summam auferat, — qualis non semper est juxta Lessium, si filius patri praediviti duo vel tres, imo secundum Sanchez, quinque vel sex aureos (i. e. 30 francos) furetur, eo quod parens sit minus invitus, et filius sit aliquid patris. Unde non tenebitur ad restitutionem, nisi forte cohaeredibus graviter noceat.

f) Si filius notabilem summam expendat in res turpes aut vanas, contra voluntatem parentum, ex pecunia sibi suppeditata ad usus honestos. Ita Lessius, etsi excuset a restitutione, si pater rogatus facile condonaturus putetur.

Nota: Si filius alitur in distanti loco a parentibus, uti e. g. Studiosus, poterit ex alimentis moderate aliquid insumere in honestum lusum, e. g. quinque ex centum, quia talis communiter praesumitur voluntas parentum. Ac propterea potest etiam filius exponere, quidquid lucratus fuerit, cum ad hoc etiam parens censeatur tacitam facultatem dare. Ita Laymann et alii. — Ultimo notandum, quod filius in his peccat graviter peccato speciali in confessione explicando, si materia sit gravis, et parens *praecepto expresso et serio* id mandaverit.[2])

Articulus II.

Officia status herilis et forensis.

§. 77. Officia status herilis.

Inter societates privatas hominum pertinet etiam illa, quae *domestica* dicitur. Nemo pene his in terris deprehenditur, qui non aliorum opera, labore et quocunque servitio indigeat ad vitam tranquillam et commodam domi suae vivendam. Hinc alios in domum et quasi familiam suam adsciscit, eosque mercedis aut praemii pactione conducit in vitae suae commoditatem et utilitatem; atque sic oritur *societas domestica vel familiaris.* Conducens *heri* aut *domini* auctoritate fruitur, conducti vero *famulorum* aut *servorum* vice funguntur. — Inter conductos sunt, qui communia et vilia domus negotia procurant, et famuli vel ancillae dicuntur; sunt vero etiam, qui muneribus nobilioribus funguntur et quasi vices patrisfamilias agunt, e. g. educationem et institutionem prolium vel praediorum etc. administrationem sibi commissam habent,

---

[1]) Quoad obligation. filior. erga parentes in electione status cfr. Schmid, solutio cas. ex Dir. Brixinensi 1886, cas. VIII. et 1887, cas. X.
[2]) Cfr. s. Alph. L. III. H. A. VII. Müller II. §. 197. Marc II. n 694.—703. Lehmkuhl II. n. 783.—795. Stapf II. 140.—142. Gury de IV. praecepto.

atque ideo in familia amicorum et familiarium potius, quam famulorum loco ponuntur. Sed in utrisque res summa eadem, modus tantum diversus est.

Ex hac igitur domesticae societatis conditione patet, finem ejusdem constitui per mutuum vitae, victus cultusque adjutorium, libero pacto invicem sancitum. Ex hujus igitur societatis indole *officia aliqua justitiae, aliqua caritatis* enascuntur, quorum utraque tamen ad vitae privatae et perfectionem et felicitatem, imo et ad salutem publicam maximi momenti sunt. — Unde officia tum herorum, tum famulorum breviter explananda sunt.

I. Officia herorum.

I. ***Officia herorum:*** Domini et superiores — heri — tenentur generatim habere curam famulorum aliorumque suorum subditorum; nam „si quis suorum, et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior",[1]) uti Apostolus dicit; et ratio est, quia sunt ipsorum caput et vices parentum gerunt, ideoque tenentur quodammodo ad ea, ad quae parentes obligantur. In specie vero heris tum *ex justitia,* tum *ex caritate* certa officia incumbunt.

1. Ex justitia.

1. ***Ex justitia*** domini seu heri tenentur famulis mercedem *justam*, i. e. mercedem, quae attentis circumstantiis laborum, et spectata loci consuetudine videtur justa, assignare et fideliter solvere. Porro tenentur famulis victum aliaque, de quibus vel expresse, vel tacite conventum est, fideliter, sine omni diminutione praestare.

Peccata opposita:

Hinc graviter peccant domini seu heri:

a) Si alimenta convenientia non praebeant, et mercedem justam, dummodo fideliter serviverint, non solvant, vel solvere differant sine rationabili causa; vel de illa injuste decerpant. — Fraudatio mercedis debitae, uti jam alibi diximus, inter peccata ad coelum clamantia numeratur, et restitutione reparari debet.

b) Si ante elapsum terminum temere eos domo expellant; in quo casu, nisi gravissima ex causa id fecerint, tenentur ad solutionem integrae mercedis, uti sententia communis habet. Nec famulus injuste expulsus tenetur redire ad complendum tempus, si tempus conventionis sit jam transactum, et per ipsum non defuit, ut compleret; tunc enim tenetur dominus ad salarium promissum. Si autem famulus causa expulsionis nullum damnum passus fuisset, probabiliter dominus in poenam injustitiae tenetur in conscientia solvere ei saltem majorem, quam dimidiam partem salarii; imo, ut notat Lessius, tenetur totam mercedem tribuere, sed hoc non nisi post sententiam judicis juxta regulam omnium poenalium.

2. Ex caritate.

2. ***Ex caritate*** domini seu heri tenentur: famulos benigne tractare, clementer illis praecipiendo, humane eos alloquendo; infirmos provide curando, in laboribus exigendis rationem virium habendo; et generatim tales erga famulos se gerendo, quales ipsi domini sibi exoptarent, si aliis servire cogerentur. — Porro tenentur,

---

[1]) I. Tim. V. 8.

ad paternam maternamque curam ratione salutis aeternae famulorum gerendam. Quem in finem famulorum conversationem tum intra, tum extra domesticas parietes solerter invigilent; famulos ad implenda religionis munia adhortentur et compellant, peccantes redarguant, nutantes in bono confirment, bonis exemplis eos aedificent etc.

Peccata opposita:

Hinc graviter peccant domini seu heri:

a) Si famulos gravibus injuriis afficiant, vel si eorum labores justo plus aggravent, et crudeliter et inhumane eos tractent.

b) Si sine justa causa impediant famulos, quominus diebus festis et dominicis Missam audiant; vel si diebus festis opera servilia eis imponant; vel si jubeant ea, quae sine peccato fieri non possunt; vel si eos cogant ad jejunium frangendum.

c) Si peccandi occasionem permittant, cum eam possint impedire; aut si graviter delinquentes non corrigant; negligentes necessaria ad salutem, non moneant, non corripiant.

d) Si eum, qui liberos aliosve domesticos verbis, exemplo vel moribus pravis corrumpit, et qui reprehensione non emendatur, e domo non dimittant.

e) Si famulos pravis exemplis, lascivis verbis, contemptu religionis etc. aedificent in gehennam.

II. Officia famulorum erga heros.

II. ***Officia famulorum erga heros:*** Famuli ceterique subditi tenentur suis dominis et superioribus aliquo modo eadem, quae filii parentibus debent. In specie eis praestent necesse est:

1. Reverentiam et amorem.

1. ***Reverentiam et amorem*** juxta praeceptum Apostoli: „Servi dominos suos omni honore dignos arbitrentur.“[1]) — Hinc graviter peccant famuli, qui heros contemnunt, iis irrident, arcana domestica divulgant, dominorum defectus occultos manifestant, ipsis insolenter respondent etc.

2 Obedientiam et subjectionem.

2. ***Obedientiam et subjectionem*** in iis omnibus, quae spectant ad implendum contractum, ad ipsorum operas, vel religionem et bonos mores. Inde graviter peccant famuli, si dominis in hujusmodi rebus magni momenti non obediant.

3. Fidelitatem in servitio.

3. ***Fidelitatem in servitio*** et in curandis rebus ipsis concreditis; in exequendis iis, quae illis praecipiuntur aut ad eorum officium spectant. Unde graviter peccant famuli, si non laborent aut serviant fideliter, tenenturque ad compensationem damni. Lessius. — Vel si grave damnum inferant vel inferri permittunt, cum possint impedire. Navarrus. — Vel si sine justa causa, — et quidem gravissima causa — discedant a domino ante terminum elapsum.

Sed hic notandum, quod famulus locans operas suas ad annum, si ante annum culpa sua discedat, juxta sententiam communiorem possit stipendium petere pro tempore, quo inservivit, nisi grave damnum domino inde eveniret; quia servitus exhibita meretur utique mercedem suam, quamvis non totam, de qua conventum fuerit. Unde tenetur dominus solvere saltem parum minus,

---

[1]) I. Tim. V.

quam dimidiam partem stipendii. — Si famulus, locans operas suas ad annum, per menses aegrotet, non tenetur operas suas supplere, quia promissio tempori determinato allegata est. Salarium vero pro tempore aegrotationis petere nequit. Sed hac in re etiam leges particulares cujusque regionis considerandae sunt.

Pro praxi adhuc sequentia notanda sunt: Nota pro praxi.

a) Curandum est, ut sua sorte famuli contenti sint. Status enim subjectionis ad consequendam aeternam salutem multum juvat.

b) Avertendae sunt puellae, ne ob majus stipendium in urbes ancillandi causa commigrent; in urbibus enim magna plerumque pericula eis imminent, praesertim ubi neminem habent, quem consulere possint.

c) Stricte vetandum est famulis, ne suam operam locent heris, in quorum domibus exponerentur proximo peccandi periculo, aut gravi damno circa fidem et mores. Quod si de heris haereticis agatur, expresse apponendae sunt conditiones de servandis Ecclesiae legibus.

Adhuc pauca dicenda sunt de alia relatione subjectionis et superioritatis, de relatione scil. ***magistrum*** inter et ***discipulum***. *III.* Haec relatio ***magistro imponit obligationem:*** III. Officia magistrorum.

1. Tradere doctrinam sanam et ad scopum intentum idoneam — ex quasi-justitia.

2. Si simul etiam educationis curam in se sumpsit, ex eadem quasi-justitia obligatur ad promovendos bonos mores et corrigendos defectus sui discipuli.

3. Si hanc specialem curam assumptam contrariis peccatis contra caritatem violat (odio, scandalo etc.) circumstantiam suae conditionis declarare debet in confessione, quia peccatum specie diversum et gravius commisit, quod tum caritatem tum pietatem laesit.

IV. ***Discipuli erga magistrum obligatio,*** si ejus curae et educationi traditus est, infert: IV. Officia discipuli.

1. *Obedientiam* in rebus, in quibus subjectus est.

2. *Reverentiam et amorem,* ita, ut facilius graviter peccetur, et peccato specie diverso, *observantiae* laesione, quam si contra extraneos res acta esset, ut detractione, irrisione etc.

3. Si autem post dissolutam relationem intimiorem sola ratio gratitudinis debitae peccatum contra magistrum etc. commissum auget, — quod idem est de quolibet benefactore, — nisi *formalis* ingratitudo intervenit, raro omnino hujus relationis circumstantia in confessione declaranda est, quia peccatum specie non distinguitur ab eodem peccato contra alios homines commissum, neque ingratitudo novam mortalem speciem superaddit, nisi valde magnus fuerit excessus in peccato.

4. *Circa obedientiam* certo non minus requiritur ad constituendam materiam gravem, quam in inobedientia erga parentes. — Insuper notandum est eos, qui propriis Superioribus auxiliares sunt, non habere per se veram praecipiendi potestatem; quare longe facilius inobedientia erga eos a peccato *gravi* excusat. Hinc dicunt,

alumnos et convictores omnino saepe excusari a *mortali* peccato, si ex contemptu quodam non obediant *suis praefectis*, eo quod hi non habeant veram auctoritatem praecipiendi, ac proin in iis non contemnatur auctoritas, sed persona; at ut personae contemptus *gravis* sit, multo plus requiritur.[1]) Lehmkuhl.

§. 78. Officia status forensis.

Status forenses diversi distinguuntur, sed sufficit pro praxi, si potissimorum tantummodo brevis commemoratio fiat; qui sunt: status medici, pharmacopolae, judicis, accusatoris, rei, testis, advocati, notarii, artificis, opificis et custodis. De singulis pauca.

I. Officia medici.

I. ***Officia medici:*** Medicorum obligationes sunt praesertim sequentes: debent esse sufficienti scientia instructi; aegrotis praesto esse debent studiosa cura; caveant, ne Dei et Ecclesiae praecepta parvi faciant quoscunque ut dispensatos declarando sine necessitate; debent secreta suae fidei concredita servare, et caveant, ne iis abutantur, morbos pudendos pandendo sine justa causa. Porro tenentur sequi opiniones medicorum securas et tutas saltem ordinarie; in dubio adhibere debent remedium certo non nociturum, et dubie profuturum; tandem sub gravi tenentur aegrotum admonere de ejusdem periculo, et de necessitate Sacramenta suscipiendi; sufficit tamen, si medicus curet, ut infirmus de hoc moneatur a propinquis vel a confessario. — Ex dictis per se patet, quando medicus peccare possit et quidem medicus negligens in hisce officiis plerumque graviter peccat.

II. Officia pharmacopolae.

II. ***Officia pharmacopolae*** sunt: ut habeat scientiam et peritiam sufficientem; ut fideliter artem suam exerceat, sicut et cum pietate, religione et caritate; ut cum omni diligentia medicamenta conficiat; ut non pharmaca inutilia vel etiam nociva vendat e. g. medicamenta sterilitatis, abortiva, vel venenum sine speciali licentia. C. Austr. criminal. §. 343.—371. Peccata per se patent.

III. Officia judicis.

III. ***Officia judicis:*** Judex est persona publica, legitima auctoritate constituta, ut secundum leges justitiam administret, atque in delinquentes poenas decernat. Praecipuae ejusdem obligationes sunt:

1. *Jurisdictio* in personas judicandas et in causam rite acquisita.

2. *Scientia sufficiens* ad munus suum recte obeundum; hinc juxta s. Alphonsum graviter peccat quisquis suscipiat judicis officium carens necessaria scientia.

3. *Constantia et virtus* ad munus exercendum, necnon justitia et integritas incorruptibilis.

Judex, qui *culpabiliter* injustam sententiam tulit, tenetur ad restitutionem, quia ex quasi-contractu obligatur ad munus suum rite fungendum. Quodsi *inculpabiliter* sententiam injustam tulerit,

---

[1]) Cfr. s. Alphons. L. III. Müller II. §. 198. Marc II. n. 705 sqq. Lehmkuhl I. n. 827 sqq. Stapf II. §. 242 sqq. Staller II. tr. 10. §. 5.

e. g. naturali oblivione, fragilitate humana, tenetur, si commode fieri potest, errorem corrigere, e. g. monendo partem laesam, ut per appellationem sibi consulat; ad restitutionem tamen non tenetur, quia deficit culpa theologica.

Porro judex reum, quem privata tantum scientia sontem cognoscit, damnare non potest, quia judex ex legis praescripto causam dicere tenetur. — An judex possit damnare reum, qui juridice probatur nocens, a judice tamen privata scientia cognoscitur innocens, valde controvertitur. Affirmant alii cum s. Thoma, negant alii cum s. Bonaventura. Alii, quos sequitur s. Alphonsus, sic distinguunt: vel agitur de causa criminali et poena corporali, vel de causa civili et poena pecuniaria; in priori casu negant, in posteriori affirmant.

IV. ***Officia accusatoris:*** Accusator ille est, qui crimen defert judici ad vindictam, cum obligatione crimen probandi. In hoc differt accusator a denuntiatore, quippe qui refert tantum, et non tenetur probare. — Conditiones requisitae in accusatore sunt *veritas* et *justitia.* IV. Officia accusatoris.

Accusare vel denuntiare tenentur:

1. *Officiales justitiae,* quippe qui ex justitia tenentur ad denuntiationem.

2. *Quilibet privatus, quando agitur de communi et gravi damno vitando;* imo etiam avertendi gratia damnum grave ab aliquo innocente. Sed privati ex caritate tantum denuntiare tenentur. — Jure Romano prohibentur accusare: pupilli, impuberes, mulieres, magistratus, infames, filii respectu parentum et vicissim, fratres respectu fratrum, uxor respectu mariti et viceversa. — Quod relate ad Clericos valet, in jure canonico dicetur.

V. ***Officia rei:*** Reus ille dicitur, qui criminis causa convenitur. Reus judici legitimo juridice interroganti veritatem aperire tenetur; secus dicendum, si judex non legitime et juridice interrogaret, videlicet formam judicialem non servando; in tali casu reus potest cum restrictione late mentali respondere; et hoc valet etiam in casu, in quo de magna poena subeunda agitur, modo tamen grave damnum reipublicae ex silentio rei non immineat; saltem in tali casu, ait s. Alphonsus, confessarius abstineat reum obligare ad delictum suum confitendum, cum videt, quod reus est in bona fide, et difficulter ad id induci potest. V. Officia rei.

Porro reus, qui vere deliquit, poenam justam sibi impositam sustinere tenetur, id enim exigit ratio justitiae vindicativae; ideoque illi fugere non licet, si carcer ad poenam per judicis sententiam jam fuerit assignatus; — excipiunt tamen plures, si carcer sit durissimus; — si vero nondum sit per sententiam judicis assignatus, fugere potest, quia nemo ante sententiam poenam solvere tenetur, modo id fiat sine corruptione ministrorum, sine damno alicujus, et sine aliis mediis per se malis. Fugere etiam potest ad evitandam mortem vel mutilationem, etiam si custos ex illa fuga grave damnum sit passurus; nec tenetur reficere damnum illatum in custodem, vel carcerem effringendo, vel quia alii captivi

fugerunt, hoc enim evenire censetur per accidens. — Scavini. — Non potest tamen reus vim inferre in custodem, quia sic ei faceret directe injuriam; nec eum corrumpere, quia sic cooperaretur peccato custodis.

VI. Officia testis.

VI. ***Officia testis:*** Testis in genere est persona idonea, quae ad fidem alicujus rei adstruendam adhibetur. — Officia testis sunt potissimum sequentia:

1. Testis, legitime citatus, tenetur coram judice se sistere. Hinc peccat, qui se abscondit, ne citetur a judice, vel qui post citationem fugit. At nemo ex justitia ad testificandum sponte se offerre tenetur; caritas tamen testificandi obligationem haud raro imponere potest, uti, si quis testimonio suo grave proximi damnum facile avertere possit.

2. Testis tenetur testificari, dum a legitimo judice legitime est interrogatus. Excipiuntur tamen sequentes casus: si rem tantum acceperit sub secreto confessionis; vel si rem noverit sub secreto commisso aut etiam naturali tantum; dein si rem acceperit a viris fide non dignis; vel si sciat, reum non peccasse mortaliter, e. g. propter ignorantiam; vel si sit consanguineus aut affinis delinquenti usque ad quartum gradum; vel si grave damnum exinde sibi vel suis adventurum praevideat, modo damnum commune non immineat; vel si crimen per injuriam illatam cognoverit, e. g. literas aperiendo; vel denique si crimen est omnino occultum, e. g. ipsi soli notum; tunc juxta jus Romanum testis id probabilius revelare non tenetur.

3. Testis tenetur verum absque fuco testari; alias tenetur omnia damna resarcire, quae ex sua testificatione secuta sunt, uti e. g. si testimonium falsum malitiose deposuit, per quod alter fuit causa efficax damni. Testis, qui falsum dixit ex ignorantia invincibili, vel inadvertentia aut oblivione inculpabili, tenetur falsum testimonium aperire, et damnum eo modo, quo potest, impedire; non tenetur tamen ad damni jam secuti reparationem, cum sit expers culpae theologicae. Idem dicendum foret, etiamsi venialiter peccasset. Ita s. Alphons.

An testis, qui judici legitime et juridice interroganti veritatem celavit, dicens: „se nihil scire," ad restitutionem teneatur, controvertitur; prima sententia cum Salmanticensibus affirmat; alia vero satis probabilis negat cum Lugo et Lessio.

Ultimo notandum, quod judex tunc non interrogat legitime et juridice, si pro casu occurrente non sit a principe deputatus, et sine semiplena quidem probatione praecesserit, nec exstat infamia aut aliud manifestum criminis indicium, quod locum accusationis quodammodo teneat.

VII. Officia advocati.

VII. ***Officia advocati:*** Advocatus est ille, qui suum litigantibus praebet auxilium, vel consilio, vel voce vel scripto. Ejus obligationes in hoc versiculo continentur: „Causidicus sapiens, justus, vigilans sit, honestus." — Hinc in advocato praesertim quatuor requiruntur, scilicet:

1. *Scientia sufficiens,* ne se periculo exponat graviter nocendi;

ideo advocatus, antequam patrocinium suscipit, tenetur accurate perpendere causae aequitatem et probabilitatem.

2. *Justitia causae;* nam iniquum est, injustitiam tueri. Hinc advocato causam manifeste injustam suscipere ac defendere nequaquam licet; quod si nihilominus fecerit, suaque protectione injustam sententiam obtinuerit, omnia damna inde secuta reparare tenetur; nisi damna ista reparentur ab iis, in quorum gratia injusta sententia cessit. — Causam vero dubiam, imo etiam minus probabilem licite suscipere et defendere potest, dummodo clientem suum de ancipite statu causae admoneat, nec media injusta ad rem evincendam adhibeat.

In causa porro *criminali* reum potest defendere, etsi ejus crimen certe cognoscat. Sicut enim reus poenam, quam meruit, salva conscientia a se declinare potest, donec convincatur, ita advocato licet media quaerere, ne convincatur.

Porro advocatus in causa prosequenda cavere debet a fraudibus, falsis probationibus, mendaciis, aliisque mediis injustis contra partem adversam; secus omnia damna inde secuta compensare tenetur. Si vero advocatus causam certo justam fraudulentia quadam obtinuerit, peccavit quidem fraudulenter agendo, nec tamen ad restitutionem tenetur, quia pars adversa in re sua non fuit injuste laesa.

3. *Vigilantia et diligentia;* ideo enim conductus est, ut strenue et utiliter negotium susceptum gerat. Hinc si causae expeditionem cum damno litigantium protrahat, vel plures acceptat, quam possit expedire, peccat, et tenetur ad restitutionem.

4. *Honestas in pretio:* scilicet generatim loquendo nihil potest accipere ultra justum, quod vel lege taxatum sit, vel prudentum judicio et secundum consuetudinem receptam determinatum sit. — Ceterum advocatus quoque legem caritatis observare tenetur; unde contingere potest, ut causam proximi (pauperis scilicet) injuste lacessiti gratis quandoque suscipere et defendere teneatur.

VIII. Officia notarii.

VIII. ***Officia notarii:*** Notarius est ille, qui legitime est institutus ad scribenda et notanda acta vel instrumenta, quae tum in judicio, tum extra fidem faciunt. Ejusdem officia exprimuntur hoc versiculo: „Expertus, fidus, diligens notarius esto.“ Sunt ergo quodammodo eaedem obligationes ac advocati.

IX. Officia custodis.

IX. ***Officia custodis:*** Custos dicitur, qui custodiae silvarum, agrorum, vinearum, gregis etc. a principe vel a communitate, vel etiam a domino privato praeficitur. Ejus obligationes praecipuae sunt: custodire diligenter id, quod ipsi est commissum; deferre delinquentes in materia gravi, et denuntiare delinquentes, quoties damnum notabile est, nisi ipsi sponte se offerant ad illud secreto compensandum. Possunt autem omittere denuntiationem, si damnum sit parvi momenti, vel si delinquens sit valde pauper, nec solitus sit delinquere. Hinc custodes tenentur ad restitutionem propter damna culpabibiliter non impedita, si damnificatores non restituant; item si munera accipiant ad non deferendum; vel si

innocentes deferant ex odio, vindicta etc., aut si denuntient pro damnificatione mere casuali. — Ita s. Alphonsus.

X. Officia artificis et opificis.

X. ***Officia artificis et opificis:*** Isti desunt obligationibus propriis: vel opera sua vendendo et locando injusto pretio; vel occultos operum defectus non manifestando; vel negligentia culpabili tempus terendo; vel alios operarios a labore avertendo; vel opus male exequendo sive nimia praecipitantia, sive rerum necessariarum omissione; vel adulterando, quod vendunt; vel miscendo cum rebus inferioris pretii; vel excudendo exemplaria in majori numero, quam conventum est, et sibi ea retinendo, ut nonnulli faciunt typographi[1]) etc.

Caput II.

Officia societatum publicarum.

Praenotanda.

Societas publica duplex distinguitur, nempe ecclesiastica et civilis; hinc in duobus sequentibus articulis tum officia, quae ex idea societatis ecclesiasticae, tum quae ex idea societatis civilis resultant, breviter considerabimus.

Articulus I.

Officia societatis ecclesiasticae.

Praenotanda.

Membra societatis ecclesiasticae sunt *Clerici* et *Religiosi*. Hinc de eorundem specialibus officiis in hoc articulo agendum erit. Cum tamen de hac materia perplura in jure canonico et Theologia Pastorali pertractanda veniunt, sufficiat, si de praecipuis tantum eorum officiis mentio fiat.

§. 79. Officia communia Clericorum.

Officia communia Clericorum sunt partim *positiva*, partim *negativa*.

I. Officia positiva.

I. ***Officia positiva:*** sunt potissimum sequentia: *vitae sanctitas, coelibatus, recitatio horarum canonicarum* et *gestatio habitus et tonsurae*.

---

[1]) Cfr. Alphons. L. IV. Marc II. P. IV. n. 2293 sqq. Lehmkuhl I. n. 801 sqq. Müller II. 298 sqq. Stapf II. §. 334. Gury, tract. de stat. partic.

1. ***Vitae sanctitas:*** Clerici peculiariter tenentur ad vitae perfectionem et sanctitatem. Id patet jam ex idea sacerdotii; etenim status sacerdotalis sanctissimus et excellentissimus est. Sacerdos quippe sanctissima mysteria peragit et pro Christi legatione fungitur; est „sal terrae et lux mundi". Unde sacerdotes in pluribus s. Scripturae locis ad virtutis et sanctimoniae studium adhortantur.[1]) Similiter s.s. Patres, praesertim s. Thomas Aq.,[2]) s. Chrysostomus[3]) et s. Gregorius M. graviter hanc obligationem Clericis inculcant. Idem postulant permulta Concilia, et maxime Tridentinum,[4]) quod haec notatu dignissima verba profert: „Sic decet omnino Clericos in sortem Domini vocatos vitam moresque componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone aliisque omnibus rebus, nil nisi grave, moderatum ac religione plenum prae se ferant." 1. Vitae sanctitas.

Et quidem Clerici in Sacris tenentur ad sanctitatem eo majorem, quo altior est gradus sacrae hierarchiae, in quo collocati sunt. „Unde gravius peccat ceteris paribus," ait s. Thomas,[5]) „clericus in sacris Ordinibus constitutus, si aliquid contrarium sanctitati agat, quam aliquis Religiosus, qui non habet Ordinem sacrum."

Hinc jam pro eo, qui sacerdotio initiandus est, non sufficit, ut non sit positive malus, seu immunis a peccato mortali, sed requiritur, ut sit *positive bonus,* scilicet ut vitam spiritualem, et praeprimis continentem agat; unde Concilium Tridentinum[6]) postulat, ut iidem tantum assumantur ad sacros Ordines, „quorum probata vita senectus sit," i. e. qui sunt senes in virtute.

Media, quae Clerici et sacerdotes adhibere tenentur, ut jam partam sanctitatem conservare ac novum incrementum capere possint, juxta s. Alphonsum haec sunt: Media sanctitatis.

a) Vita ita stabiliter ordinata, ut suo tempore quaeque fiant.
b) Frequens oratio tum vocalis, tum mentalis, praecipue ante et post celebrationem Missae.
c) Lectio spiritualis, haecque quotidiana, praesertim in s. Scriptura et vita Sanctorum.
d) Studium sacrae Theologiae, et praecipue moralis.
e) Quotidiana salutatio et visitatio S.S. Sacramenti, et B. V. M.
f) Quotidianum conscientiae examen — generale et particulare — ac frequens confessio.
g) Custodia sensuum et fuga conversationis cum saecularibus, praesertim mulieribus.
h) Annua spiritualium exercitiorum celebratio, et menstrua, per diem unum.
i) Pia et constans erga B. V. M. devotio, quae ad hoc efficaciter impellat, ut fervidae quotidie ad eam preces cum tertia parte Rosarii recitentur, utque omni Sabbato aliquis actus mortificationis in ejus honorem exerceatur.

---

[1]) Cfr. Lev. XXI. 6. Epist. ad Tim. et Tit. [2]) 2. 2. q. 184. a. 8. 189. a. 1. ad 3. [3]) Homil. 10. in Ep. ad Tim. VI Libri de sacerdot. Cfr. etiam Thom. a Kemp. De imit. L. IV. c. 5. [4]) Sess. XXII. cap. 1. de Reform. [5]) 2. 2. q. 184. a. 8. [6]) Sess. XXIII. cap. 12.

2. Coelibatus.

2. **Coelibatus:** In Ecclesia latina indubitata lex est, ut Clerici a primo Ordine sacro, scilicet Subdiaconatu, perfectam castitatem servare debeant.[1]) Haec obligatio non solum ut aliae leges obligat, sed simul *per modum voti* Clericos adstringit atque *consecrationis;* quare quaelibet castitatis laesio, etiam solis internis peccatis, rationem sacrilegii et laesi voti habet. Nec juvat, aliquem coelibatus obligationem nescivisse, nam qui adulta aetate libere Ordines sacros suscipit, in tali ignorantia versari vix potest; neque eam potest Ecclesia attendere. — Vir conjugatus ordines suscipere nequit, nisi consentiente uxore et castitatem vovente, idque tum saltem in monasterio monialium, quando vir Episcopus fit, aut quando Religiosus fit, neque uxor jam senex est extra omnem suspicionem posita.

Unde qui ad Ordines majores aspirant, diligenter considerare debent, an solidam spem habeant, legem coelibatus Deo adjuvante constanter servandi.[2]) Hoc quam maxime valet, si forte quispiam vitio turpi antea implicatus fuerit. S. Alphonsus hac de re docet, non sufficere, ut clericus, vitio turpi implicatus, sincerum dolorem de peccatis suis concipiat, et firmiter proponat, amodo caste vivere, sed insuper requiri *vel* aliquam temporis diuturnioris experientiam, *vel* extraordinariam prorsus compunctionis gratiam, quae moralem certitudinem in bono proposito perseverandi reddat; alias talem candidatum non posse absolvi, eo quod onus perpetuae castitatis temere et cum tanto periculo in se suscipere praesumat.

Ad majorem castitatis custodiam leges ecclesiasticae interdixerunt Clericis, ne cum mulieribus in eadem domo habitarent. Haec prohibitio a primis temporibus Ecclesiae jam facta saepiusque renovata est. Attamen lex

a) admisit per se proxime cognatas (in primo et secundo gradu consanguineas et affines primi gradus);

b) facilius etiam admisit famulas provectioris aetatis: hodie a multis synodis statuitur, ne admittantur ancillae infra aetatem 40 annorum;

c) ubi ejusmodi prohibitiones non existunt, aut non urgentur, legis graviter violatae non tam facile accusari potest Clericus; attamen ipsa lex naturalis dictat, ut omnis occasio, imo omnia, quae aliis sint minori aedificationi, removeantur; atque in ipsis admittendis cognatis ratio sacerdotum hospitum haberi debeat.

Nota: Legem coelibatus non eodem modo in orientali atque in occidentali Ecclesia servari, notum est. Apud Graecos enim, qui ante sacros Ordines uxorem duxit, in illo matrimonio, dum vixerit uxor, potest manere, nisi factus fuerit Episcopus.

3. Recitatio Breviarii.

3. **Recitatio horarum canonicarum:** „*Horae canonicae*“ sunt preces vocales, ab Ecclesia institutae atque ex ejus praecepto

---

[1]) Cfr. Trid. Sess. XXIV. can. 9. [2]) Cfr. Trid. Sess. XXIII. cap. 13. de Reform.

per certas diei horas Deo persolvendae a quibusdam personis ad hoc destinatis nomine ejusdem Ecclesiae. Dicuntur etiam *„Officium divinum“*, quia in Dei honorem ac cultum sunt institutae; vel etiam *„Officium ecclesiasticum“*, quia Ecclesiae nomine persolvuntur; item *„Officium canonicum“*, quia juxta regulas canonum persolvendae sunt; et tandem *„Breviarium“*, vel quia mirabile quoddam compendium veteris ac novi Testamenti et simul collectionem diversarum sententiarum s.s. Patrum brevemque historiam de vita Sanctorum exhibent; vel quia temporis decursu ad breviorem formam redactae sunt. — Numerantur septem horae canonicae, scilicet: Matutinum cum Laudibus, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vesperae et Completorium. Matutinum cum Laudibus et Vesperae dicuntur *Horae majores*, ceterae *Horae minores* seu *parvae*.

Origo horarum canonicarum quoad substantiam ab ipsis Apostolis repetenda est, uti constat ex Constitutionibus Apostolicis;[1]) quoad formam vero, in qua hodie recitantur, horae canonicae sunt opus Romanorum Pontificum a s. Damaso usque ad Leonem XIII.[2])

His praemissis jam quoad recitationem Breviarii potissimum tres quaestiones ventilandae sunt, nimirum: *quaenam sit obligatio recitandi horas canonicas; in quanam forma et modo recitari debeant;* et *quaenam sint causae a recitatione excusantes.*

1. Obligatio recitandi Breviarium.

1. ***Obligatio recitandi horas canonicas;*** Obligatio recitandi Breviarii, quae singulis diebus affixa est, et cum die exspirat, est *gravis,* ita ut non tantum totius diei Officium sub gravi obliget, sed ea etiam materia pro gravi habeatur, quae parvae horae aequivalet. Est sententia communissima Theologorum. At materia gravis non sunt Vesperae in Sabbato Sancto; nam quamvis sit hora integra, tamen objectum absolute nimis parvum est. Si quis vero ex pluribus horis partem omisit, hae omissiones utique coalescunt; quare si tantum evadant, quantum parvae horae consuetae aequivalet, materia gravis est. Quod etiam dicendum est de omissione horae parvae *moraliter totius,* ita ut, quae recitata fuerint, sint aliquid minimum, e. g. solum „Deus in adjutorium etc.“ Ita Lacroix.[3]) — Qui totum unius diei Officium voluntarie omittit, manens semper in hac prava dispositione, peccatum numero unum censetur commisisse; potest tamen secundum regulas de distinctione peccatorum internis peccatis pluribus peccare, si mutat et renovat pravum propositum.

Ut cesset obligatio de recitatione Breviarii, debet quidem constare de recitatione, at sufficit, si probabiliter constat. Quare in dubio, num quid omiseris, sive partem horae, sive integram, sufficit, ut habeas probabilem conjecturam recitationis factae, quae, si de *parte* alicujus horae sermo est, longe facilius habetur, quam de tota hora. — Itaque in his dubiis prudenti existimatione utendum est et judicio secundum communiter contingentia, ac malefacit, qui propter ejusmodi dubium repetit, quia viam aperit scrupulis. Ita Sanchez, Lacroix et alii.

---

[1]) L. VIII. can. 34. [2]) Cfr. Breve, die 28. Julii 1882. [3]) L. IV. n. 1202.

Adhuc notandum: Exstat etiam obligatio, et quidem gravis, recitandi Officium Defunctorum in die commemorationis omnium defunctorum. Insuper datur obligatio recitandi Litanias omnium Sanctorum die festo s. Marci et triduo Rogationum; an vero obligatio haec sit gravis vel levis, non omnes conveniunt; communior sententia affirmat, licet s. Alphonsus contrariam, quam etiam s. Thomas sequi videtur, non audet dicere improbabilem. — Nulla vero datur obligatio recitandi Psalmos graduales, poenitentiales, Officium defunctorum et Officium parvum B. V. M. iis diebus, quibus illae preces juxta Rubricas in Directorio solent notari, nec pro Clericis, qui Officium privatim recitant, neque pro recitantibus in Choro, nisi quoad posteriores adest consuetudo a tempore Pii V. officia praedicta in Choro recitandi, uti declaravit Congr. Rituum die 11. Junii 1629 et 2. Sept. 1741; 4. Sept. 1745. Si postea consuetudo obligans inducta est, haec servari debet secundum consuetudinis extensionem. Optat tamen s. Ecclesia, ut etiam hae preces recitentur, ideoque eas indulgentiis ditavit.

Tituli hujus Officii.

Obligatio recitandi Horas canonicas oritur ex triplici titulo, videlicet: *ex titulo sacri Ordinis, ex titulo Beneficii ecclesiastici,* et *ex titulo Religionis adstrictae Choro.*

a) Titulus Ordinis.

a) ***Ex titulo Ordinis,*** obligantur Clerici in Ordinibus majoribus constituti, etiam suspensi et excommunicati. Obligatio haec *incipit* a puncto Subdiaconatus suscepti, et quidem a Hora respondente horae, qua Subdiaconatus collatus est; unde si Ordo confertur hora 9. matutina, obligatio incipit a Tertia. Subdiaconus, si ante recitaverit, non censetur satisfecisse, quia nemo potest obligationem legitime implere, quae nondum contracta est.

b) Titulus Beneficii.

b) ***Ex titulo Beneficii*** obligantur omnes Beneficiati, etsi solum tonsurati, dummodo jus in re habeant seu plenam possessionem Beneficii, quod non sit nimis tenue (i. e. quod ad tertiam saltem sustentationis partem pertingat) et ex quo fructus percipiant vel percepturi sint. Ita ex Decreto Concil. Lateran. V. — Beneficiati culpabiliter omittentes Officium fructus Beneficii restituere debent, post sex menses obtento Beneficio pro rata omissionis, ut patet ex eodem Concil. Lateran. V. et ex Bulla s. Pii V. — Quare Beneficiatus, primis sex mensibus a possessione Beneficii Officium negligens, peccat quidem graviter contra religionem, non vero contra justitiam, nec tenetur restituere.

Qui vero post admonitionem pergit recitationem Breviarii omittere, etiam Beneficio privari potest. Dein s. Pius V. decrevit, ut, qui omittit Matutinum, restituat dimidiam partem fructuum correspondentium illi diei; qui ceteras Horas, aliam dimidiam; qui vero unam tantum ex parvis, sextam partem. — Et idem dicendum, si quis per plures leves omissiones inter Officium diei, ad gravem materiam pertingat. Neque omittens Officium uno die excusatur a restitutione, si suppleat in alio. — Haecque restitutio fieri debet ante omnem sententiam, quia conditio recitationis est omnino necessaria ad lucrandos fructus. Restitutio facienda est vel pauperibus, vel fabricae eccle-

siae, vel domui Beneficii vel in augmentum agrorum ipsius; potest etiam fieri in refectionem alterius egentis ecclesiae, si propria non egeat; similiter applicari potest ad Missas pro defunctis, quia animae in purgatorio sunt vere pauperes; imo potest Beneficiatus eam sibi ipsi applicare, si vere pauper sit, modo non agat in fraudem. Ita s. Alphonsus.

Haec restitutio nullo modo suppleri potest per quascunque eleemosynas, quas antea Beneficiatus de fructibus sui Beneficii fecerit, quod constat ex propositione 33. ab Alexandro VII. damnata. Si quis autem post omissionem dederit eleemosynam, immemor, vel forte ignorans restitutionis faciendae, probabiliter potest eas computare. Ita s.s. Thomas et Alphonsus. — Porro dicunt, ex benigna interpretatione Beneficiatos non teneri omnes fructus Beneficii restituere, si aliis oneribus satisfecerint. S. Alphonsus. — Qui vero Officii recitationem sine culpa omittit, ad restitutionem non tenetur, quia ab Ecclesia in poenam imposita est, poena vero culpam supponit.

c) ***Ex titulo Religionis addictae Choro,*** obligantur sub gravi ad Breviarium sive publice in Choro, sive privatim, omnes Regulares utriusque sexus *solemniter professi;* constat ex consuetudine, quam Gregorius X. confirmavit. — Diximus: *„solemniter professi";* nam professi votorum simplicium, quae professioni votorum solemnium juxta literas encyclicas datas die 19. Martii 1857 praemitti debent, *non tenentur ad privatam recitationem, debent tamen Choro interesse ut solemniter professi,* uti S. Congregatio super Statu Regularium, mandante Pio IX. die 6. Augusti 1858 declaravit. Advertit insuper s. Alphonsus: c) Titulus Religionis.

α) Nullus Religiosus aut Monialis in particulari tenetur sub gravi Horas dicere in Choro, modo tamen chorus non tollatur. Paucitas autem Religiosorum excusat totam Communitatem. Ideo, nisi adsint ad minus quatuor expediti et validi, non est obligatio Chori. Qui vero justa de causa Choro non interveniunt, sub gravi tenentur, Officium privatim recitare.

β) Praelati peccant graviter, si ex negligentia sinunt omitti partem notabilem Officii in Choro, quia tenentur observantiam regularem tueri ac servare.

γ) Religiosi degentes cum licentia extra claustra tenentur ad Officium; item si sint profugi aut incarcerati; secus vero si fuerint ejecti, vel ad triremes damnati.

δ) Fratres Laici debent ex praecepto Regulae recitare quasdam preces, et quidem — apud filios divi Francisci saltem — sub gravi.[1])

1. ***Forma et modus recitandi Breviarium:*** Horae canonicae recitandae sunt: *juxta formam praescriptam; juxta debitum ordinem; tempore et loco convenienti; vocaliter, integre et continue; attente ac devote.* 2. Forma et modus recitandi Breviarium.

---

[1]) Cfr. „Praelect. jur. Reg." nostri P. Piati Mont. I. p. 291 sqq.

a) Juxta formam praescriptam.

a) ***Juxta formam ab Ecclesia praescriptam.*** Praeprimis servanda est ab omnibus *forma generalis* juxta Constitutionem s. Pii V. de die 7. Julii 1568; qua praescribitur pro tota Ecclesia latina Breviarium Romanum, et abolentur omnia alia Breviaria, nisi ex institutione vel consuetudine legitima antecedant 200 annos; ita quidem, ut ad Horas obligati muneri suo non satisfaciant, si alio Breviario utantur, ut idem S. Pontifex declaravit. Excipe tamen, si quis legitime fuerit dispensatus. — Porro servanda est *forma specialis* proprii Calendarii seu Directorii, ita ut Officium recitetur qualibet die, prout ibi praescribitur, etsi error videretur manifestus, e. g. quoad translationem alicujus festi, juxta decisionem S. R. C. 23. Maji 1835.

Nota: α) Regulares degentes extra monasterium tenentur ad Breviarium sui Ordinis; quod si sint Choro addicti et in alieno Conventu sui Ordinis morentur, sequi debent Officium illius Conventus, „quia ubique Choro interesse tenentur," ut declaravit S. R. C.

Religiosi vero ad Chorum non obligati, nisi diuturna sit commoratio in alieno monasterio, convenientius Officia *sui* Conventus recitabunt.

β) Canonici et Beneficiati tenentur ad Officium propriae Ecclesiae, etiamsi ab ea absint. Ita S. R. C. 10. Julii 1677 et 12. Nov. 1831.

γ) Ceteri Clerici, si a propria Dioecesi absint, *possunt* quidem ad Officium loci, ubi sunt advenae, se conformare, sed minime ad hoc tenentur; imo etiam praestat proprium retinere Officium, ne confusio oriatur. Ita S. R. C. 12. Novembr. 1831. — Illi vero sacerdotes et Clerici saeculares, qui alibi domicilium figunt, aut pergunt animo figendi domicilium, tenentur sequi Calendarium Dioecesis, ad quam divertunt, cum ejusdem subditi fiant. S. R. C. 14. Mai 1672.

b) Juxta debitum ordinem.

b) ***Juxta debitum ordinem:*** Distinguendus est *ordo Officiorum* et *ordo Horarum.*

α) Ordo Officiorum.

α) ***Ordo Officiorum:*** Regulariter loquendo recitari debet Officium currentis diei ad praescriptum Calendarii propriae Dioecesis vel proprii Ordinis Religiosi. Qui scienter atque sine rationabili causa, hunc ordinem commutat, recitando pro Officio diei aliud Officium, peccat, pro diversitate Officiorum, vel graviter, vel leviter; peccat *graviter*, si recitet Officium notabiliter brevius, uti patet ex propositione 34. ab Alexandro VII. damnata: „In die Palmarum recitans Officium paschale satisfacit praecepto;" — peccat vero *leviter*, si Officium in aequale, aut fere aequale permutet, quia satisfacit obligationi quoad substantiam, dummodo, subdit s. Alphonsus, id raro fiat. — Permutatio vero caret omni peccato, si fiat ob *rationabilem causam*, puta, si quis non facile proprium Officium habere possit, vel si aliud Officium appro-

batum recitet cum socio, „quia ipsa associatio excusat, modo Officium non sit notabiliter brevius.“ Et sic Capellani et commensales Cardinalium vel Episcoporum possunt se eis conformare in Officio. Quod idem dicendum est de iis, qui obeunt spiritualia exercitia apud Religiosos; secus vero de Capellano Monialium, ex Decreto S. R. C. 21. Mart. 1795.

Quoad illum, *qui advertit se errasse in Officio*, distinguendum est: Si advertat errorem *post integram recitationem*, non tenetur repetere, quia non praesumitur, Ecclesiam velle aliquem uno die bis ad hoc onus obligare. Hinc axioma vulgare: „Officium pro Officio“; sed in casu, quo Officium ex errore recitatum esset notabiliter brevius, e. g. Officium Sancti loco Dominicae, fieri debet compensatio recitando novem Psalmos ex primo Nocturno. Ita s. Alphonsus. — Si errorem advertat *post recitationem non integram*, e. g. post recitatum Matutinum, potest vel prosequi, vel reliqua recitare de Officio praescripto; quod posterius praeferendum est, juxta illud: „Error corrigitur, ubi deprehenditur.“ — Qui oblitus est aliquam partem Horae, sufficit illam recitando, quin aliud repetat. — Qui hodie ex errore recitavit Officium indebitum, non potest dicere Officium omissum die, qua occurrit Officium jam recitatum, sed omnino recitandum est Officium diei currentis. S. R. C. 17. Junii 1674. Ultimo notandum, quod sacerdotes saeculares, qui sunt tertii Ordinis s. Francisci, ex privilegio uti possint Breviario Ordinis nostri. Hoc privilegium ab Innocentio XI. concessum, confirmatum est a S. P. Leone XIII. in Audientia Superiorum Generalium Seraphici Ordinis die 7. Julii 1883.[1])

β) ***Ordo horarum:*** est ille, qui in Breviario indicatur, praescribens scilicet, ut primum recitentur Matutinum cum Laudibus, deinde Horae parvae, i. e. Prima, Tertia, Sexta et Nona, et demum Vesperae et Completorium. Nec debet recitari Matutinum diei sequentis, ante absolutum Officium diei praesentis. Inversio hujus ordinis *extra Chorum* et secluso contemptu, est solummodo *veniale,* etiamsi fiat frequenter, quia remanet salva substantia praecepti; imo caret omni culpa, si fiat ex rationabili causa, e. g. ut te conformes Choro, vel amico etc. *In Choro,* controvertitur, an sit peccatum grave (et eadem controversia est de mutatione temporis Horarum). Affirmans sententia est probabilis, sed negans probabilior, quia non constat de gravi praecepto. Ita s. Alphonsus. β) Ordo horarum.

c) ***Tempore et loco convenienti;*** ubi haec sunt notanda: c) Tempore et loco convenienti.

α) *Ad tempus* quod attinet, est notandum, quod antiquis temporibus sic Horae recitabantur: Matutinum post mediam noctem; Laudes ad auroram; Prima post solis ortum; Tertia mane ad horam nonam; Sexta circa meridiem; Nona ad horam tertiam pomeridia- α) Tempus.

---

[1]) Cfr. P. Franz Tischler, Handweiser, pag. 294.

nam; Vesperae ad solis occasum; Completorium ad noctis crepusculum.[1]) Sed nostris temporibus in usu non est amplius haec Horarum distinctio. Juxta hodiernam disciplinam obligatio Horarum incipit a media nocte, et terminatur ad mediam noctem sequentem. Cuique autem liberum est, in hoc sequi vel tempus *verum*, quod indicat horologium solare; vel tempus *medium*, quod signant horologia publica. Ita ex Resp. S. Poenit. 18. Junii 1873.[2]) — Omnes Horae parvae licite recitantur a tempore aurorae, imo jam a media nocte usque ad meridiem; Vespere et Completorium a meridie usque ad mediam noctem recitari possunt. Attamen sufficit quaevis rationabilis causa, utilis et honesta, ut quis licite possit anticipare vel postponere debitum tempus Horarum, e. g. concio paranda, vel concio audienda, periculum supervenientis occupationis sive laboris; major devotio, sive quies, tempus aptius ad studendum, justa amicorum interpellatio et simile; non sufficit tamen ad excusandum sola commoditas sine alio honesto motivo, ut merito ait Concina.

Matutinum et Laudes ex privilegio, a consuetudine introducto et ab Ecclesia adprobato, licite recitantur privatim pridie sub vesperam; sed quo tempore haec anticipatio incipi possit, non omnes conveniunt. Communis et certa regula est, posse fieri, quum primum sol *se magis* ad occasum a meridie inclinaverit, seu quando sol perfecerit medium cursum inter meridiem et occasum: pro quo tempore, utpote mutabili, jam consueverunt fieri tabellae pro variis regionibus. — Nonnulli cum Salmanticensibus dicunt, anticipationem jam fieri posse — vi consuetudinis — hora secunda post meridiem, quod tamen alii verius negant, quia de praedicta consuetudine non constat. — Porro etiam Matutinum et Laudes Officii Defunctorum pridie recitari possunt, saltem extra Chorum, non autem Litaniae omnium Sanctorum, quae ipso die assignato recitari debent, ut declaravit S. R. C. 28. Mart. 1778.

De sacerdote celebrante notat Rubrica, celebrandum esse post recitatum saltem Matutinum cum Laudibus. Haec tamen obligatio non urget sub gravi, et ab ea excusare potest quaelibet rationabilis causa, e. g. si quis stipendium offerens postulet, ut Missa statim celebretur; vel si exspectet populus aut aliqua persona gravis; vel si Superior praecipiat; vel si poenitens aliquis antea fuerit audiendus; vel si instet commoditas studii, itineris etc. Est sententia communior et probabilior juxta s. Alphonsum, quam amplectitur etiam Benedictus XIV. — Dicunt tamen Auctores communiter, Missam conventualem ante Officium nocturnum in Choro dictum celebrare, nisi adsit gravis et publica causa,

---

[1]) Cfr. Ferraris v. Officium. [2]) Cfr. Acta S. Sedis Vol. VII. p. 399.

quae scandalum removeat, grave esse peccatum. Ita s. Alphonsus.

Ultimo notandum, quod pridie diei anticipare Matutinum et Laudes privilegium est, non obligatio; quare qui ipso die prorsus impeditus est, quominus Officium divinum recitet, laudabiliter agit —, idque ut fiat, consulendum est, — si anticipet, at vera obligatione non tenetur.

β) *Ad locum quod attinet*, Officium divinum in Cathedralibus, in Collegiatis, et in ecclesiis Regularium, Choro addictorum, recitandum est publice, in loco ad hoc destinato, seu in Choro. Privatim vero recitari potest *in omni loco*, modo recitatio fiat citra contemptum, et modo locus non sit cum attentione et intentione incompatibilis. Sic e. g. recitatio fieri potest sive domi, sive in via deambulando, sive in curru iter agendo; imo ex rationabili causa, e. g. infirmitatis, defatigationis etc. etiam decumbendo in lecto. Recitatio in loco et situ indecenti, non est peccatum, sed indecora, ait Rohling. β) Locus.

d) ***Digne, i. e. vocaliter, integre et continue:*** Et his quidem verbis exprimitur munus oris, quod juxta Concilium Lateranense IV. Cap. „Dolentes", *studiose* implendum est. Pronuntiatio ergo esse debet: d) Digne, i. e. vocaliter, integre et continue.

α) *Vocalis;* et quidem *distincte* singula recitari debent. Unde non sufficit legere sola mente, solisve oculis percurrere; nec satis est recitare gutture, vel intra dentes, aut syncopando, linguave titubante, voluntarie abbreviando, aut praecipitando. Probabilius tamen non requiritur, ut recitans semetipsum audiat; nam, ut dicit Sylvius, talis obligatio nullo jure probatur. — Si quis recitet Officium *cum socio*, debent ambo tali uti voce, ut alter alterum audiat, et recitatio debet ita distincte procedere, ut neuter suum versum incipiat, nisi cum alter suum absolverit. Unde *surdus*, qui in Choro versiculos suae partis profert, sed versiculos alterius partis non audit, debet supplere, recitando submisse, quod alii cantant. — Contra, omissa supplere non tenentur illi, qui recitantibus aliis, quaedam *Choro necessaria* peragunt, etiam per integrum Psalmum, e. g. campanam pulsando, „tunc enim per socios suppletur, quod ipsi forte non satis percipiunt, dummodo omissio non nimis protrahatur. Ita s. Alphonsus. α) Pronuntiatio vocalis.

β) *Integra;* i. e. in Choro omnia dicenda sunt, quae Rubricae adnotant. Extra Chorum Antiphon. B. V. M. non est de praecepto, nisi in fine Laudum et Completorii. Nec ad integritatem Officii pertinent orationes: *Aperi* et *Sacrosanctae.* Item ex communi interpretatione Rubrica, quae praescribit quasdam preces genibus flexis recitandas, signum crucis formandum, „Pater noster" alta voce dicendum, solum Chorum respicit, quamvis laudabiliter haec omnia etiam in pri- β) Pronuntiatio integra.

vata recitatione serventur. Porro in Choro talis omissio peccatum veniale nunquam excedit. Ita s. Alphonsus.

γ) Pronuntiatio continuata.

γ) *Continuata*, scilicet sine interruptione in eadem Hora, nisi causa rationabilis excuset; qualis esse potest e. g. si excipienda sit confessio alicujus, qui non libenter exspectaret; vel si velis aliquid adnotare, ne obliviscaris (modo tamen id non frequenter fiat); vel si ab aliquo visiteris, cum quo agendum est caritatis vel urbanitatis causa. — Interruptio Horae absque rationabili causa peccatum veniale non excedit; neque ideo, quia interruptio facta est, tota Hora repeti debet, licet magnum intervallum, puta tota nox interponatur; quia singuli Psalmi, imo singuli versus completam habent significationem, et satis uniuntur vel per continuandi intentionem, vel per sequentem recitationem. Ita s. Alphonsus. — Matutinum etiam sine causa a Laudibus separari potest. Pariter tres Nocturni separari possunt, saltem per tres horas, quamvis nulla causa specialis adsit; justa vero causa interveniente intervallum illud pro ratione causae etiam protrahi potest ad plures horas, imo etiam usque ad sequentem diem, si anticipatur unus vel alter Nocturnus. Ita s. Alph.

Utrum vero, si aut Nocturnus a Nocturno, aut Laudes a Matutino separentur, concludendum sit addita oratione Officii et „Pater noster“, et postea incipiendum a „Pater noster“ et „Ave“, an sufficiat statim incipere ab invocatione „Deus in adjutorium etc.“, controvertitur inter Theologos. S. R. C. saepius dixit, orationem Officii addendam esse, ita nuper in *Marianopolit.* 18. Maji 1883. Quare etsi minus constet de vera obligatione *universali*, convenientius tamen ubique est, orationem addere; in Nocte Nativitatis Domini ipsa Rubrica id praecipit.

c) Cum attentione et devotione.

e) ***Cum attentione et devotione:*** His duobus exprimitur *munus mentis et cordis.*

α) Cum attentione.

α) *Cum attentione:* Attentio, quae in recitatione Officii requiritur, duplex est, *externa* et *interna*. *Externa* in eo consistit, quod nihil fiat cum recitatione incompossibile, ut esset e. g. fabulari, scribere, attente auscultare alios loquentes, et alia hujusmodi; non autem ambulare, se lavare, colligere herbas, flores, instruere focum, sternere lectum, pectere caput, respicere collem, flumen, hortum etc., quandoquidem tales actiones per se attentionem ad alia non impediunt. Ita communiter cum Navarro, Suarez etc. Recte autem advertit Bonacina, quod aliquae actiones respectu alicujus, forte sunt distractivae, respectu alterius non.

Interna attentio sita est in applicatione mentis ad id, quod agitur, haecque potest esse triplex, videlicet: *ad verba* tantum, ut rite pronuncientur; *ad sensum verborum*, ut recte intelligantur; et tandem *ad Deum* vel ad divina, e. g. ad mysteria Passionis dominicae, ad gesta Deiparae Virginis aut Sanctorum.

Certum et per se patens est, Officium divinum attentione *externa* esse persolvendum, sine hac quippe nec recitatio haberi potest. — Certum pariter est, attentionem quandam *internam* ex lege naturali requiri, quia recitatio Horarum est recitatio orationis, ergo oratio, quae attente fieri debet. Hinc venialiter saltem peccat voluntarie distractus in Horis recitandis. Ceterum sufficit attentio ad verba, cum intentione generali colendi Deum. Ita s. Alphonsus. — An vero *attentio interna* ex Ecclesiae praecepto requiratur sub gravi, Theologi non conveniunt. Plurimi quidem *negant* cum s. Antonino et divo Thoma, docentes, veram esse orationem, quae fit cum intentione orandi et attentione externa. S. Alphonsus hanc sententiam vocat „satis probabilem". — Communior autem et probabilior sententia *affirmat,* quia sine attentione interna non potest consistere oratio, quae generatim definitur: *elevatio mentis ad Deum;* unde eo ipso, quod Ecclesia praecipit orationem, praecipit etiam attentionem internam. — Notat vero s. Alphonsus, etiamsi posterior haec sententia teneatur, duo tamen requiri, ut aliquis Officio non satisfacere dicatur: nimirum, ut ipse se voluntarie distrahat, deinde ut ad suam distractionem *plene* advertat. — Cum ergo non satis constat, adesse praeceptum de attentione interna, s. Alphonsus dicit, se non audere ad restitutionem damnare Beneficiarium, qui bona fide recitasset Officium cum distractione voluntaria, et bona fide pariter fructus percepisset. Qui vero externe voluntarie distrahitur, certe non satisfacit, et tenetur restituere, ut idem s. Doctor subjungit.

β) *Cum devotione:* requiritur nempe illa saltem devotio, qua recitatio Officii fiat actus religionis. Hinc praecepto non satisfaceret, qui Horas legeret ad sibi comparandam scientiam, ad gerendum morem amico etc.; necessaria est enim intentio orandi, non quidem actualis et explicita, sed virtualis et implicita, quae tunc jam habetur, cum quis de more Breviarium sumit, seu ad Chorum pergit et recitare incipit, modo ne expresse ad alium finem lectionem assumat. — Quae dicta sunt, valent de nuda *praecepti* observatione. Sed illud omnibus enixe commendandum est, ut divinum Officium cum maximo pietatis ardore persolvant. Ad hoc potissimum inservit: sub initium formare intentionem Deum laudandi; renovare intentionem ad „Gloria Patri", vel in principio cujuscunque Psalmi; mysterium aliquod Passionis sibi repraesentare; sensus sedulo custodire, et alia hujusmodi. Ita s. Alphonsus. β) Cum devotione.

3. ***Causae excusantes a recitatione Officii:*** Sunt potissimum tres sequentes: *impotentia, caritas erga proximum* et *dispensatio.* 3. Causae excusantes a recitatione Officii.

a) ***Impotentia:*** sive *physica* sive *moralis,* quia ad impossibilia nemo tenetur. Attamen qui potest recitare partem, tenetur id praestare; imo si pars possibilis est tanta, quanta est parva a) Impotentia.

32*

Hora, tenetur sub gravi; obligatio enim est divisibilis, uti constat ex propositione 54. ab Innocentio XI. damnata. Quodsi pars, quam recitare potes, non pertingat ad materiam parvae Horae, „ne sub veniali quidem aliquid recitare obligaris, quia talis modica pars seorsim sumpta, non censetur aestimabilis ad finem a lege intentum. Ita s. Alphonsus.

Hinc excusantur, qui gravi morbo laborant; item reconvalescentes ex gravi morbo, saltem per aliquot dies, donec vires reficiantur, ad arbitrium viri prudentis; idque admittendum, etiamsi isti Missam celebrent, vel aliquem librum recreationis causa legant. — In dubio, an infirmitas sufficiat ad excusationem, potest infirmus se committere judicio medici, aut acquiescere judicio Superioris vel confessarii, aut stare proprio judicio prudenti. — Qui ob infirmitatem non potest totum Officium recitare, et dubitat, an possit partem, ex mente s. Alphonsi et aliorum a toto Officio excusatur, ne valde scrupulis augatur, nesciens quousque possit ac debeat recitare. — Si non valeas solus recitare Horas, teneris socium adhibere, si facile aliquem invenire et commode eum adhibere possis; — ubi notandum, quod generatim socius potest etiam esse laicus (imo et mulier, quod tamen minus decet). Non vero excusatur, qui caret Breviario Romano, et aliud ad manum habet, puta Benedictinum aut simile; item, si habeas Officium commune, et non proprium illius diei, teneris ex communi Horas dicere. Lacroix. — Item non excusatur coecus, qui scit memoriter saltem notabilem partem Officii, non vero tenetur memoriae mandare, quod nescit.

b) Caritas.

b) ***Caritas:*** etenim praeceptum naturale caritatis praevalet legi ecclesiasticae. Hinc excusatur, sive totaliter sive partialiter, sacerdos, qui vi muneris sui per totam diem tot, tantisque laboribus occupatur, ut ad Horas recitandas nullum tempus habeat; quod evenire quidem potest, raro tamen eveniet, e. g. si sub nocte Officium recitaturus advocetur statim ad moribundum, nec ad Officii obligationem implendam tempus ipsi suppetat. At vero observandum est, eum, qui praevidet, se posteriore tempore suo Officio satisfacere non posse, anticipare debere, si tempus obligationis jam inceperit; et si non possit totum Officium recitare, ad partem, quam potest, tenetur.

c) Dispensatio.

c) ***Dispensatio*** a legitimo Superiore concessa; et quidem Summus Pontifex hanc dispensationem concedere potest valide etiam sine causa; Episcopus vero et Praelati Regularium respectu suorum subditorum tantum dispensare possunt ex justa causa, cum aliquo in particulari et ad breve tempus; scilicet si dubitetur de morali impotentia Clerici, vel si difficilis sit aditus ad Papam, vel si dispensatio petatur ob causam, quae frequenter recurrit, e. g. ob infirmitatem.[1])

---

[1]) Quoad Breviarium cfr. Linzer Quartalschrift 1885, pag. 743 sqq.

Nota: Episcopi Austriae et Germaniae vi facultatum quinquennalium gaudent potestate, Clericis concedendi, ut recitent Rosarium aliasve preces, si Beviarium secum deferre non poterunt, vel Officium divinum ob aliquod legitimum impedimentum recitare non valent.[1])

4. Gestatio habitus et tonsurae.

4. ***Gestatio habitus et tonsurae:*** Omnes Clerici tenentur ex jure canonico tonsuram et habitum clericalem deferre, ut per decentiam habitus extrinseci morum honestatem intrinsecam ostendant, ut Concilium Tridentinum[2]) dicit. Idem Concilium Episcoporum judicio statuendum permisit, quaenam vestis personarum ecclesiasticarum ordini et dignitati congruat. Hinc standum est particularibus locorum statutis, — et cavendum ab omni temerario judicio, quoad sacerdotes, qui in habitu apud nos insolito incedunt.

Unde graviter peccant Clerici in sacris Ordinibus constituti, qui per notabile tempus omittunt vestem clericalem et tonsuram deferre; imo ex Concilio Tridentino suspendi possunt, qui graviter ab Episcopo admoniti, habitum honestum ab eo praescriptum non deferunt. — Quid vero per *notabile tempus* hic intelligendum sit, non facile definiri potest. Communiter auctores non damnant de mortali sacerdotem, qui per sex vel octo hebdomades sine tonsura incederet; incedentem vero sine veste clericali, aiunt, facilius peccare mortaliter, propter scandalum nimirum, quod in quibusdam praesertim regionibus ex tali insolentia enasceretur.

Excusantur vero Clerici, etiam in Sacris constituti, qui habitum dimittunt aut *ad breve tempus,* aut *ex justa causa* se occultandi, e. g. ad aliquod grave damnum avertendum.[3])

II. Officia negativa Clericorum.

II. ***Officia negativa:*** Clericis generatim prohibentur, quae eorum statum dedecent; sive quia mentem nimium a rebus divinis avocant, sive quia castitatem in discrimen adducunt. Hujusmodi sunt quaedam artes et officia saecularia et quaedam actiones; scilicet ars tabernaria, macellaria, joculatoria, ars medicae et chirurgicae (excepto casu necessitatis); officium judicis in causa sanguinis, advocati, procuratoris vel notarii in pactis saecularibus; officium curatoris vel tutoris minorum, excepto casu, quo pupilli et minores sint proximi Clericorum propinqui. — Porro: negotiatio lucrativa, venatio clamorosa et armorum gestatio seclusa necessitate; ingressus in tabernas: ludus alearum, choreae et spectacula; et conversatio cum feminis suspectis. — Haec brevis delineatio officiorum negativorum sufficiat, cum fusius de hac materia in jure canonico tractabitur.[4])

---

[1]) Cfr. Praelect. Juris Regular. ad usum Capuc. Auctore P. Piato Montens. Tornaci 1886, pag. 291 sqq. ubi de recitat. Officii div. in Choro et privata agit. [2]) Sess. XIV. cap. 6. de Reform. [3]) Cfr. Schmid, solutio cas. ex Dir. Brixinensi 1886, cas. II. [4]) Cfr. s. Alphons. L. III., IV., VII. Reiffenstuel tr. 6. Müller II. §. 182.—188. Lehmkuhl II. n. 609 sqq. Marc II. n. 2195 sqq. Staller I. tr. 2. §. 5. etc.

§. 80. Officia specialia Clericorum.

Pro diversis sacrae hierarchiae gradibus constituta sunt multa officia ac munia, de quibus Canonistae fuse disserunt. Ad nostrum scopum satis erit breviter delineasse officia Episcoporum, Canonicorum et Parochorum.

I. Officia Episcoporum.

*I. **Officia Episcoporum:*** Episcopus potissimum ad haec tenetur:

1. Residere formaliter, i. e. laboriose et utiliter, in propria dioecesi, et quidem jure divino, nisi justa causa excusetur.

2. Totam dioecesim singulis annis visitare, nisi obstet nimia dioecesis latitudo.

3. Eligere in altaris ministros *dignos* dumtaxat, et excludere indignos.

4. Eligere *bonos Parochos* et *bonos confessarios,* ab his enim pendet totum dioecesis bonum.

5. Specialem curam habere pro *scholis, locis piis* et *monasteriis.*

6. Subditos *corripere,* scandalisque et abusibus *occurrere;* ad hoc enim officio Pastoris fungitur.

7. Orare pro populo et elargiri *eleemosynas.*

8. S. Sedi rationem reddere de statu propriae dioecesis; et ad hunc finem debet statutis temporibus *Visitationem ad Limina* peragere.

Plura de Episcoporum officiis vide apud Marc II. n. 2250 sqq.

II. Officia Canonicorum.

*II. **Officia Canonicorum:*** Canonici praecipue ad sequentia obligantur:

1. Ad residentiam: Concilium Tridentinum[1]) statuit: „Non liceat vigore cujuslibet statuti aut consuetudinis, ultra tres menses ab iisdem ecclesiis quolibet anno abesse, salvis nihilominus earum ecclesiarum constitutionibus, quae longius servitii tempus requirunt." Insuper non omnes simul Canonici abesse possunt, quia vacationes quidem Canonicis, non vero Capitulo conceduntur; cultus enim divinus, cui addicti sunt Canonici, nunquam vacare debet.

2. Ad Missam conventualem; constat ex Bulla Benedicti XIV. „Cum semper": Missam unam quotidie esse celebrandam pro fundatoribus et ecclesiae benefactoribus, cui Canonici omnes interesse debent.

3. Ad Officium Chori; patet ex Tridentino.[2]) Canonici, qui sine justa causa non intersunt Choro, distributiones lucrari non possunt, „quavis collusione aut remissione exclusa", ut praefatum Concilium statuit. Tres a Bonifacio VIII. designatae sunt causae, quae a Choro excusant: infirmitas, rationabilis corporis necessitas, et Ecclesiae utilitas.

4. Ad assistentiam Episcopi. Concilium Tridentinum[3]) de

---

[1]) Sess. XXIV. cap. 12. de Reform. [2]) L. c. [3]) L. c.

Canonicis Cathedralium sic statuit: „Omnes compellantur Episcopo celebranti aut Pontificalia exercenti, assistere et inservire." Consonat Caeremoniale Episcoporum et declarat, omnes Canonicos teneri in habitu canonicali ad locum designatum convenire, et Episcopum ad ecclesiam progredientem Pontificalia exercendi causa, ducere, et redeuntem pariter comitari.

III. Officia Parochi.

III. ***Officia Parochi:*** Sunt potissimum sequentia: Parochi tenentur scilicet:

1. Ad residentiam; i. e. debent constanter in parochia habitare, idque ex jure divino et ecclesiastico. Omnes Pastores non residentes juxta Tridentinum[1]) praeter peccati mortalis reatum, pro rata absentiae tenentur ad fructus Beneficii restituendos fabricae ecclesiae vel loci pauperibus. Quae restitutionis obligatio incurritur etiam a parochis, qui quidem in parochia resident, sed inutiliter ac otiose. Patet ex Trident.

2. Ad Missas fundatas rite persolvendas, et diebus dominicis ac festivis, etiam suppressis, Missam pro populo applicandam, uti jam alibi diximus.

3. Ad orationem pro ovibus suis, et quidem frequenter pro illis orare tenentur, ut sibi suisque coelestis gratiae et benedictionis effusionem implorent.

4. Ad fidelium institutionem. Unde diebus praesertim dominicis et festis verbum Dei populo pro ipsius capacitate annuntiare tenentur, ut dicit Tridentinum.[2]) — Videtur Parochus a peccato gravi non excusandus, qui per tres menses, per se, vel per alios idoneos, si ipse legitime impeditus fuerit, plebem sibi commissam salutaribus verbis non pascat, cum in Tridentino dicatur: „Quodsi Parochi ab Episcopo moniti, trium mensium spatio muneri suo defuerint, per censuras etc. cogantur, ut officium suum impleant." — Pariter pueros instruere et catechizare Parochi tenentur, aliique sacerdotes hac in re operam suam Parochis commodare debent. Hoc „opus sanctissimum" appellat s. Pius V.

5. Ad Sacramentorum subditis suis administrationem; et quidem quoties urget praeceptum illa suscipiendi, vel quando idipsum exigit privata alicujus necessitas vel utilitas, nisi sint legitime impediti. Ideo enim Parochi constituti sunt, ut saluti et profectui ovium prospiciant. Quocirca et ad Sacramenta Poenitentiae et Eucharistiae digne et frequenter suscipienda parochianos publicis et privatis monitis adurgeant, eisque quolibet tempore occasionem ea suscipiendi praebeant.

6. Ad errantium correctionem. Nam tum ex officio, tum ex stipendio gravissima oritur Parochorum obligatio, corrigendi oves in peccato mortali vel proximo ejusdem periculo constitutas, etiamsi ipsis propriae vitae discrimen subeundum foret; non solum in extrema, sed in gravi quoque earum necessitate spirituali, si quae adsit spes emendationis. Unde etiam Parochus oves suas vi prae-

---

[1]) Sess. XXIII c. 1. de Ref. [2]) Sess. V. cap. 2. de Reform.

cepti divini cognoscere debet; numquid enim ovibus providere poterit, si earum indolem, statum, necessitatem etc. ignoret?

7. *Ad aegrotorum et pauperum curam gerendam.* Parochus etiam non accersitus infirmum adeat, imprimis si disponendus sit ad Sacramenta moribundorum suscipienda; porro tempestive Sacramentis eum muniat, crebro eum visitet piisque monitis erigat et consoletur; morienti sedula cura assistat. — Insuper Parochi vi muneris, quo funguntur, pauperum aliarumque miserabilium personarum curam paternam agere tenentur, ut Concilium Tridentinum[1]) edicit. Igitur paratissimi egenorum inopiam pro redituum conditione sublevent, miseros omnes officiis benigne prosequantur, consolatione reficiant etc.[2])

Haec praecipua, non omnia sunt Parochi officia. Innuere tantum volumus, quod ipsius est, fideles non solum verbo instruere, sed etiam exemplo suo aedificare: decorem domus Dei et in omni ecclesiae suppellectili decentiam munditiamque impense curare; functiones sacras rite et devote peragere; quod porro cordi debet esse Parocho, pias sodalitates prudenti cura inducere et fovere. Missiones, ad parochianorum mores reformandos accersere; cultum SS. Sacramenti et SS. Cordis Jesu, necnon venerationem B. V. Mariae indefesse accendere et promovere. Vere dicit s. Alphonsus: „A bonis Parochis pendent boni mores et salus populorum. Si in regione bonus Parochus adest, ibi videtur florere devotio, Sacramentorum frequentia, oratio mentalis et bonorum exemplum; sin autem Parochus erit pravus, tota regio vitiis et scandalis redundabit.[3])

§. 81. Officia Religiosorum.

Cum de statu religioso scitu necessaria et utilia partim in Novitiatu, partim in jure canonico fusius pertractantur, hic pauca tantum referimus.

I. Natura status religiosi.

I. ***Natura status religiosi:*** Status religiosus est stabile vitae institutum ab Ecclesia approbatum pro fidelibus, qui certa sub regula tendere volunt ad perfectionem per tria vota: paupertatis, castitatis et obedientiae.

Requisita ad essentiam status religiosi. 1. Approbatio ecclesiae.

Hinc ad essentiam status religiosi sequentia requiruntur:

1. ***Approbatio ecclesiae:*** Etenim Religiosorum familia, cum sacra sit quaedam communitas, a potestate spirituali institui debet. Olim quidem approbatio haec ab Episcopis pro dioecesibus suis concedebatur; sed Concilium Lateranense IV. statuit, ut nulla Religio inducatur, nisi a Summo Pontifice fuerit approbata. — Unde Congregationes virorum aut feminarum ab Episcopo tantum approbatae, Ordines stricte religiosos non constituunt. — Ceterum notandum, quod status religiosus secundum se et quoad

---

[1]) Sess. XXIII. cap. 1. ref. [2]) Cfr. Schmid, solutio cas. ex Dir. Brixinensi 1886, cas. XII. [3]) Cfr. s. Alph. L. III., IV. H. A. VII. Müller II. §. 189.—192. Marc II. n. 2250 sqq. Staller II. tr. 10. §. 6. et 7. etc.

substantiam suam est de jure divino *consulente;* Christus enim ipse est auctor perfectionis religiosae, tradendo consilia evangelica. Quoad formas peculiares vero, quibus determinatur ad certam regulam et institutum, est de jure ecclesiastico.

2. ***Vota perpetua paupertatis, castitatis et obedientiae:*** ubi vero notandum, quod ad essentiam Religionis non requiruntur vota solemnia, sed sufficiunt vota simplicia, quia etiam per illa homo se potest Deo in perpetuum mancipare. Constat praeterea ex Bulla Gregorii XIII. „Ascendente Domino", in qua declaratur, esse veros Religiosos in Societate Jesu etiam illos, qui vota simplicia emittunt. — Decretum Pii IX. quoad vota simplicia ante Professionem solemnem emittenda, sat notum est. — Econtra Religiosi proprie dicti non sunt, qui tria quidem evangelica consilia observant, sed qui nullum de iis votum nuncuparunt; neque illi, qui ex tribus unum solum aut duo voverunt; sed neque illi, qui omnia tria voverunt, sed solum ad tempus. 2. Vota perpetua.

3. ***Traditio suiipsius Deo facta et per aliquem hominem nomine Dei acceptata:*** Ita s.s. Patres, praesertim S. Thomas et omnes post eum scholae Doctores. 3. Traditio suiipsius Deo facta etc.

4. ***Vita communis,*** — saltem ex jure ecclesiastico. Etenim secundum praesentem Ecclesiae consuetudinem Sedes Apostolica non approbat, nisi statum coenobiticum, seu in communi viventium sub uno capite seu Praelato ecclesiastico, et sub una regula approbata ad christianam perfectionem tendentium. 4. Vita communis.

Statius religiosus assumitur per *Professionem religiosam,* haec est: „Promissio libere facta et legitime acceptata, qua quis in debita aetate constitutus, tempore probationis expleto, sese perpetuo adstringit certae Religioni ab Ecclesia approbatae, cum solemni votorum emissione." Professio religiosa.

Ad validitatem Professionis *sequentes requiruntur conditiones:* Requisita ad validitatem Professionis.

a) *Aetas sufficiens;* ex Tridentino[1]) est annus decimus sextus completus.

b) *Integer, nec interpolatus annus probationis post susceptum habitum.* Et quidem integritas anni Novitiatus requiritur ad validitatem ita, ut in anno bissextili sit expectandus lapsus diei, qui addendus est, uti expresse declaravit Congregatio Concilii. — Tempus Novitiatus incipit a momento susceptionis Ordinis habitus, et terminatur eadem hora et momento sequentis anni. — Quandonam annus probationis interrumpitur, videri potest apud De Varceno pag. 169 et 170.

c) *Praelati acceptatio* tacita vel expressa cum consensu majoris partis Capituli aut familiae.

d) *Consensus plenus et perfectus voventis,* vi et metu, fraude et dolo exclusis.

e) *Carentia impedimenti essentialis* in illo Ordine.[2])

---

[1]) Sess. XXV. cap. 15. [2]) Optime de hac materia agit Piatus Mont. in op. c. p. I. et II.

Effectus Professionis.

Effectus Professionis religiosae sunt: remissio peccatorum quoad poenam, ex opere operantis; exstinctio omnium votorum antea emissorum; cessatio irregularitatis ex defectu natalium, ut possit ordinari et Beneficium simplex obtinere; solutio sponsalium ac matrimonii rati; privilegium exemptionis.

II. Ingressus in Religionem.

II. ***Ingressus in Religionem:*** Ad hunc quod attinet, haec sunt observanda:

Signa vocationis.

1. *Ad statum religiosum amplectendum praeprimis vocatio divina requiritur.* Signa autem vocationis divinae ordinaria sunt:

a) Bona voluntas.

a) bona voluntas, qua quis pericula mundi effugere, et majorem sanctitatem consequi desiderat;

b) Aptitudo.

b) aptitudo ad statum religiosum, quae omnino expostulat, ut quis iis tum animi tum corporis dotibus instructus sit, quae ad vitam religiosam generatim, et in specie ad observantiam istius Ordinis, quem ingredi cogitat, necessario requiruntur;

c) Inclinatio praedominans.

c) inclinatio praedominans ad vitam religiosam, quin tamen obstet aliqua titubatio vel ex suggestione daemonis vel ex repugnantia naturae orta. — In dubio positivo de vocatione divina tamdiu exspectare oportet, donec re maturius examinata ac lumine divino ferventius implorato perfectior salutaris consilii cognitio obtineatur. Ceterum ipsa religiosorum Ordinum statuta integrum probationis annum praescribunt, quo rite expleto judicium Superiorum generatim sufficientem de vocatione divina securitatem praebere potest.

2. *Qui ad statum religiosum se vocatum esse sentit, nec tamen divinae vocationi obsequitur, per se quidem et absolute loquendo non peccat;* quia divina consilia per se nullam imponunt obligationem. Attamen peccare potest ratione periculi quoad salutem animae, et quidem graviter, si persuasum sibi habeat, hoc prorsus necessarium salutis medium esse, ut scil. ex periculis mundi in Ordinem religiosum sese recipiat.

3. *Qui non vocatus ad statum religiosum se intrudit, graviter peccat,* tum propter irreverentiam religioni, tum propter injuriam Deo illatam; praecipue vero ob gravissimum salutis periculum, quod incurrit suscipiendo obligationes, quibus moraliter satisfacere nequit, utpote carens specialibus auxiliis, quae solis a Deo vocatis conceduntur. Excusabitur tamen a tali culpa, si firmam voluntatem habeat, obligationes assumpti status adimplendi.

4. *Filii statum religiosum eligentes, praesertim si aetate minores sint, consensum parentum expetere eorumque benedictionem implorare debent.* Si vero praevideant, aut merito timeant, se a parentibus injuste vexatum vel ab ingressu in Religionem impeditum iri, insciis quoque ac invitis parentibus propositum suum exequi possunt; modo parentes non versentur in gravi vitae necessitate, cui aliter occurri nequeat, quam ut filii apud illos in saeculo maneant.

5. *Parentes graviter peccant, non solum si filios per vim, fraudem et injustas minas, sed plerumque etiam si eos precibus et promissionibus a statu religioso avertant;* quia hoc esse non

potest sine gravi illorum damno. — Non vero peccant parentes, qui se opponunt ad tempus piis desideriis filiorum juniorum ad constantiam eorum probandam, vel ob aliam justam causam. Attamen hac in re ad vitandas hallucinationes consilio confessarii aut viri probi et docti utantur.[1])

III. ***Obligationes Religiosorum:*** Religiosi generatim obligantur, et quidem sub gravi, ad studium perfectionis; siquidem status religiosus est status perfectionis acquirendae, ut s. Thomas[2]) dicit. — Tenentur ad perfectionem primario tendere per tria vota, paupertatis, castitatis et obedientiae; secundario per observationem regulae Ordini propriae et Constitutionum seu „Ordinationum". Hinc graviter peccat Religiosus, si vota infringit in re gravi, vel si regulam sub gravi obligantem violet; vel si Constitutiones et Ordinationes ex contemptu formali negligat, etiamsi per se non obligent sub culpa; imo et transgressio Constitutionum et Ordinationum etiam sub nulla culpa obligantium per accidens vix unquam a veniali excusabitur. III. Obligationes Religiosorum.

Ad majorem castitatis tutelam introducta est *Clausura*, tum pro viris Regularibus tum pro Monialibus. Ubi notandum: Clausura.

1. ***Lex clausurae, quatenus monasteria Religiosorum afficit,*** *prohibet duo:* Religiosorum nempe *egressum,* et *ingressum mulierum.*

a) *Egressus virorum Regularium* non est licitus nisi de legitima Superioris licentia. Communiter dicunt auctores, hujus praecepti transgressionem esse *gravem,* si egressus fiat nocte, furtive, vel repetitis vicibus per diem cum scandalo; venialem vero, si contingat semel aut bis, absque scandalo et contemptu.

b) *Ingressus mulierum* in septa monasterii virorum Regularium prohibitus est sub poena excommunicationis latae sent. S. Pontifici reservatae, quam incurrunt tum ipsae mulieres violantes Clausuram sub quocunque praetextu, tum Superiores et alii eas admittentes. Constat ex Const. Apost. Sedis Pii IX.[3]) — (Speciali privilegio in hac re gaudet Domus Caes. Austriaca ex indulto Pii IX.)[4])

2. ***Arctior est Monialium, quam Religiosorum custodia;*** etenim:

a) Quoad *egressum,* ipsae incurrunt excommunicationem R. Pontifici reservatam, si e monasterio absque urgentissima necessitate egrediantur, etiamsi hoc occulte fieret.

b) Quoad *ingressum,* incurrunt excommunicationem Papae reservatam omnes fideles, cujuscunque generis seu conditionis, sexus vel aetatis fuerint, ingredientes monasteria monialium absque legitima licentia; pariterque moniales (vel alii) eos introducentes, vel admittentes, etsi non ad malum finem. Ita ex Const. Pii IX. — Excipe tamen personas excipiendas.

Nota: Religiosus ad parochiam promotus, cum votis adstrictus maneat, tenetur regulam observare in omnibus, quae cum

---

[1]) Cfr. Staller II. tr. 10. §. 8. Gury II. n. 151. [2]) 2. 2. q. 184. a. 5.; q. 186. a. 1. et 2. [3]) Fusiora desuper apud P. Piat. M. op. c. pag. 325 sqq. [4]) Prov. Tirol. conc. 2. Jan. 1858 (Bull. O. N. p. 356. 10. tom.)

suo munere consistere possunt, et deferre habitum Religionis. — Episcopus regularis ad praescriptum Constitutionis Benedicti XIII. „Custodes“ (die 7. Martii 1725) tenetur observare regulas suae Religionis, quae materiam voti paupertatis determinant; item tenetur alias regulas et observantias, dignitati et officio episcopali non repugnantes, eadem obligatione gravi vel levi observare, qua tenebatur, antequam assequeretur dignitatem episcopalem; ita tamen, ut in peculiaribus casibus prudenter judicium ferre possit, utrum cum dignitate et officio episcopali illae conveniant. Ita S. Congr. Episc. et Reg. die 6. Maji 1864.

IV. Privilegia Regularium.

IV. ***Privilegia Regularium:*** S.S. Pontifices per decursum temporis Regularibus privilegia amplissima concesserunt, quae tamen per Const. „Apost. Sedis“ Pii IX. non mediocriter restricta videntur. Praetermissis illis privilegiis e. g. exemptionis, de quibus in jure canonico ex professo agitur, hic illa tantum privilegia, — licet de uno et altero jam hic, illuc mentio facta sit, — recensemus, quae pro praxi sunt scitu maxime necessaria.

1. ***Praelati regulares circa suos subditos*** fere iisdem facultatibus gaudent, sicut Episcopi erga suos. Verum post Constitutionem „Apostolicae Sedis“, Praelati suos a casibus Papalibus *occultis* et specialiter reservatis in Bulla „Coenae“, sicut a percussione Clerici sive sodalis sive exteri, absolvere jam non possunt, nisi haec privilegia *ad certum tempus* certis familiis religiosis expresse data fuerint; alias videntur haec privilegia cessasse, uti patet ex Resp. S. Poenitentiariae 5. Dezem. 1873. Hanc tamen facultatem erga *suos* Praelatis Regularium censent mansisse *ex eo, quod regulares plerumque impediti sint quominus Pontificem adeant.* Attamen juxta Resp. S. C. R. U. Inquisit. die 30. Junii 1886 recurrendum est saltem per litteras ad eminentissimum Cardinalem majorem poenitentiarium pro omnibus casibus Papae reservatis, nisi Episcopus (vel Praelatus regularis) habeat speciale indultum, praeterquam in articulo mortis, ad obtinendam absolvendi facultatem. „At in casibus vere urgentioribus, in quibus absolutio differri nequeat absque periculo gravis scandali vel infamiae, super quo Confessariorum conscientia oneratur, dari posse absolutionem, injunctis de jure injungendis, a censuris etiam speciali modo Summo Pontifici reservatis, sub poena tamen reincidentiae in easdem censuras, nisi saltem infra mensem per epistolam et per medium Confessarii absolutus recurrat ad S. Sedem.“ Ita S. C. U. J. quae decisio ergo ad omnes confessarios indiscriminatim pertinet, et quoad omnes poenitentes valet.

2. ***Reliqua privilegia Regularium*** *sunt haec praecipua:*

a) Possunt celebrare una hora ante auroram (seu tribus circiter horis ante ortum solis). Insuper ex privilegio concesso ab Eugenio IV. possunt celebrare tribus horis post meridiem.

b) Confessarii mendicantium ab Episcopo approbati, habent facultatem dispensandi cum saecularibus, sive intra sive extra con-

fessionem, in omnibus *votis simplicibus*, exceptis quinque Papae reservatis, dummodo juribus tertii non praejudicetur.

c) Item commutandi omnia *juramenta* in honorem Dei facta, aut etiam in eis dispensandi.

d) Item dispensandi in omnibus *irregularitatibus occultis* ex delicto, excepto homicidio voluntario.

e) Item dispensandi in *inhabilitate* ad celebrandum, quam incurrunt confessarii sollicitantes ad turpia, necnon sacerdotes Missae sacrificio ad sortilegia abutentes.

f) Item dispensandi *cum conjugibus* in impedimento exigendi debitum conjugale, quod alter conjugum contraxit sive ex incestu cum affine commisso, sive ex voto castitatis personali, ante vel post matrimonium emisso; at licentia specialis a Superiore saltem locali ad hoc petenda est.

g) Superiores Regulares, etiam locales, possunt *benedicere* quaecunque vasa, paramenta, aliaque ad divinum cultum pertinentia, dummodo sacra unctio non sit adhibenda; sed pro suis dumtaxat ecclesiis et conventibus. Item possunt benedicere loca sacra ipsis propria, nempe ecclesias suas, suaque oratoria ac coemeteria; et, si polluta fuerint, reconciliare aqua benedicta, mixta, ex Pontificalis Romani praecepto, sale, cinere et vino. Consultum tamen est, ut hac facultate nunquam invito Ordinario, nec publice utantur.

h) Tempore *Interdicti* Religiosi sunt privilegiati.

i) *In itinere* Regulares, deficiente socio idoneo, confiteri possunt cuilibet sacerdoti, sive regulari, sive saeculari, etiamsi non sit approbatus ab Episcopo ad audiendas confessiones saecularium, modo sit idoneus. Non possunt vero absolvi a Reservatis Ordinis sui, nisi antea obtinuerint licentiam a proprio Superiore; secus possunt absolvi cum obligatione se postea repraesentandi confessario, qui facultatem habet supra dicta Reservata. — Pius IX. per Decretum ab anno 1853 hoc privilegium relate ad Capucinos eo extendit, ut nostrates etiam tunc in itinere sacerdoti extraneo confiteri possint, si adsit *unus* tantum frater socius; cum onere tamen se sistendi quoad Reservata.[1])

k) *Tempore Jubilaei* Regulares, etiam moniales, cuilibet sacerdoti approbato sine licentia Superioris confiteri et absolvi possunt etiam a Reservatis in propria Religione, sine ulla obligatione, se postea sistendi. Sed in praxi inspiciendae sunt clausulae Constitutionis Pontificiae Jubilaeum concedentis.

l) Possunt administrare Communionem Paschalem, Viaticum et Extremam Unctionem *suis Novitiis et saecularibus familiaribus*, in monasterio habitantibus. — Quoad alios vero administratio Viatici et Extremae Unctionis sine licentia Parochi, necessitate excepta, illis sub excommunicatione, R. Pont. simpl. reservata, prohibita est, uti constat ex Const. Apost. Sedis.[2])

---

[1]) Cfr. Expos. Regul. P. Hilarii a Parisiis. [2]) Cfr. Aertnys II. p. 384.

Plura alia privilegia, specialiter Capucinis concessa, videri possunt in Bullario Ord. Capucin.

Ultimo notandum est, quod Regulares mendicantes communicant inter se de suis privilegiis, tum circa personas, tum circa loca. Ita omnes Canonistae. — Imo mendicantes etiam Ordinum non mendicantium privilegia participant, uti communiter dicunt. At non communicant, quando sunt omnino specialia, vel odiosa, vel contraria proprio statui, ita ut communi bono, seu observantiae religionis praejudicent.[1])

Articulus II.

Officia societatis civilis.

Praenotanda.

Inter consociationes humanas, quas divina providentia disposuit, sub multiplici ratione respublica civilis eminet. Respublica personam moralem, seu corpus organicum designat, quod capite, i. e. imperatoribus, et membris, i. e. subditis constat. Hinc brevissima delineatione adhucdum officia imperantium et subditorum, necnon illorum, qui ad gubernium concurrunt, ventilabimus.

§. 82. Officia regnantium et subditorum.

I. Officia regnantium.

I. ***Officia regnantium:*** Inprimis decet, ut Principes in tam splendida et sublimi statione a Deo collocati, intime sibi persuasum habeant majestati suae tot tantaque officia adnexa esse, ut onus vere formidandum constituat, severamque rationem involvat. — Ex hac persuasione tum sensus profundae humilitatis, tum piae humanitatis ad subditos ultro provenient. — Specialia regnantium officia vero potissimum sequentia sunt:

a) Cura publicae tranquillitatis atque tuitio jurium et justitiae contra hostes tum externos, tum internos.

b) Studium felicitatis populi magis magisque promovendi.

c) Studium, promovendi Religionem, et veram Ecclesiam omni modo contra hostes internos et externos tuendi.

d) Studium publicis muneribus dignos et aptos viros praeficiendi.

Peccata opposita:

Praecipua peccata mortalia, quae facilius occurrere possunt, ab Antonio a Spiritu S.[2]) ita recensentur:

α) Immodica regnandi cupido — etsi in se non sit mortale, — facillime ad peccatum grave ducit, ut ad invasionem, injustam detentionem alieni principatus.

β) Bellum injustum suscipere.

γ) Necessitatibus communibus atque pauperibus non prospicere.

δ) Tributa injusta imponere; aliisve oneribus, exercitu non necessario populos gravare.

---

[1]) Cfr. s. Alph. L. IV., VI. Bouix, de Jure Regul. Müller II. §. 193 sqq. Marc II. n. 2182—2194. Lehmkuhl II. 652 sqq. Stapf II. §. 354. Gury de stat. part. Staller II. tr. 10. §. 8. [2]) Tr. VII. n. 139.

ε) Leges iniquas condere — aut approbare.
ζ) Viros inneptos officiis publicis praeficere.
η) Pravas consuetudines sine necessitate permittere, ut ludos pravos, theatra bonis moribus contraria etc.
ϑ) Libertatem conscientiae indiscriminatim et sine necessitate inducere; aut e contrario veram religionem vexare.[1])

Sicut regnans, ita etiam ille, quibus quasi organis utitur, quorumque ope regimen suum in totum reipublicae corpus dispensat, quique ideo *publici Officiales* vocantur, uti Ministri, Consiliarii etc. ad munia sua rite adimplenda tenentur. Unde *juste,* i. e. tum via recta, tum rite praeparati munus suum ingrediantur; munus susceptum fideliter dispensent; subditos benigne et humane tractent; necnon regnum Dei et justitiam ejus pro viribus promovere satagent etc.

II. ***Officia subditorum:*** sunt duplicis classis, scilicet officia erga auctoritatem civilem, et officia erga patriam. II. Officia subditorum.

1. ***Officia erga auctoritatem civilem:*** Tenemur ex jure naturae et positivo divino, necnon titulo pietatis auctoritati civili: debitam reverentiam debitumque honorem praestare; promptam exhibere obedientiam et subjectionem, in omnibus, quae legibus altioribus non adversantur; servare incorruptam fidem et fidelitatem, quo subditi christiani absolute prohibentur, tumultus et seditiones contra temporalem auctoritatem ciere, aut rebellione eam imperio dejicere; principem sincere diligere, eidem bona quaecunque apprecari, necnon pro ipso pias preces ad Deum fundere etc. 1. Erga auctoritatem civilem.

Fundamentum, quo recensita officia innituntur, est origo divina auctoritatis temporalis, „omnis enim potestas a Deo est.“

Ex dictis peccata his officiis opposita per se resultant.

2. ***Officia erga patriam:*** Officia haec passim sub nomine *Patriotismi*, seu justi amoris in patriam eveniunt, quo nempe bonum patriae tum conservare, tum augere satagimus. Praecipuae contestationes *Patriotismi* sunt: 2. Erga patriam.

a) Ut unusquisque ab omnibus sibi caveat, quibus vel legitimi regiminis atque legum auctoritas vel civium jura et commoda, vel ipsius demum patriae honos et tranquillitas labefactatur.
b) Ut potius mala, quae patriae imminent, propulsare, illamque omni licito modo tueri studeamus.
c) Ut quisque in sua statione munera incumbentia strenue exequatur, et sic omnes „viribus unitis“ ad bonum patriae conferant.
d) Ut quivis leges publicas revereri, atque onera, tributa etc. prompte persolvere studeat.
e) Ut quivis ad publica instituta, quae ad bonum patriae exstant pro viribus conferre studeat et nitatur.
f) Demum ut quilibet in rebus publicis vires et consilia sua adjungere paratus sit.[2])

---

[1]) Lehmkuhl I. n. 796. [2]) Cfr. s. Thom. Opusc. De regim. princ. Marc II. n. 2283 sqq. Lehmkuhl II. n. 796 sqq. Stapf II. §. 347.—349.

§. 83. Officia concurrentium ad gubernandum.

Nostris temporibus, cum fere ubique Constitutio repraesentativa vigeat, praeter supremos gubernatores, ad condendas leges, tum *Senatores* et *Deputati* a Principe, vel a populo electi, tum ipsi *electores* concurrunt. Cum maximi momenti est, ut boni Deputati ad comitia publica eligantur, et Deputati electi munere suo probe defungantur, adhuc breviter officia tum *Electorum* tum *Deputatorum* recensenda sunt.

I. Officia Electorum.

I. ***Officia „Electorum":*** sunt potissimum sequentia:

1. *Populus obligatur diligenti cura in bonorum „Deputandorum" electionem incumbere*, si fundata ratione sperat, fore ut tali modo leges iniquae contra Ecclesiam et bonum commune impediantur vel aboleantur, leges autem bonae et vere utiles condantur aut retineantur: nisi forte haec ipsa electio sumi possit pro usurpati regiminis agnitione. Quare *pro circumstantiis* aut non licet ad electionem concurrere, aut non expedit, aut licet et expedit, aut etiam oportet. Hanc rem definire ad ipsum Principem legitimum spectat.

2. *Obligatio concurrendi ad eligendos bonos Deputatos gravis censenda est pro iis, qui juste timere debent, ne abstinentes ab electione causa sint, quod sufficiens numerus bonorum Deputatorum i. e. virorum strenue catholicorum, desit,* ideoque pravae et „abominabiles" leges in grave damnum boni communis temporalis et spiritualis ferantur aut sustineantur. Etenim non solum peccant cooperatores *positivi,* qui scilicet suffragantur malis, sed etiam cooperatores *negativi*, qui non concurrendo in causa sunt, cur mali eligantur; nam unusquisque tenetur malum a republica avertere, si *qua spes* avertendi affulgeat. Nullus autem ignorat, quot et quanta mala ab improbis Deputatis, maxime ab illis, qui sectae Francomuratorum sunt adscripti, in societatem tum religiosam tum civilem ingerantur. — Si tamen haec mala de abstinentia ab electione non sint timenda, abstinentes ab electione generatim quidem peccant, si modo interest, ut demonstretur, quae sit bonorum virorum (catholicorum) publica opinio, at communiter non graviter; imo si gravior quaedam ratio privati damni adest, abstinendo ab omni culpa excusari possunt.

3. *Nequaquam vero licet Deputatos eligere, qui prava principia sectantur.* Quidsi tamen possibilitas eligendi solummodo stet inter duos, quorum neuter justa et sana principia fovet, minus malum eligere licet, ergo illum, qui minus malus est, saltem si aut verbis aut factis declaratur, quo sensu et quo fine ista electio fiat, et si talis electio, seu cooperatio ad eam necessaria videtur, ut pejor candidatus excludatur.

II. Officia Deputati.

II. ***Officia Deputati seu Electi:*** Ipse gravissimum munus habet:

1. *Bonum publicum pro viribus promovendi*, eo praesertim sensu, quo electoribus suis consentientes fidem dederunt. Si vero

Deputatus aliquis electoribus suis quid pravi promiserit, aut quod bono publico nocivum est, promissis stare nec debet nec potest sine peccato.

2. *Nunquam consentiendi legi pravae propositae;* etenim electus seu Deputatus attendere tenetur, non quod hic et nunc placeat principi vel *majoritati* Deputatorum, sed quid *justum* sit et *congruum* communi omnium bono. Lex enim civilis non ideo justa est, quia est fugax decretum voluntatis principis vel populi (ut placuit quibusdam novatoribus), sed quia est *stabilis* praescriptio, qua suprema potestas aliquid rationabiliter praecipit, prohibet, aut statuit, ad commune bonum temporale civium absque detrimento boni spiritualis.

3. *Aliquando tamen possunt Senatores et Deputati quaedam minus recta* — quae tamen non sunt intrinsece mala —, *admittere* et suo suffragio munire, *ut pejora excludantur*, dummodo cum protestatione suae rectae intentionis id faciant.

4. *Tandem Deputatus sua praesentia et suffragio impedire tenetur, ne qua prava lex proposita evadat lex;* quodsi absentia culpabili in causa est, cur ejusmodi lex acceptata sit, jam reus est justitiae commutativae violatae, in quantum bonum commune suae civitatis laeditur; imo, si eo fine ex parte populi et ea promissione ex sua parte electus est, ut etiam pro bono Religionis dimicaret, violatae justitiae commutativae reus est etiam, in quantum Religionis bonum damno suorum electorum laesum fuerit.[1])

5. *Populus denique et Deputati edoceri debent haec sua officia;* agitur enim de re summi momenti pro bono totius Reipublicae tum civilis tum christianae. Propterea, etiamsi daretur ignorantia invincibilis, monitio nihilominus omittenda non est. Tum solum omitti deberet, cum ex ea vel *nullus* fructus speraretur, vel, a fortiori, majus malum timeretur. Ita Aertnys I. p. 221. quaest. 3.

---

[1]) Cfr. Del Vecchio I. n. 332 sqq. Gousset I. n. 627. Lehmkuhl II. n. 799 sqq. Marc II. n. 2286 sqq. Staller II. tr. 10. §. 10.

(Finis partis specialis.)

O. A. M. D. G. E. H. B. V. M.

Appendix.

Index quorundam Auctorum Ord. Capuc., qui de Theologia Morali et practica scripserunt.[1])

Enumeratio nonnullorum Ord. nostri Scriptorum de re morali peropportuna necnon cuique hujus disciplinae studioso pergrata erit. Non omnes, sed aliqui tantum eorum hic recensentur, qui vel de Theologia speculativa una cum practica (integros cursus Theol.), vel de sola practica, vel de una et altera materia practica, vel de jure sacro, quatenus Regulares praeprimis concernit, opera et opuscula in lucem ediderunt. Quibus insuper unus vel alter eorum superadditur, qui ob circumstantiam temporis, quo calamum arripuerunt et ob rei argumentum, de qua egerunt, de veritatibus scilicet, quae Theologiam Moralem proximius attingunt, magis commendabiles reputantur; ut e. g. accidit in iis, qui adversus abominabilem Jansenistarum turmam calamum strinxerunt, quippe quae haeresis moribus christianis infensissima exstitit et Theologiae Morali principiis suis impiissimis vulnus lethale inferre conata est.

Amandus a Pisauro, Italus († 1819) scripsit ital.: „*Brevem dissertationem de contractibus pro confessariis.*" Pisauri 1787.

Augustinus de Gabrielis a Coneliano, Italus († 1756) evulgavit: *Theologiam moralem.* 3 tom. 4°. Pisauri 1747.

Bartholomaeus a Barberiis, Italus, quotidiana per 50 annos lectione operum S. Bonaventurae in doctrina ejusdem evasit versatissimus et fidelis interpres.[2]) Praeter alia edidit sequens opus: *Cursus theolog. ad mentem S. D. Bonaventurae.* 2 tom. fol. Lugduni 1687.

Bartholomaeus de Vecchis, Italus († 1628): *Praxis observanda in admittendis ad Religionis statum Novitiis,* Forolivii 1627 in 4°.

Bonagratia Habsensis, Alsata († 1672) evulgavit: *Summulam quaestionum Regularium. — Addimenta ad Summulam et Isagogem necnon Breviculum harum quaestionum Regul.* 8°. Coloniae ab a. 1665—1669. *Disceptationem de matrimoniis haereticorum et indissolubilitate matrimonii,* Coloniae 1669; *Elucidationem quorumdam locorum theologicorum de Sacramentis, in quibus S. Bonaventura impetebatur.* Coloniae 1669.

Bonaventura a Coccaleo, Italus, prelo subjecit: „*Instituta moralia,*" 2 tom. 4°. ed. I. Mediolani 1764.

Bonaventura ab Imola, Italus († 1802) in lucem effudit: *Instructionem practicam ad Neoconfessarium.* Ital. Faenza 1797.

---

[1]) Cfr. „*Bibliotheca Scriptorum Ord. Min. S. P. Fr. Capuc.*" ed. a P. Bernardo Bononiensi, Venetiis 1747; „*Catalogus Script. Cap. ab a. 1747—1852*", Romae 1852; item Wadding O. S. F. Lib. de Scriptor. Ord. Minorum etc. [2]) Cfr. Noviss. ed. *Operum Omn. S. Bon.* Ad Claras Aquas 1882, 1. tom. prol. pag. 72.

Bonaventura Lingonensis, Gallus, edidit praeter integrum cursum Philosophicum: *Summam theologicam ex omnibus fere S. Thomae et S. Bonaventurae placitis concinnatam.* 3 tom. fol. Lugduni 1655.

Cajetanus M. a Bergomo, Italus, praeter plura opuscula ascetica et homiletica imprimi fecit in idiom. italo sequentia: *Homo apostolicus i. e. instructio ad Confessarios.* Ed. I. 1726, saepissime recudebatur. — *Reflexiones de abusu et usu opinionis probabilis*, opus theol.-asceticum. 2 vol. 4°. Brixiae 1739. — *Instructio circa contractus et usuras.* 12°. Bergomi 1730. — *Tractatus de ebrietatis vitio.* Bergomi 1725.

Carolus a Cremona, Italus, olim in Africa Mission. apostol., scripsit: *Tractatus omnes de actibus humanis eorumque causis et principiis.* 1 vol. 4°. — *Disceptationes diversae circa administrationem Sacramenti Poenitentiae.* 1 vol. 4°. Cremonae 1676.

Carolus Josefus Tricassinus, Gallus, inter theologos principes Instituti nostri numerandus. „Illi s. literae, illi sanctorum Patrum codices in deliciis fuere et ejus deliciae semper in laboribus pro tuendis Ecclesiae dogmatibus, percellendis hostium turmis et veris cuique elucidandis doctrinis. Augustini auditorem illum diceres vel certe contra obscura hominum ingenia illustratorem.“ [1]) Praeter septem libros in lingua gallica, ab a. 1669—1681 in idiomate latino haec typis mandavit opera: *De praedestinatione post praevisa merita ex doctrina S. Augustini et S. Bonaventurae* 4°. — *Supplementum ad illustr. doctrinam de praedestin.* 4°. — *De indifferenti hominis lapsi arbitrio sub gratia et concupiscentia secund. S. August.* 4°. — *De necessaria ad salutem gratia omnibus data.* 4°. — *De natura peccati originalis.* 4°. — *De causa bonorum operum — ubi praecipue de bonitate spei vitae aeternae et timoris Gehennae disser.* 4°. — *Supplementum de causa bonorum operum.* 4°. — *Commentar. in libr. S. Augustini contra Pelagianos.* 1 vol. — *Commentar. in libr. de gratia et libero arbitrio et in libr. de corrupt. et gratia.* 1 vol. — *Commentar. in libr. contra Semipelagianos.* 1 vol. 8°.

Casimirus a Marsala, Italus, Consultor s. Inquisitionis pro regno utriusque Siciliae: *Crisis mystico-dogmatica adversus propositiones M. Molinos ab Innocentio XI. proscriptas* 2 tom. fol. Panormi 1751. — *Dissertationes scholasticae adversus Pseudomysticos hujus aevi seu contra Molininos larvatos.* 1 fol. Panormi 1748. — *Tractatus de amore erga Deum, in quo impugnantur proposit. Franc. Fenelon, Archiep. Cameracensis.* 1 fol. Panormi 1751.

Claudius Clavezzana, Italus: *Dissertationes theologico-morales.* 3 tom. 4°. Lucae 1778.

Didacus Sgroi a Messana, Italus: *Lux Praelatorum, praesertim Regularium nec non etiam Curiae saecularis foro criminali tum theoretice tum practice accensa.* 4°. Venetiis 1673.

Eligius Bassaeus, Belga, a S. Alphonso [2]) inter auctores graves numeratus, edidit: *Flores Theologiae practicae.* 1 fol. ed. I. Antwerpiae 1643, quod opus saepissime reimprimebatur.

Eliseus de Bellagrandis, Italus († 1675): *Compendium rerum criminalium theoretice et practice congestum.* 4°. Venetiis 1632.

Felix Brandimartes, Italus, in regno Siciliae S. Officii contra haereticam pravitatem Qualificator: *Cursus theologicus ad mentem Scoti per 4 annos juxta 4 sententiarum libros commodis lectionibus distributus etc.* 5 vol. Panormi 1685.

Felix a Cabrera, Hispanus, edidit hoc opus: *Catena moralis ex tribus partibus composita.* 1 tom. in fol. Cervariae 1731.

---

[1]) P. Bern. Bon. p. 60.; clariss. Dr. Katschthaler (theol. dogm. lib. III. p. 393) de ipso ait:... „in lectione operum S. Augustini exercitatissimus Carol. Jos. Tricass., sepositis aliis quaestionibus, suum ingenium et industriam omnem uni impendit, ut genuinam sententiam S. Augustini in doctrina de gratia et praedestinatione assequeretur.“ [2]) Cfr. P. Haringer, Theol. Moral. S. Alph. II. Ed. 1. tom. p. 53.

Felix M. a Neapoli, Italus, scripsit in lingua itala: *Moralem christianam*, 9 vol. Neapoli 1747. — *Apologiam Moralis christianae*. Ibid. 2 vol.

Franciscus Longus a Coriolano, Italus († 1623) praeter alia opera historico-theologica, quae sequuntur, typis edidit: *Tractatus de casibus reservatis juxta Regulam Clementis VIII. Regularibus omnibus praescriptam*. Ed. I. Lugduni 1616. — *Tractatus de judicio regulari*. 8⁰. Coloniae 1619. — *Expositio in Bullam Clementis VIII. de largitione munerum etc.* Lugduni 1623. — *Explicatio in Bullam „Coenae Domini" et de absolutione a Casibus dictae Bullae*. 4⁰. Lugduni 1623. A S. Alphonso [1]) auctoribus gravibus et probabilistis adnumeratur.

Francisus de Visso, Hispan.: *Clypeus theologicus super Bullam Innocentii X. in favorem militum*. Gadibus 1726.

Franciscus Antonius a Goritia († 1784): *Epitome Theologiae canonico-moralis;* saepius cudebatur. Bassani 1838. Op. posthum.

Franciscus M. Bruxell., Belga († 1713): *Theologia Capucino-seraphica*. 3 tom. 4⁰. Gandavi 1705.

Fulgentius Bossaert, Belga: *Principia Theologiae moralis et scholasticae*, 6 tom. Ipris 1782.

Gabriel de Varceno, Italus: *Compendium Theologiae moralis ex opere morali Scavini, Gury et Charmes concinnatum*. 2 part. ed. VIII. Augustae Taurin. 1889.

Gaudentius Bontempus Brixiensis, Italus († 1672): *Palladium theologicum seu tota Theol. scholastica ad intimam mentem S. Bonaventurae*, opus posthumum. 7 fol. Lugduni 1676—1677.

Gervasius Brisacensis, Alsata († 1717) praeter integrum cursum philosoph. edidit: *Cursus Theologicus omnes Theologiae materias tum specul. tum practicas continens*. 6 vol. Solod. 1689—1690.

Gregor. Valentianus, Italus: *Practica moralis undecim casuum reservat. pro Regul. juxta Decretum Clementis VIII*. Panormi 1664.

Hieronymus a Sorbo, Italus († 1602) evulgavit: *Compendium Privilegiorum fr. Minorum et alior. Mendicantium et non Mendic*. 4⁰. Venetiis 1603.

Jacobus Bordes, Gallus († 1669) praeter alia op. theolog. typis dedit: *Librum controversiarum contra Jansenistas*. 4⁰. Paris. 1658.

Jacobus Chevanes., Augustod., Gallus: *Justae exspectiones nostrae salutis oppositae desperationi saeculi* i. e. confutatio nonnullor. hujus temporis circa gratiam aliaque Theol. scholast. tum moralis pernicios. dogmatum. 4⁰. Lugduni 1649.

Jacobus a Corella, Hispanus († 1699), concionator celeberrimus edidit in lingua hisp. haec opera: *Collationes Morales ad praxim ordinatae*. 3 tom. in fol. Matriti, saepissime recudebatur. — *Praxis confessionalis* [2]) *cum explicatione propositionum Alexandri VII. et Innocentii XI*. 1 fol. a. 1742. Matriti ed. 24. A S. Alphonso inter auctores graves et probabilistas recensetur. [3])

Jacobus Raggius Genuensis, Italus († 1675), a S. Alphonso [4]) auctoribus gravibus et probabilistis adnumeratus, edidit: *Dubiorum centuria de regimine Regularium tripartita*. Ed. II. Genuae 1653, 1 fol. — *Monita necessaria pro Confessariis tempore pestis ad sacrament. administr. etc.* 12⁰. Genuae 1657.

Jesualdus de Bononiis, Italus, Qualificator S. Officii in Sicilia, auctor gravis et probabilista a S. Lig. vocatus, [5]) plura edidit opera moralia, quae sic intitulantur: *Integer Cursus Theologiae moralis*. 3 part. in fol. Panormi 1646. — *De horis canonicis tractat 1*. — *De electionibus canonicis*, lib. 1. — *De clausura Monialium*, lib. 1. — *De Simonia*, lib. 1.

---

[1]) Cfr. P. Haringer, Theol. Moral. S. Alph. II. Ed. 1. tom. p. 76. [2]) Versio itala hujus operis a P. Franc. Petro Comensi procurata Decr. S. C. 12. Aug. 1710 et 22. Junii 1712 in Indicem libr. prohib. relata est. [3]) Cfr. P. Haringer, op. c. p. 60. [4]) l. c. p. 89. [5]) l. c. p. 66, ubi falso „Franciscanus" dicitur.

Jesualdus a Jacio, Italus († 1730) typis dedit: *Foenoris nautici canonico-moralis trutina.* 1 fol. Messanae 1732.

Joannes Angelus Serra a Caesena, Italus († 1766) edidit: *Compendium legum civilium.* 4 tom. Faenza 1766. — *Causae civiles Cardinalis de Luca.* 4 tom. ital. Cesena 1756.

Joannes Bapt. a Murcia, Hisp. evulgavit in patrio idiomate: *Compendium legis divinae, ecclesiasticae et civilis.* 1 fol. Valentiae 1742.

Joannes Franciscus de Leonis, Italus: *Flores Decretalium Regularium.* 1 fol. Mantuae 1699.

Joannes Caspar. a Mergetheim, Bavar. († 1701): *Directorium Confessariorum.* Ratisbonae 1714. — *Neoconfessarius.* Würceburgi 1683.

Josefus Anton. Caesaremontanus, Alsata, praeter theologiam speculativam tripartitam edidit: *Theologia moralis.* 2 tom. 8°. ed. I. Argentinae 1767, saepius cudebatur.

Josefus Calas. a Llevaneras, Hispan., Consultor S. R. et U. Inquis. edidit praeter: Compend. Theol. Dogm., Hermeneuticae, Juris canonici, Theol. mysticae, etiam: *Compendium Theologiae moralis* Ed. IV. Mediol. 1887.

Juvenalis Ananiensis, Tirol. testimonio Universitatis Oenipontanae „Vir *sanctus*, vere *doctus* simul atque *humilis*“ praedicatus. Praeter alia opera theol. typis mandavit: *Nucleus Theologiae moralis practicae.* 4°. Augustae 1703.

Ivo Parisiensis, Gallus, inter celebriores Ord. nostri Theologos recensendus, haec in lucem edidit opera: *Moralis christiana.* 4 vol. 4°. Parisiis 1638. — *Tractatus de indifferentia humanorum actuum.* 8°. Par. 1646. — *Tractatus de necessitate,* in quo demonstratur ab omni necessitate morali expedita libertas. 2 vol. 8°. Parisiis 1654.

Leander Montanus a Murcia. Hispanus, Conc. aul. Philippi IV. et Qualificator S. general. Inquisitionis per Hispaniam: *Quaestiones selectae Regulares.* 1 tom. fol. Matriti 1646. — *Quaestiones selectae morales.* 1 tom. fol. Matriti 1649. — *Disquisitiones morales in primam secundae S. Thomae Aquin.* 2 tom. fol. Matriti 1653 et 1660. — *Apologiam quaestion. selectarum.* Matriti 1655.

Ludovicus Caspensis, Hispan. († 1647), a S. Lig.[1]) Auctor gravis praedicatus, edidit praeter Cursum philosoph. opus, cui titulus: *Cursus integer theolog. amplectens praecipuas materias, quae in scholis tradi solent, juxta Ord. S. Bonaventurae.* 2 tom. fol. 1642—1643.

Marcellus Regiensis, Gallus: *Summa serafica, in qua S. Bonaventurae theologia, per ejus in Magistrum sententiarum libros dispersa, enodatur.* 2 tom. fol. Massiliae 1669.

Marcus a Baudunio, Gallus, edidit praeter Cursum philos. hoc, quod sequitur, opus: *Paradisus Theologicus unius et trium Doctorum, Angel., Seraph. et Subtilis, horumque conciliatoris fonte irriguus.* 2 tom. fol. ed. II. Lugduni 1670. — *Compendium Theolog. Paradisi* i. e. totius Theol. spec. et practicae. 3 tom. 12°. Lugd. 1673.

Martinus a Torrecilla, Hisp. († 1709), Qualificator in supremo S. Inquisit. tribunali, evulgavit haec opera theol. in lingua hispan. et latina:[2]) *Propositiones damnatae a Pontificibus expositae.* 1 vol. Matriti 1693. *Summa totius Moralis.* 2 fol. Matr. 1791. — *Consultationes morales variae.* 6 tom. fol. Matriti 1694—1705. — *Encyclopedia canonica, civilis, moralis etc.* 2 fol. opus posthumum.

Paulus Lugdunensis, Gallus, theol. celeberrimus, scripsit in lingua gallica: *Instructiones contra Jansenii*[3]) *errores et auffugia, et contra obtrectantes in Bullam „Unigenitus“, et Antihexaples contra Quesnell, et contra hexaples in Bullam „Unigenitus“.* Lugduni 1716—1721. — In idiom. lat.: *Totius Theologiae specimen ad usum Theologiae Candidatorum.* 6. tom. 12°. ed. I. Lugd. 1734.

---

[1]) Cfr. P. Haringer, op. cit. p. 85. [2]) A P. Haringer C. SS. R. in op. cit. pag. 98. dicitur: *Theologus insignis.* [3]) Hic liber latinitati est datus a *P. Martino Lucern.* sub titulo: *„Jansenius exarmatus“.* Solodori 1720.

Philippus de Bictis, Italus: *Epitome seu Compendium consiliorum et commentariorum Theoriam et Praxim causarum judicialium ostendens.* 2 p. 4°. Bononiae 1660.

Piatus Montensis van den Velder, Belga, publicavit hos libros: *Principia theologiae moralis theoretice et practice exposita.* 2 part. ed. I. Parisiis. — *Commentarius ad Constitutionem „Apostolicae Sedis".* 1 vol. 8°. Parisiis 1881. — *Praelectiones juris regularis ad usum Capucin. etc.* 1 tom. Tornaci 1886.

Raphael a Tusculo, Italus: *Resolutiones practico-morales in Decalogi et Ecclesiae praecepta.* 3 part. 4°. Romae 1741—1743.

Salvator Montalbanus, Italus: *Demonstratio de formulis eucharisticis non consecratis.* 1 vol. 4°. Panormi 1701.

Sigismundus de Federicis, Bononiensis († 1652): *Tractatus de electione ac potestate Praelatorum et aliorum officialum Regularium.* Ed. 2. Mediolani 1628.

Thomas ex Charmes, Gallus († 1765) insignis Ordinis nostri Theologus, cujus opera usque ad praesentiam plurima vice typis mandabantur. Quae juris publici fecit, sunt haec: *Theologia universa ad usum Theologiae Candidatorum.* 4 vol. Ed. I. in Germ. August. Vind. 1760. — *Compendium Theologiae universae.* Ibid. 1760. [1]

Viator a Coccaleo, Italus († 1793), praeter aliorum operum theologicorum exstitit auctor: *Tentaminum theologicorum in Moralibus Synopsis.* 2 tom. 4°. Venetiis 1794.

Vincentius M. a Merzana, Italus: *Praxis Sacramenti Poenitentiae.* Taurini 1792.

---

[1]) Literae gratulatoriae Benedicti XIV. ad P. Thom. Charm. directae d. 25. Sept. 1751 et 24. Sept. 1755 necnon Clementis XIII. de 10. Aug. 1761 leguntur in Bull. Ord. Nostr. 8. tom. p. 180.—182.; — Editiones operum P. Charmes, quae in titulo verba exhibent: *„juxta Principia S. Augustini,"* ut corruptae habendae sunt; cfr. Append. ad Bibl. Script. Cap., Romae 1852; Bullar. Ordin. 8. tom. l. c.

Index alphabeticus rerum notabilium.

A.

B.

C.

D.

E.

F.

G.

H.

I.

J.

M.

N.

O.

P.

Q.

R.

Z.

Appendix

ad

Compendium Theologiae moralis

exhibens

aliquas additiones et correctiones necnon
novissimas S. Sedis decisiones.

Cum approbatione
Superiorum Ordinis et Episcopi Rottenburgensis.

†

Rev. P. Hilarius a Sexten.

Die 20. Octobr. 1899 in conventu Capucinorum Merani vitae cursum pie in Domino clausit P. Hilarius Gatterer, huius operis auctor. Ex honestis parentibus in valle Sexten 15. Dec. 1839 ortus, juvenis ingenio, diligentia morumque probitate multum commendatus, die 19. Aug. 1858 Capucin. Ordini in Tirol. Provincia nomen dedit factusque est Sacerdos 28. Dec. 1862. Phil. et Theolog. curriculo eminenter confecto, Salisburgi primum pluribus annis strenue in vinea Domini laboravit, dein vocatus est Meranum, ubi usque ad obitum egit indefessum in cura animarum operarium, praeprimis infatigabilem virorum confessarium, necnon discretum, sollicitum ac prudentem confratrum tum iterato conventus tum semel totius Provinciae praepositum ac communi laude celebratum Theologiae moralis praelectorem.

Quinque nempe lustris P. Hilarius Ordinis Clericis Theolog. moralem praelegit, totis viribus in id tendens, ut bonos formaret confessarios. In solvendis quaestionibus moralibus extitit valde versatus et insuper singulari gratia erat praeditus, materias huius disciplinae captu sat difficiles clare et distincte proponendi atque exemplis ac casibus practicis illustrandi. Fama ipsius profundae eruditionis longe lateque diffusa est, ita ut a parochis et confessariis undequaque pro solvendis casibus intricatis adiretur.

Ad Compendium Theol. moral. typis edendum sola Superiorum Ordinis voluntate adductus est. Quum vero, hoc evulgato, a pluribus sacerdotibus rogaretur, ut et Theolog. sacramentalem ederet, successive tractatum de Sacramentis et Censuris publici juris fecit.

Hos labores inter continuas ferme infirmitates perfecit, omnes corporis dolores ac miserias, quibus a Domino visitatus fuit, serena fronte ac patienti animo ferens, uti verum Dei servum decet. Post devotissime suscepta ss. Ecclesiae sacramenta, die supra dicta placide in Domino obdormivit, transiens, prout pie sperare licet, a labore ad requiem, ab agone ad coronam. R. I. P.

Approbatio.

Nos Fr. Bernardus ab Andermatt

totius Ordinis F. F. Min. S. Franc. Capucinorum
Min. Generalis (l. i.)

Praesentium virtute concedimus facultatem, ut »Additiones et Correctiones«, Compendio Theol. mor. ab A. R. P. Hilario a Sexten exarato adjungendae, cum a duobus nostri Ordinis Theologis a Nobis deputatis revisae et approbatae fuerint, servatis de jure servandis, typis demandari possint.

Ex conventu generalitio ad S. Laur. Brund.

Romae, die 18. April. 1900.

Fr. Bernardus ab Andermatt.

Censura.

Novas »Additiones et correctiones« ad opus Theol. mor. (a R. P. Hilario exaratum) complendum et perficiendum jussu Superiorum attente perlustravi easque omnino concordantes inveni cum novis S. Sedis decisionibus et Theologorum probatorum doctrinis, quare Theol. mor. operam navantibus optime inserviunt et dignae sunt, ut prelo mandentur.

Merani, 15. April. 1900.

Fr. Constantinus,
Lect. Theol. mor. approb.
Fr. Agnellus ab Ahrn,
Miss. apost. et Lector emer.

Monitum.

Invenis, benevole Lector, in hac appendice partim omnes majoris momenti S. Sedis decisiones, quae ultimis annis circa rem moralem emanarunt; partim vero aliquas notas textum Compendii hincinde plus minusve ampliantes, ubi id ob doctrinae utilitatem opportunum esse videbatur, necnon aliquoties parum corrigentes, ut ita votis virorum litteratorum, qui suo tempore hanc P. Hilarii elucubrationem criticae subjecerunt et ipsi haud modicam laudem attribuere dignati sunt, in quantum possibile fiat satis.

Conscribendo huic supplemento ipsemet Rev. Auctor mentem manumque adjecit; ast morte praematura e vivis sublatus, id ad finem perducere haud potuit; quod proinde ab aliena manu praestari oportuit, ne opella incaepta suo careat effectu.

Cum in operibus, quae Auctor annis subsequentibus sub titulis: „*Tractatus pastoralis de Sacramentis*“ Moguntiae, sumptibus Fr. Kirchheim, 1895; — et „*Tractatus de Censuris ecclesiasticis cum appendice de Irregularitate*“ ibid. 1898, — successive edidit, de pluribus materiis, quae in Comp. Theol. mor. nullatenus aut breviter tantum et nimis jejune continentur, ex professo tractatur, ideo in hac appendice Lector iterato ad illos libros remittitur. Cedat et hic qualiscumque labor in majorem Dei gloriam animarumque salutem. —

Ad partem I.

1. *Pag. 6. § 6. ad lineam 4. notetur:*

De numero potentiarum animae inter Philosophos multum disputatur. Licet illa divisio, ut heic, quae *tres* fundamentales potentiarum classes statuit et mediante saeculo elapso in Germania invaluit, multos adhucdum habeat asseclas, tamen consultius est illam adoptare theoriam, quaė in scholis theologicis communior atque doctrinae *S. Thomae* conformior est. Haec quippe duas animae facultates, praeter potentiam vegetativam et locomotivam, distinguit, nempe: *apprehensivam et appetitivam* et utramque subdividit in inferiorem et superiorem seu sensitivam et spiritualem; quocirca tamen et huius sententiae patroni non omnes in omnibus conveniunt. —

2. *Pag. 7. Adoptata hac theoria, deleatur oportet inscriptio et fiat haec:*

§ 7. Animadversiones de sensionibus.

Deinde usque ad lin. 8. sic legatur: I. Vox sensio (»Gefühl«) duplicem potissime sensum admittit. Primo accipitur pro affectionibus passivis (leidende Seelenzustände), secundo pro immediata perceptione internarum affectionum (das unmittelbare Innewerden eines psychischen Zustandes oder Vorganges). Si primo modo accipiatur, ad potentiam appetitivam revocatur, quae non solum tendit et quaerit, sed quiescit, delectatur, dolet etc.; altero modo ad potentiam apprehensivam pertinet. Perceptio etenim manet perceptio, sive objectum internum sive externum apprehendatur. (Ctr. *Egger* Prop. Phil. 497. Nota 3.)

3. *Pag. 19. lin. 24. addatur:* Sunt DD., qui distinguunt ab *involuntario nonvoluntarium. Involuntarium* appellant, quod quis facit ignorans, non facturus, si scisset, ergo contra propensionem voluntatis; *nonvoluntarium* id dicunt, quod quis ignorans quidem fecit, sed quod sciens fecisset adhuc, ergo absque propensione voluntatis. Prius ex errore (efficaci) est, alterum cum errore (concomitante). Vide quoque dicenda in Comp. pag. 28. sub n. 4.

4. *Pag. 43. d., quae continentur a lin. 1—10., ita reformentur:*

d) Circumstantiae quandoque actum aliquem ex una specie moralitatis ad aliam trahunt. Sic v. g. si quis eleemosynam pauperi tribuit vanae gloriae causa: opus virtutis misericordiae mutatur in opus vitiosum inanis gloriae. Sed notandum est, quod circumstantia leviter mala non semper totam bonitatem actus aufert aut corrumpit, ita ut actus bonus quoad substantiam illaesus remanere, ex parte tamen corrumpi possit, prout infra, ubi de fine, fusius explicabitur. (Cfr. *Müller* I. 379.)

4. *Pag. 60. lin. 13. adde:* Porro lex distinguenda est ab *edicto seu decreto,* quod generaliter quidem, sed non in perpetuum fertur. Ceterum legis et edicti seu decreti aut eadem prorsus aut pene eadem est vis. *(D' Annibale I. pag. 150.)*

5. *Pag. 61. lin. 23. notetur:* Nam de essentia legis tantum est, ut sit regula morum; promulgatio autem nec regula est nec pars regulae, sed actus, quo ea subditis ostenditur, exhibetur. Ita *D' Annibale* (I. 162. Nota 16). Ut vero lex actu obliget, ejusdem promulgatio absolute necessaria est, et sub hoc sensu quidam dicunt, illam ad essentiam legis pertinere.

6. *Pag. 68. lin. 18. adde:* Patet ex ipsius S. R. C. responso; cum nempe dubium proponeretur: An decreta a S. R. C. emanata et responsiones quaecumque ab ipsa propositis dubiis scripto formaliter editae, eamdem habeant auctoritatem ac si immediate ab ipso S. Pontifice promanarent, quamvis nulla facta fuerit de iisdem relatio Sanctitati Suae? Resp. 23. Maji 1846: affirmative. (*Decr. auth.* n. 2916.) — Tamquam formiter edita habenda sunt decreta et responsiones, quae in authentica editione anno 1898 typis S. Congr. d. Prop. Fide cudi coepta continentur, uti ex decreto S. R. C. 16. Febr. 1898 huic editioni praemisso patet: »SSmus D. N. . . . collectionen horum decretorum . . . approbavit atque authenticam declaravit, simulque statuit, decreta hucusque evulgata in iis, quae a decretis in hac collectione insertis dissonant, veluti abrogata esse censenda, exceptis tantum, quae pro particularibus Ecclesiis indulti seu privilegii rationem habeant « —

Ad dubium: An decreta S. R. C. dum eduntur, derogent cuicunque contrariae invectae consuetudini, etiam immemorabili; et in casu affirmativo, obligent etiam quoad conscientiam? Resp. 11. Sept. 1847: Affirmative; *sed recurrendum in particulari.* (*Decr. auth.* 2951. ad 13.)

7. *Pag. 68. ad litt. e) notetur:* S. Off. die 30. Sept. 1896 ad quaestionem I. utrum Episcopi in Concilio sive plenario sive provinciali legitime coadunati vera potestate legislativa potiri censeantur? — respondit: *affirmative*; et ad II. quaest.: Utrum decreta Conciliorum sive plenariorum sive provincialium a S. Sede in forma communi confirmata vel adprobata vel saltem recognita, omnigena vi legum careant, nisi in statuta dioecesana jam fuerint incorporata, et quidem tantum valeant, in quantum sic fuerunt incorporata? — respondit: *negative.* (*Nunt. Rom.* XV. 280).

8. *Pag. 69. post lin. 13. adde:* Si quaeritur, quodnam discrimen sit inter praeceptum, quod *vi jurisdictionis* et inter illud, quod *vi potestatis dominativae* datur, dicendum est, quod is, qui transgreditur praeceptum *vi jurisdictionis* datum, contra virtutem peccat, ad quam materia praecepti refertur; contra vero, qui violat praeceptum *vi potestatis dominativae* datum, peccat contra

obedientiam. Ratio est, quia potestas dominativa dumtaxat respicit subjectionem subditi, non autem materiam, in qua haec exercetur, jurisdictio vero attendit bonum per adimpletionem praecepti in tali materia obtinendum.

9. *Pag. 86. lin. 7. addatur:* Ast *Deputati et Senatores* in guberniis repraesentativis obligantur propriis legibus quia legislator non est quaelibet singularis persona, sed totum corpus morale. Idem consequenter dicendum est de Praeside Reipublicae, de praelato regulari et aliis capitularibus in capitulo generali etc. *(Buccer.* I. 198.)

10. *Pag. 109. I. Dispensatio, lin. 16. adjunge:* Differt etiam *a declaratione,* qua quis judicat, casum aliquem particularem sub lege non comprehendi. Declaratio sine ulla potestate a quovis privato fieri potest, ita a medico v. g. declarari potest, aliquem a jejunio excusari, si merito judicat, jejunium ipsi ob debilitatem noxium esse posse.

11. *Ibid. lin. 22. et pag. 111. lin. 24. circa dispensationem in lege divina nota:*

1. In lege divina *positiva* Papa dispensare nequit, eam vero *authentice* interpretari et declarare potest, ut Theologi communiter docent.

2. In lege autem divina *naturali,* in qua nempe jus divinum oritur a voluntate humana, ut in votis, juramentis etc. potest dispensare et reapse dispensat. Ast quoad hanc dispensationem inter DD. disputatur, an sit veri nominis dispensatio, vel potius auctoritativa declaratio, pro tali persona et pro tali re vinculum legis non verificari. Utraque sententia habet graves patronos; sed pro praxi tota quaestio nullius est momenti. (Cfr. *Baller-Palm.* I. tr. III. 290.)

12. *Pag. 112. Nota, post primum verbum: Regularibus, adde: exemptis.*

13. *Pag. 122. post lin. 20. adjunge hanc Notam:* S. Sedes nonnumquam concedit ad cautelam privilegia et dispensationes, licet id in litteris non exprimatur, nempe quia multa dantur ad pacandas conscientias et scrupulos et ad dubia ex variis opinionibus orta removenda; — etsi quandoque prorsus inutilia videntur, sciendum est, ea plerumque dari ad importunitatem petentium — quae proinde nihil mutant, etiamsi motu proprio data fuerint ceu pro locis Missionum, quos vocant. — Non recte igitur plerique ex Nostris (sc. Moralistis) et Canonistis ex quibuscumque privilegiis, dispensationibus, indultis, quasi ex quibusdam exceptionibus, legem in contrariam confirmari putant; freti ea, plerumque fallaci, juris regula: exceptio legis firmat regulam in contrarium pro casibus non exceptis. (Ita doctiss. *D' Annib.* I. 244.)

14. *Pag. 141. lin. 9. adde tertiam distinctionem, nempe*: datur etiam *praesumptio juris,* seu potius *periculi,* propter quod jus conditur, dum scil. legislator ex his, quae frequenter eveniunt, animadvertit, aliquid non sine periculo fieri vel omitti, praecavet huiusmodi pericula, illud vetans, hoc jubens. Lex, quae nititur in praesumptione periculi, obligat semper, etsi periculum cesset in re praesenti. Ratio est, quia lex non cessat, quamdiu finis legis non cessavit *adaequate* — ut dicitur in Comp. I. 104. — et ne sit in aestimatione cuiusque nostri, quando periculum cesset, quod aleae plenum opus foret propter hallucinationis periculum, sapienter monet *D' Annib.* (I. 208.)

15. *Pag 180. a) post lin. 33. notetur:* Applicatio principii: lex dubia non obligat pro casu, ubi dubitatur, an *lex cessaverit, aut obligatio desierit,* et aliam habet explicationem, quae necessario hic adjungi debet, ut posterior doctrina de Probabilismo rite intelligatur. Si nempe lex dubia non obligat, ait altera sententia, praecise *quia dubia est,* semper ac dubia est, non obligabit. Porro *tam* dubia est lex in dubio de eius existentia nempe de *prima* eius existentia, *quam* est in dubio de eius cessatione; nam si probabilis est eius cessatio, eo ipso dubia evadit ipsamet existentia legis. Lex autem obligans non est lex, quae extitit, sed quae existit, neque est lex, quae existit in abstracto, sed quae in praesenti sua certa obligatione nos ligat. Atqui, si certe et vere probabilis opinio habetur de legis cessatione, utcunque ea intelligatur, eius obligatio evadit dubia eiusque existentia item evadit dubia; scil. iterum non ipsamet existentia legis in abstracto, sed obligandi vis in concreto, in casu particulari, hic et nunc. *(Buccer.* I. 121.)

16. *Pag. 181, lin. 7. adde:* Etiam quoad hoc, modo expositum, principium et altera explicatio bene attendi debet. Falsum est, dicunt huius sententiae patroni, in dubio de cessatione legis possidere legem prius certo existenten. Et quidem, in dubio illud possidet, quod est *certum;* atqui in dubio de cessatione legis *certa est libertas* et dubia est lex; etenim si vere et certe probabile est, legem cessasse, existentia legis fit dubia, libertas autem manet certa, ergo respectu dubiae legis possidet libertas. (Cfr. *Sabetti* n. 67. 4°. IIa.)

17. *Ibid. lin. 8. post verbum: justitiae, adde:* et quidem primarie pro foro *externo,* uti jam ex ipso principii textu liquet, quippe qui in jure ita habetur: *„in pari delicto vel causa potior est conditio possidentis,“* i. e. si duo de proprietate alicuius rei litigant et uterque jus suum aequali ratione probat, jura rem tribuunt ei, qui hucusque eam possidebat, donec alius secus probaverit (vide Part. II. pag. 359); possessio enim fundat *praesumptionem* dominii et proprietatis, et concedit jus retinendi rem, quamdiu actor von potuerit probare, rem esse suam. — Pro foro *interno* autem praesumptio cedit veritati, ut supra pag. 141. dictum est. —

18. *Pag. 182. lin. 2. adde:* Ita una pars DD.; sententia alterius partis ex supra relatis de dubia *cessatione* legis liquet.

19. *Pag. 189. lin. penultima, corrige post verbum hodiedum:* a pluribus Theologis, praesertim ex Congr. SSmi Redemtoris, docetur etc.

20. *Pag. 190. lin. 1. post verbum: potest, adde:* nonnulis tamen sententiis exceptis, ut infra n. 22. docetur.

21. *Pag. 190. quae sub n. 6. habentur, omnia deleantur et haec notentur:*

6. *Probabilismus simplex*, quem modo multi Theologi optimae notae tradunt, ita statuit: *In lege dubia et controversa de sola honestate seu liceitate vel illiceitate actionis licet sequi opinionem vere et solide ac certe probabilem, etsi opposita pro lege sit vere et certe probabilior.* Haec propositio tria continet:

a) *Probabilismus*, sicut et Aequiprobabilismus, *in usum deduci potest* solummodo in iis casibus, in quibus *de sola liceitate* actionis dubitatur; non vero, ubi etiam de effectu necessario per eam obtinendo vel de malo necessario vitando agitur. (Cfr. Comp. infra pag. 193.)

b) Ut quis uti possit opinione probabili, stricte requiritur, quod haec *vere* et *solide*, non tantum *tenuiter* sit probabilis; porro ut probabilitas sit *certa*, non vero *dubia*.

c) Opinionem probabilem sequi licet, *etsi opposita sit vere et certe probabilior.* Tunc utique non liceret sequi opinionem probabilem, si opposita sit eatenus certe probabilior, quatenus cum opinione, quae certe probabilior sit, ex alia parte consistere non posset opinio vere et certe probabilis; sed jam consistere potest; nam major probabilitas unius opinionis non destruit minorem probabilitatem alterius. De ratione opinionis probabilis enim est, ut eius opposita pariter sit probabilis, etsi vere et certe probabilior, modo non sit moraliter certa.

Quoties proinde habetur vera ac certa probabilitas, semper habetur etiam *lex dubia*; at vero lex dubia non obligat seu non potest inducere veram et certam obligationem. Vi huius principii reflexi Probabilista absque ulla comparatione opinionum ratione majoris vel minoris seu aequalis probabilitatis sibi format conscientiam practice certam.

Probabilismi sectatores porro contendunt, licitum esse sequi opinionem vere probabilem non tantum in dubio de *existentia* legis, sed etiam in dubio circa eius *cessationem*, si nempe certa est legis existentia, sed dubitatur, num cessaverit, vel eo quod abrogata sit, vel eo quod aliquis ab eius observatione excusetur vel dispensatus sit vel legem jam impleverit etc. — Plures porro DD. probabilismi principium etiam ad *materiam justitiae* extendunt, nempe si dubitatur, an restitutio vel solutio debiti jam facta sit vel non etc. —

Provocant etiam hic ad universale principium: Lex dubia non obligat. Scil. lex quondam, seu in prima sua existentia, certa per veram et certam probabilitatem quoad eius cessationem modo existentem jam facta est dubia, ergo. (Cfr. ea, quae supra de principiis reflexis breviter addita sunt.)

Objectiones, quae a pluribus contra probabilismum simplicem moventur v. g. quod in periculo peccandi existat, ad Laxismum ducat etc., haud difficulter ut scrupuli inanes refutantur. In super Probabilistae multis et gravibus argumentis demonstrant, ipsius S. Alphonsi systema a simplici probabilismo *nec theoretice nec practice differre.* (Cfr. *Noldin,* Kirchenlexicon VIII. p. 1870 ss.)

22. *Pag. 200. lin. 27. adjunge:*

Nota 3. Ut supra dixi, dantur casus, in quibus sententiae *S. Alphonsi,* quae in eis libris continentur, teneri haud possunt, nempe quae a) sive ante sive post edita opera S. Doctoris ab Ecclesia reprobata sunt v. g. de patrino catholico in baptismate a ministro haeretico collato; de absolutione moribundi, quam impertit simplex sacerdos praesente approbato (S. Off. 29. Julii 1891); de obligatione Episcopi regularis ad servanda vota et regulam (S. C. Ep. et Reg. 6. Maji 1864 ad praescriptum Const. Bened. XIII. »Custodes« d. 7. Martii 1725); de confessione adultorum, qui sub conditione baptizantur (S. O. 17. Dec. 1868) etc.; b) quae contrariae sunt consuetudini vel ante vel post tempora S. Doctoris legitime introductae v. g. quoad opera servilia, jejunia etc. c) quae supponunt adjuncta temporis, quae aevo nostro sunt immutata, quod locum habet v. g. circa quantitatem requisitam ad grave furtum etc.; aut d) quae evidenti et certa ratione ut falsae demonstrantur, quia impossibile est, ut quis conscientiam practice certam sibi formet juxta sententiam, quae ut falsa cognoscitur etc. (Cfr. *Delama,* Tract. de consc. pag. 62.)

23. *Pag. 285. II. Pluralitas seu diversitas objectorum totalium, claritatis causa adde:* De quaestione, an unum vel plura sint peccata, quando objecta, materialiter et physice totalia, plura sint, si ad unum voluntatis actum referuntur, varii DD. varie sentiunt. Et quidem:

Ia. Sententia, cui multi et bonae notae Theologi adhaerent, tenet, diversitatem objectorum materialiter et physice totalium in uno eodemque actu non nisi unum numero peccatum constituere. Et quidem ita, ut si agatur de *actu interno,* consistente nempe in simplici affectu vel proposito, qui ad objecta plura refertur in se distincta, *semper* hic contineat unum peccatum, quia plura illa objecta unum objectum totale constituunt, eo quod per modum unius ab intellectu apprehenduntur et a voluntate attinguntur. Si vero agatur *de actu externo* i. e. actu interno exterius consummato, qui ad plura objecta in se distincta refertur, tunc dumtaxat unum adest peccatum, quando objecta plysice

plura per modum unius a mente apprehenduntur et a voluntate attinguntur, quia in hoc casu objecta distincta unum objectum totale constituunt. Quodsi plura objecta *singillatim* apprehenduntur, *plura* etiam sunt peccata, eo quod singula etiam distinctis actibus voluntatis attinguntur. Ita *Lehmkuhl* aliique hanc sententiam intellectam esse volunt.

IIa. Sententia, quam tenet *S. Alphons.*, docet diversitatem objectorum materialiter et physice totalium constituere in uno eodemque actu diversa numero peccata. Ratio, quia peccatum est motus voluntatis in suum terminum seu objectum; ergo, sicut diversitate specifica objectorum distinguitur specie, ita distinctione numerica illorum distinguitur numero. (Cfr. *Buccer.* I. 304.)

Ad partem II.

24. *Pag. 11, litt. γ) in fine addatur:* In *periculo* tamen *mortis,* quae ita urget, ut instructioni nullus sit locus, ignorans mysteria Incarnationis et ss. Trinitatis: si sit infidelis et baptismum postulavit, baptizari, et si sit fidelis, sub conditione absolvi potest; quia cum probabile sit, notitiam horum mysteriorum non esse necessariam necessitate medii, incertum est, hominem esse indispositum ex defectu huius scientiae; proinde sacerdos debet sequi opinionem tutiorem pro salute aeterna moribundi. (Cfr. *Aertnys* II. 4. 7°.)

25. *Pag. 13. lin. 22. nota circa praeceptum fidei (et spei) in articulo mortis:* Sunt tamen plures alii DD., qui negant *per se* tale praeceptum obligare in articulo mortis, quia certo probari non potest, fidem per se eo tempore necessariam esse.

26. *Pag. 20. post lin. 23. adjunge quoad assistentiam sepulturae civili vel massonicae aut socialisticae:* Licet assistere exhibendo obsequium mere civile ex motivo urbanitatis, cognationis aliove simili; ast non licet, si ea assistentia reputatur velut professio Liberalismi aut approbatio eiusmodi sepulturae. Neque liceret assistere sepulturae socialisticae aut massonicae, quae fit cum insignibus sectae; quia haec sepultura est manifestatio positiva contra religionem, cui non licet se adjungere. (Cfr. *Aertnys* II. 8. 8°.) —

27. *Pag. 21. b) Conversatio litteralis, lin. 12. adde:*

Gravitas peccati, quod quis lectione aut retentione libri vel folii jam *jure naturae* prohibiti committit, non a qualitate vel magnitudine libri dependet, sed potius a periculo, quod ex lectione vel retentione oritur. Quando ergo periculum proximum gravis damni spiritualis timendum est, erit grave; si vero periculum remotum gravis damni vel periculum quidem proximum sed damni levis exoritur, habetur tantum peccatum leve.

28. *Pag. 22. omnia, quae a lin. 23. usque ad pag. 28. § 2. continentur, omittantur, et quae sequuntur, subrogentur:*

I. *Praenotanda:* Constitutione Leonis XIII. »Officiorum ac munerum« 25. Jan. 1897 edita omnes leges et statuta de librorum prohibitione hucusque emanatae — excepta tantum Constit. Benedicti XIV. »Sollicita et provida«, data 9. Julii 1753 — sunt abrogatae novumque plane jus desuper est introductum, ita ut in futuro circa libros pravos tantum vim legis habeant, quae in dicta Const. et in illa Benedicti XIV. »Sollicita et provida« continentur. Quum vero Const. Benedicti XIV. tantummodo

normas statuit a S. Congr. tum Indicis tum Officii tenendas in examinandis et proscribendis libris, Const. »Officiorum ac munerum» sola comprehendit leges positivas in praesentia de hac re valentes.

Uti per se intelligitur, subsequens Constitutio, cui aliquae notae explicantes, a probatis Theologis traditae, adjectae inveniuntur, omnes totius orbis fideles afficit, prout insuper S. Off. 19. Mart. 1898 declaravit, et fundatur in praesumptione communis periculi, ita ut ipsius vis obligatoria per se non cesset in casu particulari, scil. ubi quis pro certo habeat, retentionem vel lectionem sibi nullum allaturam esse periculum. His praemissis jam sequuntur decreta generalia, et quidem:

29. *II. De Prohibitione Librorum*[1])

CAPUT I.

De prohibitis apostatarum, haereticorum, schismaticorum, aliorumque scriptorum libris.

1. Libri omnes quos ante annum MDC. aut summi Pontifices, aut Concilia oecumenica damnarunt, et qui in novo Indice non recensentur, eodem modo damnati habeantur, sicut olim damnati fuerunt: iis exceptis, qui per haec Decreta Generalia[2]) permittuntur.

2. Libri apostatarum, haereticorum, schismaticorum et quorumcumque scriptorum haeresim vel schisma propugnantes, aut ipsa religionis fundamenta utcumque evertentes, omnino prohibentur.[3])

3. Item prohibentur acatholicorum libri, qui ex professo de religione tractant, nisi constet[4]) nihil in eis contra fidem catholicam contineri.

---

[1]) Vox *prohibitio* sese extendit, ut in jure veteri, ad sequentes actus: edere, retinere et legere. Patet ex fine legis necnon ex cap. IX. § 23—26, ubi expresse dicitur »libros sive specialibus sive hisce generalibus decretis proscriptos ii tantum *legere* et *retinere* poterunt, qui . . . fuerint consecuti facultates.« Item et S. C. Indicis, quoties opus aliquod proscribit, semper, etiam post hanc novam Const., utitur verbis: »Nemo itaque . . . in posterum *edere*, aut edita *legere* vel *retinere* audeat.«

Quod etiam nomen *libri* in novo jure eodem sensu ac in veteri adhiberi possit, plures suadent rationes, iis casibus exceptis, pro quibus lex secus disposuit. (*Lehmk.* App. p. 52; Acta S. Sedis XXX. pag. 96.)

[2]) Cfr. § 5—10.

[3]) Haec paragraphus non confundenda est cum art. II. (1. class.) Bullae *Apostol. Sedis.* Heic *quicumque* scriptor haeresim aut schisma propugnans i. e. additis rationibus tuens ac defendens, vel evertens religionis *fundamenta* i. e. veritates ordinis naturalis, quae sciri debent, ut quis fidem amplecti possit, v. g. existentiam Dei, animae immortalitatem etc.; *utcunque* i. e. directe vel indirecte sive rationibus sive injuriis impugnando, prohibetur.

[4]) Interdum etiam judicio publico Theologorum constare potest, scriptores acatholicos in suis libris omnino catholice sentire. (*Lehmk.* l. c.)

4. Libri eorundem auctorum, qui ex professo de religione non tractant, sed obiter tantum fidei veritates attingunt, iure ecclesiastico prohibiti non habeantur, donec speciali decreto proscripti haud fuerint.

CAPUT II.

De Editionibus textus originalis versionum non vulgarium Sacrae Scripturae.

5. Editiones textus originalis et antiquarum versionum catholicarum Sacrae Scripturae, etiam Ecclesiae Orientalis ab acatholicis quibuscumque publicatae, etsi fideliter et integre editae appareant, iis dumtaxat, qui studiis theologicis vel biblicis dant operam,[5]) dummodo tamen non impugnentur in prolegomenis aut adnotationibus catholicae fidei dogmata, permittuntur.

6. Eadem ratione, et sub iisdem conditionibus, permittuntur aliae versiones Sacrorum Bibliorum sive latina, sive alia lingua non vulgari ab acatholicis editae.

CAPUT III.

De versionibus vernaculis Sacrae Scripturae.

7. Cum experimento manifestum sit, si Sacra Biblia vulgari lingua passim sine discrimine permittantur, plus inde, ob hominum temeritatem, detrimenti, quam utilitatis oriri; Versiones omnes in lingua vernacula, etiam a viris catholicis confectae, omnino prohibentur, nisi fuerint ab Apostolica Sede approbatae, aut editae sub vigilantia Episcoporum cum adnotationibus desumptis ex Sanctis Ecclesiae Patribus, atque ex doctis catholicisque scriptoribus.[6])

8. Interdicuntur versiones omnes Sacrorum Bibliorum, quavis vulgari lingua ab acatholicis quibuscumque confectae, atque illae praesertim, quae per Societates Biblicas, a Romanis Pontificibus non semel damnatas, divulgantur, cum in iis saluberrimae Ecclesiae leges de divinis libris edendis funditus posthabeantur.

Hae nihilominus versiones iis, qui studiis theologicis vel biblicis dant operam, permittuntur: iis servatis, quae supra (n. 5) statuta sunt.

---

5) S. C. Indicis die 23. Maji 1898 ad sequens dubium 1^m^: Utrum haec verba a. V.: *qui studiis theologicis aut biblicis dant operam,* intelligenda sint tantum de doctis viris, iis scientiis deditis, aut extendi valeant ad universos S. Theologiae tyrones? — respondit: *Negative* ad 1. partem; *affirmative ad* 2. partem. — Eiusdem tenoris est decisio eiusdem S. Congr. 21. Junii 1898 ad dub. I.; ad dubium vero II^m^; utrum possit Eppus permittere ut in scholis alumni sub ductu professoris textus hebraicos et graecos ab acatholicis editos legant ac vertant, dummodo non impugnentur in prolegomenis etc. — S. C. respondit: *Negative;* absque speciali S. Sedis facultate. —

6) S. Scriptura in lingua patria seu vernacula a quocunque laico legi potest si editio sit *aut* a Sede apostolica approbata, *aut* evulgata cum notis, approbante Ordinario loci, quo juris publici fit.

CAPUT IV.

De libris obscenis

9. Libri, qui res lascivas seu obscenas ex professo tractant, narrant, aut docent,[7] cum non solum fidei, sed et morum, qui huiusmodi librorum lectione facile corrumpi solent, ratio habenda sit, omnino prohibentur.

10. Libri auctorum sive antiquorum, sive recentiorum, quos classicos vocant, si hac ipsa turpitudinis labe infecti sunt, propter sermonis elegantiam et proprietatem, iis tantum permittuntur, quos officii aut magisterii ratio excusat: nulla tamen ratione pueris vel adolescentibus, nisi solerti cura expurgati, tradendi aut praelegendi erunt.[8])

CAPUT V.

De quibusdam specialis argumenti libris.

11. Damnantur libri, in quibus Deo, aut Beatae Virgini Mariae, vel Sanctis, aut Catholicae Ecclesiae eiusque cultui, vel Sacramentis, aut Apostolicae Sedi detrahitur.[9]) Eidem reprobationis iudicio subiacent ea opera, in quibus inspirationis Sacrae Scripturae conceptus pervertitur, aut eius extensio nimis coarctatur. Prohibentur quoque libri, qui data opera Eccle-

---

[7]) *Ex professo tractare* de obscoenis est de iis scribere ex instituto, specialiter et concepta intentione seu *directe ac notabiliter* et non obiter tantum. Lasciva vero et obscena *narrant* libri, qui turpia facta ab hominibus commissa sive vera sive ficta describunt et in aliorun notitiam deferunt cum suis circumstantiis, modis adhibitis etc. Ea *docent* libri, si tradunt et explicant, quomodo turpes actus perficiantur, quibus artibus mulieres, praesertim adolescentulae, corrumpi et ad propria desideria pertrahi possint. *(Acta S. S.* pag. 202.)

[8]) *Officii* ratio excusat omnes illos, qui pravos libros ob dispositionem in § 27. denuntiare tenentur v. g. Nuntios et Delegatos apostolicos, locorum Ordinarios etc. Item et alios, ut: Vicarios generales, rectores scholarum, praefectos in collegiis et seminariis puerorum etc.

Pueris et adolescentibus nempe in Gymnasiis seu scholis *mediis* non permittuntur nisi editiones *expurgatae.* In Universitatibus vero studio rei litterariae vacantes videntur excusati ratione officii. — Videntur etiam scholares Gymnasii etc. aliquando ob necessitatem et coactionem, quae ipsis inferatur, excusati esse; modo absit ipsis periculum peccandi. Magistri utique peccant, qui *non coacti* eiusmodi libros non purgatos pueris tradunt. (*Lehmk.* p. 54.; *Acta S. S.* pag. 203.) —

[9]) *Detrahere* non est idem ac blasphemare aut dogmata ab Ecclesia definita negare, quamvis ad blasphemiam et haeresim eiusmodi scelus facillime reducatur, sed est: dictis alicuius famam et existimationem denigrare aut eam obscurare, ita ut apud legentem *contemptibilis* reddatur. — Non requiritur autem ad prohibitionem, ut liber integer argumentum illud verset seu ut illam detractionem libri finem esse appareat, sed sufficit, ut hoc *in libro* notabiliter fiat. Est probabilis sententia, quod si obiter tantum verbum vel sententia occurrat ista labe infecta, id non sufficere, ut liber ecclesiastico jure censeri debeat prohibitus. *(Lehmk.* et *Acta S. S.* l. c.)

siasticam Hierarchiam, aut statum clericalem vel religiosum probris afficiunt.[10])

12. Nefas esto libros edere, legere aut retinere, in quibus sortilegia, divinatio, magia, evocatio spirituum, aliaeque huius generis superstitiones docentur, vel commendantur.[11])

13. Libri aut scripta, quae narrant novas apparitiones, revelationes, visiones, prophetias, miracula, vel quae novas inducunt devotiones, etiam praetextu quod sint privatae, si publicentur absque legitima Superiorum Ecclesiae licentia, proscribuntur.[12])

14. Prohibentur pariter libri, qui duellum, suicidium, vel divortium licita statuunt,[13]) qui de sectis massonicis, vel aliis eiusdem generis societatibus[14]) agunt, easque utiles et non perniciosas Ecclesiae et civili societati esse contendunt, et qui errores ab Apostolica Sede proscriptos tuentur.[15])

CAPUT VI.

De Sacris Imaginibus et Indulgentiis

15. Imagines quomodocumque impressae Domini Nostri Jesu Christi, Beatae Mariae Virginis, Angelorum atque Sanctorum, vel aliorum servorum Dei ab Ecclesiae sensu et decretis

---

10) *Probris afficere* est idem ac contumeliis et irrisionibus ex animo malevolo appetere. Hoc in libro fieri debet *data opera* seu *ex professo*, ita ut ex frequentia probrorum appareat intentio scribentis denigrandi *res enumeratas*, i. e. non aliquam personam aut aliquem ordinem religiosum tantum.

11) Ut liber *superstitiosus* (de superstitione vide Comp. II. pag. 154—159) sit prohibitus, necesse est, ut in eo *ars* magica aut *doceatur* i. e. regulae tradentur, opportunae notiones exhibeantur et modi indicentur, quibus evocatio spirituum, hypnotismus etc. exercendus est, aut *commendetur* i. e. eiusmodi impia systemata et operationes laudentur. Non tamen interdicuntur libri, qui tantum *facta* superstitiosa simpliciter *narrant*. (*Acta S. S.* 220.)

12) Ad hanc paragraphum notetur: a) quod non solum libros, sed et *scripta* seu *folia* comprehendat, non vero ephemerides vel diaria publica, factum aliquod novum, naturae ordinem transcendens, ad communem notitiam deferentes, uti plures D. D. tenent. b) Quod agatur de *novis* apparitionibus etc. et de *novis* devotionibus. Si ergo libri et libelli apparitiones et miracula jam nota et usitatas devotiones continent, indigent quidem approbatione, sed si absque ea publicentur, non sunt proscripti. — c) Absque legitima . . . licentia i. e. Ordinarii loci, ubi publicantur. (*Acta S.S.* 224., *Lehmk.* 53.)

13) *Divortium* intelligitur hic in sensu legum modernorum guberniorum, nempe ut solutio vinculi matrimonialis, ita ut eiusmodi conjuges ad alias transire possint nuptias. — Licita *statuunt*: i. e. rationibus et argumentis comprobant. —

14) De eiusmodi societatibus cfr. »Tract. de Cens.« pag. 170. —

15) S. C. Ind. 23. Maji 1898 ad dubium (II.): An opera (quae permulta sunt) erroribus infecta, a Syllabo damnatis, verbis art. 14. prohibita censeantur, quatenus errores ab Apostolica Sede damnatos continentia? — respondit: *Affirmative*, si hos errores tueantur seu propugnent.

difformes,[16]) omnino vetantur. Novae vero, sive preces habeant adnexas, sive absque illis edantur sine Ecclesiasticae potestatis licentia non publicentur.[17])

16. Universis interdicitur indulgentias apocryphas, et a Sancta Sede Apostolica proscriptas vel revocatas quomodocumque divulgare. Quae divulgatae iam fuerint, de manibus fidelium auferantur.

17. Indulgentiarum libri omnes, summaria, libelli, folia etc., in quibus earum concessiones continentur, non publicentur absque competentis auctoritatis licentia.[18])

CAPUT VII.

De libris liturgicis et precatoriis

18. In authenticis editionibus Missalis, Breviarii, Ritualis, Caeremonialis Episcoporum, Pontificalis romani, aliorumque librorum liturgicorum a Sancta Sede Apostolica approbatorum, nemo quidquam immutare praesumat: si secus factum fuerit, hae novae editiones prohibentur.[19])

19. Litaniae omnes, praeter antiquissimas et communes, quae in Breviariis, Missalibus, Pontificalibus ac Ritualibus continentur, et praeter Litanias de Beata Virgine, quae in sacra Aede Lauretana decantari solent, et Litanias Sanctissimi Nominis Iesu[20]) iam a Sancta Sede approbatas, non edantur sine revisione et approbatione Ordinarii.[21])

20. Libros, aut libellos precum, devotionis, vel doctrinae institutionisque religiosae, moralis, asceticae, mysticae, aliosque huiusmodi quamvis ad fovendam populi christiani pietatem con-

---

16) Intelliguntur imagines *insolitae* formae, fidei aut honestati periculosae vel contra decreta Ecclesiae de beatif. et canonizatione servorum Dei. (*Lehmk.* p. 53.) —

17) Commentator in „*Acta S. S.*“ quaerit: an imagines absque licentia ecclesiastica publicatae ut vetitae sint habendae? Et respondet: Verius existimamus, non esse interdictas, quia dumtaxat earum publicatio prohibetur. (Op. c. pag. 311.)

18) Ut ex responso S. C. Indicis 7. Aug. 1897 patet, hac paragrapho circa illos, qui potestatem habent, concedendi hanc facultatem de *antiquo jure* nihil immutatum esse. Cfr. Decret. gen. S. C. Indulg. 10. Aug. 1899, Reg. IV.

19) Editiones *authenticae* illae dicuntur, quae a legitima potestate sunt approbatae. *Novae* editiones prohibitae sunt, etsi in rebus minoris momenti tantum mutatae fuerint sive aliquid addendo sive omittendo sive transponendo. Antea severe prohibebantur editiones, quae debitis approbationibus carent; nunc, etsi eas sic edere nefas fuerit, editis uti licet, modo nihil a rite approbatis discrepent. (*Lehmk.* 54.)

20) Adde: et illas de SSmo Corde Jesu. Ex decreto S. R. C. pro Urbe et Orbe 2. April. 1899.

21) Litaniae, quae cum sola Ordinarii approbatione publicantur, *privatim* tantum recitari possunt, ut S. R. C. 11. Febr. 1898 ad dub. III. ultima vice declaravit.

ducere videantur, nemo praeter legitimae auctoritatis licentiam publicet: secus prohibiti habeantur.[22])

CAPUT VIII.

De diariis, foliis et libellis periodicis.

21. Diaria, folia et libelli periodici, qui religionem aut bonos mores data opera impetunt, non solum naturali, sed etiam ecclesiastico iure proscripti habeantur.[23])

Curent autem Ordinarii, ubi opus sit, de huiusmodi lectionis periculo et damno fideles opportune monere.

22. Nemo e catholicis, praesertim e viris ecclesiasticis, in huiusmodi diariis, vel foliis, vel libellis periodicis, quidquam, nisi suadente iusta et rationabili causa, publicet.[24])

CAPUT IX.

De facultate legendi et retinendi libros prohibitos.

23. Libros sive specialibus, sive hisce Generalibus Decretis proscriptos, ii tantum legere et retinere poterunt, qui a Sede Apostolica, aut ab illis, quibus vices suas delegavit, opportunas fuerint consecuti facultates.

24. Concedendis licentiis legendi et retinendi libros quoscumque prohibitos, Romani Pontifices Sacram Indicis Congregationem praeposuere. Eadem nihilominus potestate gaudent, tum suprema Sancti Officii Congregatio, tum Sacra Congregatio de Propaganda Fide pro regionibus suo regimini subiectis. Pro Urbe tantum, haec facultas competit etiam Sacri Palatii Apostolici Magistro.

---

[22]) Quia tantum mentio fit de libris et libellis, eximenda sunt *folia* et *scripta,* quae librorum et libellorum nomine minime veniunt. Ordinarii approbatione pariter indigent huius argumenti publicationes *periodicae,* si ad tantam perveniant molem, ut libelli nomen mereantur. Cum haec lex non retroagat, libri et libelli ante hanc Constitut. absque approbatione editi ut prohibiti non habendi sunt, nisi alia ratio accedat. (*Pastor bonus,* XII. 22.)

[23]) Enumerata scripta, si religionem aut bonos mores impetant, tum naturali tum ecclesiastico jure proscribuntur. Vi legis *ecclesiasticae* vetantur, si *data opera* i. e. *ex professo* religionem et bonos mores impetant uti v. g. folia *Socialistarum.* Sub nomine *religionis* non solum religio catholica, sed quaevis religio vera intelligitur, maxime vero religio naturalis uti plures contra alios tenent. Uti per se patet, a dictis publicationibus, quae positiva Ecclesiae lege sunt prohibitae, etiam ille, qui sibi nullum periculum timet, et retinendis et legendis debet abstinere. (*Lehmk.* 54.) Vi legis *naturalis* interdicuntur omnia folia, diaria et publicationes periodicae, quae et quatenus fidei aut bonis moribus sunt periculosae seu noxiae. Gradus culpae a gradu periculi dimetiendus est, inspecta qualitate personae legentis, frequentia lectionis, quantitate impietatum vel iniquitatum, quae in ipsis continentur necnon modo, quo enuntiantur etc. Fieri ergo potest, quod quis ephemeridum lectione graviter contra legem *naturalem* peccet, minime vero contra illam Ecclesiae.

[24]) Ne *cooperatores* fiant omnium malorum, quae eiusmodi diaria etc. producunt.

25. Episcopi aliique Praelati iurisdictione quasi episcopali pollentes,[25]) pro singularibus libris, atque in casibus tantum urgentibus, licentiam concedere valeant. Quod si iidem generalem a Sede Apostolica impetraverint facultatem, ut fidelibus libros proscriptos legendi retinendique licentiam impertiri valeant, eam nonnisi cum delectu et ex iusta et rationabili causa[26]) concedant.

26. Omnes, qui facultatem apostolicam consecuti sunt legendi et retinendi libros prohibitos, nequeunt ideo legere et retinere libros quoslibet, aut ephemerides ab Ordinariis locorum praescriptas, nisi eis in apostolico indulto expressa facta fuerit potestas legendi et retinendi libros a quibuscumque damnatos. Meminerint insuper qui licentiam legendi libros prohibitos obtinuerunt, gravi se praecepto teneri huiusmodi libros ita custodire, ut ad aliorum manus non perveniant.

CAPUT X.

De denuntiatione pravorum librorum.

27. Quamvis catholicorum omnium sit, maxime eorum, qui doctrina praevalent, perniciosos libros Episcopis, aut Apostolicae Sedi denuntiare: id tamen speciali titulo pertinet ad Nuntios, Delegatos Apostolicos, locorum Ordinarios, atque Rectores Universitatum doctrinae laude florentium.

28. Expedit ut in pravorum librorum denuntiatione non solum libri titulus indicetur, sed etiam, quoad fieri potest, causae exponantur ob quas liber censura dignus existimatur. Iis autem ad quos denuntiatio defertur, sanctum erit, denuntiantium nomina secreta servare.

29. Ordinarii, etiam tamquam Delegati Sedis Apostolicae, libros, aliaque scripta noxia in sua Dioecesi edita vel diffusa proscribere, et e manibus fidelium auferre studeant. Ad Apostolicum iudicium ea deferant opera vel scripta, quae subtilius examen exigunt, vel in quibus ad salutarem effectum consequendum, supremae auctoritatis sententia requiri videatur.

30. *III. De Censura Librorum:*

CAPUT I.

De Praelatis librorum censurae praepositis.

30. Penes quos potestas sit sacrorum bibliorum editiones et versiones adprobare vel permittere ex iis liquet, quae supra (n. 7) statuta sunt.

---

[25]) Inter hos non solum numerandi sunt: Vicarii et praefecti apostolici, abbates nullius, sed etiam *Superiores regularium:* generales, provinciales et probabiliter etiam locales, uti cl. *Lehmk.* (p. 56) contra Comment. in *Acta S. S.* egregie probat. Sed bene attende, *in quibusnam casibus* id facere possint. —

[26]) Ut *valide* faciant; in dubio tamen standum pro valore facultatis datae. (*Lehmk.* l. c.) Cum etiam facultas ab *Ordinario accepta* sit privilegium *personale,* illo, qui habet, *ubique* uti potest. —

31. Libros ab Apostolica Sede proscriptos nemo audeat iterum in lucem edere: quod si ex gravi et rationabili causa, singularis aliqua exceptio hac in re admittenda videatur, id nunquam fiet, nisi obtenta prius sacrae Indicis Congregationis licentia, servatisque conditionibus ab ea praescriptis.

32. Quae ad causas Beatificationum et Canonizationum Servorum Dei utcumque pertinent, absque beneplacito Congregationis Sacris Ritibus tuendis praepositae publicari nequeunt.

33. Idem dicendum de Collectionibus Decretorum singularum Romanarum Congregationum: hae nimirum Collectiones edi nequeant, nisi obtenta prius licentia, et servatis conditionibus a moderatoribus uniuscuiusque Congregationis praescriptis.

34. Vicarii et Missionarii Apostolici Decreta sacrae Congregationis Propagandae Fidei praepositae de libris edendis fideliter servent.

35. Approbatio librorum, quorum censura praesentium Decretorum vi Apostolicae Sedi vel Romanis Congregationibus non reservatur, pertinet ad Ordinarium loci in quo publici iuris[27]) fiunt.

36 Regulares, praeter Episcopi licentiam, meminerint teneri se, sacri Concilii Tridentini decreto, operis in lucem edendi facultatem a Praelato, cui subiacent, obtinere. Utraque autem concessio in principio vel in fine operis imprimatur.

37. Si auctor Romae degens librum, non in Urbe, sed alibi imprimere velit, praeter approbationem Cardinalis Urbis Vicarii et Magistri Sacri Palatii Apostolici alia non requiritur.

CAPUT II.

De censorum officio in praevio librorum examine.

38. Curent Episcopi, quorum muneris est facultatem libros imprimendi concedere, ut eis examinandis spectatae pietatis et doctrinae viros adhibeant, de quorum fide et integritate sibi polliceri queant nihil eos gratiae daturos, nihil odio, sed omni humano affectu posthabito, Dei dumtaxat gloriam spectaturos et fidelis populi utilitatem.

39. De variis opinionibus atque sententiis (iuxta Benedicti XIV praeceptum) animo a praeiudiciis omnibus vacuo, iudicandum sibi esse censores sciant. Itaque nationis, familiae, scholae, instituti affectum excutiant, studia partium seponant. Ecclesiae sanctae dogmata, et communem Catholicorum doctrinam, quae Conciliorum generalium decretis, Romanorum Pontificum Constitutionibus, atque Doctorum consensu continentur, unice prae oculis habeant.

---

27) Quondam libri approbandi erant ab Ordinario loci, in quo typis dabantur; nunc vero generatim ubi juris publici fiunt, seu ubi editor existit. (*Acta S. S.* 490.)

40. Absoluto examine, si nihil publicationi libri obstare videbitur[28]), Ordinarius, in scriptis et omnino gratis, illius publicandi licentiam, in principio vel in fine operis imprimendam[29]) auctori concedat.

CAPUT III.

De libris praeviae censurae subiiciendis

41. Omnes fideles tenentur praeviae censurae ecclesiasticae eos saltem subiicere libros, qui divinas Scripturas, Sacram Theologiam, Historiam ecclesiasticam, Ius Canonicum, Theologiam naturalem, Ethicen, aliasve huiusmodi religiosas aut morales disciplinas respiciunt,[30]) ac generaliter scripta omnia, in quibus religionis et morum honestatis specialiter intersit.[31])

42. Viri e clero seculari ne libros quidem, qui de artibus scientiisque mere naturalibus tractant, inconsultis suis Ordinariis publicent, ut obsequentis animi erga illos exemplum praebeant.[32])

Idem prohibentur quominus, absque praevia Ordinariorum venia, diaria vel folia periodica moderanda suscipiant.[33])

CAPUT IV.

De Typographis et editoribus librorum.

43. Nullus liber censurae ecclesiasticae subiectus excudatur, nisi in principio nomen et cognomen tum auctoris, tum

---

28) S. C. Ind. 3. Sept. 1898 ad dubium: An Ordinarii, qui peracto examine alicuius libri, praeviae eorum censurae submissi, licentiam denegent eundem publicandi, teneantur auctori rationes denegatae licentiae indicare? — respondit: *Affirmative*, si liber videatur correctionis seu expurgationis esse capax.

29) Non constat, licentiam impressionis iisdem verbis esse operi addendam, quibus concessa est, sed sufficit, ut verbis usitatis imprimatur: *Cum Superiorum licentia, cum ecclesiastica auctoritate, vel facultate etc.*

30) Praeviae ergo censurae subjiciendi omnes *libri*, qui *quamlibet sacrae Theologiae disciplinam* tractant, quamvis sensu lato, vel *Theologiam naturalem* vel *Ethicam.* Materia profana ecclesiasticae censurae non subjacet. — Supponitur autem, ut libri de hisce materiis *vulgentur*, non tantum ad quorundam usum privatum *lithographice* exarentur vel etiam ad eundem finem typis imprimantur (als Manuscript gedruckt), ut v. g. apud Professores Universitatum in usu est. —

31) In exponendo hoc articulo D. D. non conveniunt: quidam praeceptum censurae limitant ad libros et publicationes periodicas, quae majore ex parte de materiis religionis vel moralibus tractant; alii vero extendunt ad quaevis scripta, etiam ad ephemerides, quatenus elucubrationes religiosas et morales continent. Juxta *Lehmk.* singularem attentionem meretur verbulum: *specialiter* intersit. Quum enim haec materia distinguatur a materiis *librorum* qui censurae subjiciendi sunt, concludi debet, non sufficere, ut libelli vel diaria utcunque rem theologicam tractent, sed requiri, ut sive ex se sive ex temporum circumstantiis res, quae tractatur, consueto majoris sit momenti errandive periculum gravius vel perniciosius. (Op. c. p. 57.) —

32) Haec prior paragraphi pars per se loquendo potius *consilium*, quam strictum mandatum continere videtur.

33) Haec altera pars, concernens directionem seu moderamen foliorum etc. *politicorum*, est verum praeceptum. —

editoris, praeferat, locum insuper et annum impressionis atque editionis. Quod si aliquo in casu, iustas ob causas, nomen auctoris tacendum videatur, id permittendi penes Ordinarium potestas sit.

44. Noverint Typographi et editores librorum novas eiusdem operis approbati editiones, novam approbationem exigere, hanc insuper textui originali tributam, eius in aliud idioma versioni non suffragari.[34])

45. Libri ab Apostolica Sede damnati, ubique gentium prohibiti censeantur, et in quodcumque vertantur idioma.

46. Quicumque librorum venditores, praecipue qui catholico nomine gloriantur, libros de obscenis ex professo tractantes neque vendant, neque commodent, neque retineant: ceteros prohibitos venales non habeant, nisi a Sacra Indicis Congregatione veniam per Ordinarium impetraverint, nec cuiquam vendant nisi prudenter existimare possint, ab emptore legitime peti.[35])

CAPUT V.

De poenis in Decretorum Generalium transgressores statutis.

47. Omnes et singuli scienter legentes, sine auctoritate Sedis Apostolicae, libros apostatarum et haereticorum haeresim propugnantes, nec non libros cuiusvis auctoris per Apostolicas Literas nominatim prohibitos, eosdemque libros retinentes, imprimentes et quomodolibet defendentes excommunicationem ipso facto incurrunt, Romano Pontifici speciali modo reservatam.[36])

48. Qui sine Ordinarii approbatione Sacrarum Scripturarum libros, vel earundem adnotationes vel commentarios imprimunt, aut imprimi faciunt, incidunt ipso facto in excommunicationem nemini reservatam.[37])

49. Qui vero cetera transgressi fuerint, quae his Decretis Generalibus praecipiuntur, pro diversa reatus gravitate serio ab Episcopo moneantur; et, si opportunum videbitur, canonicis etiam poenis coerceantur.

---

34) Ad dubium (III.) S. C. Ind. propositum: Utrum excerpta a periodicis capita seorsim edita (Separatabdrücke) censeri debeant *novae editiones*, atque proinde nova approbatione indigeant, prout art. 44. requiritur? est responsum 23. Maji 1898: *Negative.* —

35) Quoties ergo libros scriptave prohibita ii petunt, de quibus ex gravi ratione dubitatur quoad legendi licentiam, aliquo modo, saltem indirecte inquiri seu interrogari debet. (*Lehmk.* 56.)

36) Huius censurae explicationem vide in „*Tractatu de Censuris*“ p. 110—117.

37) Cfr. *Tractat. de Cens.* pag. 236. — Notetur etiam, quod S. Poenit. 8. April. 1898 declaravit, Catholicis non licere, nomen dare Societatibus recreationis (vulgo »Casino«), in quibus non observantur leges Ecclesiae circa libros prohibitos.

31. His finitis, breviter adhuc tangenda est quaestio, *quaenam peccata ab iis committuntur, qui memoratas Ecclesiae leges violant?*

I. Generatim loquendo, quisque in materia *gravi graviter* peccat. Hoc concluditur partim ex fine legis, qui est gravis et in eo consistit, ut periculum, quod ex pravorum librorum lectione fidei et moribus imminet, a fidelibus arceatur, ad quem finem obtinendum lex ipsa multa confert; partim vero ex gravibus poenis, quae adjectae sunt.

II. Quod attinet *folia, diaria* aut *libellos* periodicos, juxta cl. *Lehmkuhl, grave* peccatum committunt:

1) qui iis emendis subscribunt, quin facultate emendi vel legendi instructi sint; 2) qui ea non caute custodiunt, ita ut alii ad ea aditum habeant; 3) qui in cauponis vel aliis in locis exposita frequenter legunt, vel semel tantum, ast notabiliter lectionem producunt, quamvis legentes animadverterint, se jam attigisse materiam prohibitam.

Si quis *raro* tantum ex tali folio articulum legat, qui non de re prohibita agit, sed e. c. negotia, insertiones, publicationes etc. continet, videtur dumtaxat *venialiter* peccare.

III. Quantum ad *libros*, multo facilius graviter peccatur et quidem relate ad libros propter *doctrinam* vel *obscoenitatem* prohibitos peccati gravis rei evadunt: 1) qui emit libros, ut retineat eos; 2) qui eiusmodi libros retinet ultra tres aut quatuor dies sine rationabili causa, qualis v. g. esset, ut exspectet petitam ab Ordinario facultatem legendi, vel ut librum habenti facultatem opportune et secure tradat etc.; 3) qui legit *notabilem* partem. Hoc vero dimetiendum erit tum *ex re*, quae tractatur, tum *ex amplitudine* materiae, ita ut, si res sit indifferens, tota majoris formae pagina pro materia parva haberi posset. Contra vero, si praecise legatur erronea doctrina, dimidia vel tertia pars paginae, imo juxta *S. Alph.* paucae lineae materiam gravem efficere poterunt.

IV. Quoad libros, qui non tam ob rem, quam propter formam, qua evulgantur, prohibentur, grave peccatum committere videntur ii, qui illos edunt et qui illis utuntur sive in functionibus liturgicis sive in alio religionis exercitio, praesertim publico; non vero qui iis utitur ad alium finem honestum, puta ad studium, ad litterarias publicationes etc.

V. Libri et scripta de novis apparitionibus, visionibus etc. tractantes, materiam gravis peccati constituunt in eo, qui ea juris publici facit, vel ad id graviter cooperatur, vel qui publicata divulgat. Lectio ipsa per se vix graviter peccaminosa erit, bene vero per accidens, si alius nempe accedat titulus v. g. periculum grave pro fide, puta quia narratorum scopus is est, ut falsae doctrinae favor praestetur.

VI. Quantum ad libros et libellos devotionis aut religiosae institutionis, graviter peccant ii: 1) qui sine approbatione edunt; 2) qui illis utuntur, licet jure suspicentur, eos pravas doctrinas

continere, et quidem si pluries illis utuntur vel etiam unica vice multum ex iis sine facultate legunt; secus vel non vel saltem non graviter peccant. Ita *Lehmkuhl* (o. c. p. 55.)

VII. Iis casibus exceptis, pro quibus specialis adest ecclesiae declaratio v. g. per Ordinarium loci, aut aliunde non constet, quaestio, utrum certus liber vel determinatum folium per decreta generalia sit prohibitus, singulorum judicio discernenda est. Quamdiu ergo non constat, librum esse prohibitum, tamdiu et in tantum legi potest, in quantum ad tale judicium sibi formandum aliquis necesse habet. Qui sibimetipsi judicium formare nequit, adire debet peritiores, parochum scil. vel confessarium.

VIII. Qui habet librum prohibitum, illum aut destruere aut habenti facultatem tradere debet, vel etiam, ut plures DD. dicunt, alicui Bibliothecae assignare, ut ibi inter libros prohibitos asservari possit. — Caeterum dari posse casum, in quo obligatio quondam existens, deferendi librum Ordinario, adhuc subsistat, concedendum est, ait *Berardi* (De occas. 202. 1⁰).

Quid, si liber non sit proprius, sed alienus: debetne comburi aut licet illum domino suo reddere? Respondendum est, quod si nullum notabile inconveniens ex combustione libri secuturum sit, utique comburi debebit ex caritate erga proximum. Porro caritas parvae illi (si adsit) violationi justitiae tunc praevaleret. Si vero notabilia incommoda sint oritura, tunc librum domino reddere liceret. Secus enim provocarentur mala absque ullo fructu. Et sane, hodie, unum comburendo librum, quid impediretur? »Nec valet paritas, ait *Ballerini* (n. 241) cum casu reddendi gladium illi, qui interfecturus alium est; nam suus huic gladius nec penitus nec perpetuo adimitur, et gravissimum ceteroquin adest tertii damnum prorsus impediendum.« (*Berardi*, l. c.)

32. *Pag. 33. litt. c) quod fidem ecclesiasticam relate ad censuras theologicas notetur:*

1) Censura dogmatica judicialis, juxta communem et certam doctrinam, etiam quando inuritur nota haeresi inferior, *gravem inducit obligationem*, illi adhaerendi.

2) Certum est apud omnes, censurae dogmaticae judiciali, etiam haeresi inferiori, a fidelibus omnibus *internum firmumque mentis assensum* esse praebendum (*Mazzella*, De virt. inf. p. 236.)

Ex eo, quod fideles tenentur respuere propositiones censura dogm. judiciali inustas, non sequitur, *contradictorie* oppositam tamquam revelatam vel fidei dogma amplectendam esse, nisi propositio, cui opponitur, damnata fuerit *ut haeretica*, sed ut doctrinam sanam, quae tenenda est propter infallibilem Ecclesiae in docendo auctoritatem atque proinde objectum fidei ecclesiasticae. (*Hurter*, Comp. Th. dog. I. 677.)

Nota: Pauca de obedientia ecclesiae magisterio praestanda, vide Comp. II. 182. — Qui propositiones ab Apostolica Sede

sub excommunicationis poena latae sententiae damnatas sive publice sive privatim *docet* vel *defendit*, excommunicationem R. P. simpliciter reservatam incurrit. Cfr. *Tract. de Cens.* p. 152—154. —

33. *Pag. 34. quoad poenas in haereticos statutas ad β. adde:* S. Off. 24. Nov. 1890 declaravit, etiam in Germania et in aliis locis haereticos ad fidem catholicam conversos ac filios haereticorum, qui in haeresi persistunt vel mortui sunt, ad primum et secundum gradum per lineam paternam, per maternam vero ad primum dumtaxat, esse irregulares ideoque dispensatione indigere, ut ad tonsuram et Ordines promoveantur. Cfr. *Tract. de Cens.* p. 346. —

34. *Pag. 35. γ.* Quoad absolutionem haereticorum in foro conscientiae per simplicem confessarium pro casibus urgentibus standum est normis a S. Officio decr. 23. Junii 1886, decret. 16. Junii 1897 et decr. 9. Nov. 1898 datis.

35. *Pag. 36. 3. Apostasia et haeresis* et pariter singulae haereses *specifice non differunt*, quia tum apostasia tum haeresis generatim, tum singulae haereses adversantur eidem auctoritati Dei loquentis; quod ergo alia plures, alia pauciores veritates neget, est solummodo *circumstantia aggravans.*

De apostatis a fide, quatenus excommunicationi subjacent, vide *Tract. de Cens.* p. 104. —

36. *Pag. 37. post lin. 24. notetur de Liberalismo:*

I. Liberalismus in sensu *stricto* definitur: *Systema politico-religiosum, quod plenam independentiam Status ab Ecclesia vel Religione profitetur.* Dicitur:

a) *Systema*, quia complexio plurium doctrinarum est, quae vel eo spectant, ut haec independentia modo angustius ex parte, modo plenius ex toto asseratur, vel ab affirmata independentia hac sponte dimanant.

b) *Politico-religiosum;* versatur enim circa relationes, quas non quilibet singularis homo, sed homines civilem societatem constituentes ideoque civilis societas seu, ut dicitur, *Status* (Staat) habent vel habere debent cum Ecclesia vel Religione.

c) *Plenam independentiam . . . profitetur:* certa quaedam independentia utique competit Statui ab Ecclesia; at plenam independentiam Statui asserere proprium est Liberalismi, quae huc redit, ut Status se regat nullo habito ad Ecclesiam vel Religionem respectu ac si ea non existeret, nulla proinde Ecclesiae admittatur auctoritas in judicio ferendo de iis, quae a Statu fiunt vel permittuntur fieri et in obligatione ulla imponenda Statui circa ea, quae finem ipsius Ecclesiae eiusque ministerium attingunt, etiam circa ea, quae ab Ecclesia ut religiosa habentur sibique proprio jure competere ipsa affirmat.

d) *Ab Ecclesia vel Religione:* quamvis vera Religio non nisi in Ecclesia eaque catholica; independentia tamen Status ita se explicare potest, ut non solum respuat debitam subjectionem auctoritati Ecclesiae a Deo constitutae, sed nolit etiam ullam rationem habere Religionis h. e. cultus divini debitique obsequii, quo tenetur societas erga Deum. Porro utrumque jugum rejicit Liberalismus. Quo fit, ut Liberalismus inter societates quoque acatholicas vigere possit, imo et inter infideles.

II. *Liberalismi nomen* hoc systema habet, quia alumni huius sectae seipsos *Liberales* vocant, et insuper huiusmodi independentia reapse est quaedam libertas, sed libertas carnis, per quam homo servus est peccati, alienus a justitia Dei (Rom. 6, 20—22.) Quia vero qui se independentem ab aliquo asserit, quocum continuo vivit, nequit diu suam independentiam tueri, nisi eundem tandem sibi subjiciat, et quia, rejecta debita dependentia ac subjectione Ecclesiae, jam non est ratio, cur Status parem in ea auctoritatem recognoscat, hinc res consequenter eo est adducta, ut plena independentia Status ab Ecclesia evaderet, e sententia Liberalium, servitus seu subjectio Ecclesiae potestati Status. Si prior formula erat: Ecclesia libera in libero Status — posterior et accuratior jam est: Ecclesia subdita libero Statui!

Liberalismi systema, cum sit maxime perniciosum, a Sede Apostolica iterato jam damnatum est; ultima vice a Leone XIII. in Encycl. „*Libertas*", 20. Jun. 1888 publicata. *Syllabus errorum* a Pio IX. editus non minus quam 46 falsa principia continet, quae Liberalismus adoptavit. — His praemissis jam quaestio:

III. *An Catholico-Liberales sint haeretici?*

Non omnes Liberales sunt uniusmodi. Quidam doctrinam Liberalismi plene amplectuntur, quidam diminute, quaedam tantum capita eius doctrinae tenentes et quidam, licet doctrinam non acceptent, verbo et opere Liberalismo favent.

1. Qui doctrinam Liberalismi plene amplectitur vel eius suprema capita, v. g. qui tenet plenam independentiam Status ab Ecclesia, qui huius subjectionem auctoritati Status affirmat, est vere haereticus poenisque haereticorum obnoxius.

2. Qui aliqua tantum capita doctrinae Liberalismi tenet et non fundamentalia, cuiusmodi v. g. in *Syllabo* sunt error 19. 20. et 40., tunc ut judicium feratur, an haereticus sit necne, considerandum erit, an error, quem amplectitur, opponatur veritati revelatae an tantum veritati, quam sua auctoritate infallibili probavit Ecclesia. Si res dubia sit, donec Ecclesia sententiam suam ferat aut Theologorum disputationibus res clara fiat, standum pro minori culpa.

Quoad illas veritates, quae non continentur in deposito revelationis, sed tenendae sunt ob infallibile Ecclesiae magisterium, huius obedientiae fidei religiosae denegatio est actus

rebellionis erga legitimam Ecclesiae auctoritatem. (*Baller.* — *Palm.* II. Tr. V. 165—172.)

3. Liberales minus proprie tales sunt, qui utique erroribus Liberalismi procul amandatis, nullo eorum scienter admisso, ita tamen huius sectae toxico infecti aegrotant, ut quasi ex instinctu et sensim sine sensu *tamquam Liberales practice operentur et aliorum peccatorum rei evadant,* ita ut hi merito Liberales *in effectu,* dum priores classes Liberales *in affectu* appellari possint. Suam propensionem ad Liberalismum eo v. g. produnt, quod acri suae criticae subjiciunt, quidquid a legitima auctoritate venit; quae Papa agenda censet, inopportuna ipsis videntur; quod agunt Liberales vel excusandum vel ex parte probandum putant etc. Multo perniciosior est cooperandi modus, qui fit per *ephemerides liberales,* iis nempe nomen dando, eas notitiis et insertionibus adjuvando etc., vel per *electionem officialium et deputatorum liberalium* etc. Quocirca plura videri possunt in *Tract. de Sacram.* p. 511—513; et quoad excommunicationen ob subtractionem et recessum ab obedientia Rom. Pontificis etc. vide *Tract. de Cens.* p. 118.—

37. *Pag. 46. 11. Sex lineae post titulum:* Actus caritatis erga Deum, *sic corrigantur:* Actus caritatis theologicae est actus amoris *benevolentiae et amicitiae* inter Deum et hominem exercitus. Hoc satis clare exprimit *S. Thomas* (2. 2. qu. 23. a. 2.) his verbis: »Sed neque benevolentia sufficit ad rationem amicitiae, sed requiritur mutua quaedam amatio, quia amicus est amico amicus.« Unde licet omnis amor amicitiae sit amor benevolentiae, non tamen vicissim etiam omnis amor simplicis benevolentiae est amor amicitiae. (*Struggl* Disp. V. qu. I. n. 1.) —

38. *Pag. 47. 2. Titulus:* Amor concupiscentiae, *cum sequentibus tribus lineis deleatur, et insequentia verba sic exprimantur:* **Quoad relationem amoris concupiscentiae ad amorem bene volentiae haec valent principia:**

39. *Pag. 49. ad. litt. b) lin. 3. adjunge:* Alii tamen graves Theologi haud pauci dicunt: id verissime affirmari, si sermo sit de iis, quibus aliud justificationis medium non suppetit. At si talis absit necessitas, haec opinio limites probabilitatis non excedit. Addita quoque ratio nihil probat; nam est communis D. D. sententia, quod non necesse sit, ut via securissima, sed sufficit, ut simpliciter secura et tuta eligatur (*Buccer.* I. 381.)

40. *Pag. 62. lin. 25. addatur:*

Ex mandato S. R. C. 15. Febr. 1873: *Sacra imago Infantis divini* natalitio tempore, principi loco super altari exposita post crucem est thurificanda triplici ductu eodem prorsus modo, quo incensatur crux. (*Decret. auth.* n. 3288.)

41. *Pag. 63. post. lin. 37. ita legatur:* Ex decret. gen. S. R. C. 14. Aug. 1894 »imagines virorum ac mulierum, qui cum fama sanctitatis decesserunt, sed nondum Beatif. aut Canonizat. honores consecuti sunt, neque altaribus utcunque imponi

posse, neque extra altaria depingi cum aureolis, radiis aliisque sanctitatis signis; posse tamen eorum imagines, vel gesta ac facta in parietibus Ecclesiae seu in vitris coloratis exhiberi, dummodo imagines illae neque aliquod cultus vel sanctitatis indicium praeseferant, neque quidquam profani aut ab Ecclesiae consuetudine alieni«. — (*Decret. auth.* n. 3835.)

42. *Pag. 64. Quoad reliquias antiquas, quarum litterae authentiae non amplius habentur*, S. C. Indulg. 20. Jan. 1896 decrevit, conservandas esse in ea veneratione, in qua hactenus fuerunt, nisi in casu particulari certa adsint argumenta, eas esse falsas vel supposititias.

43. *Pag. 66. post lin. 13. adde:* Quoad reverentiam ss. vasis et linteaminibus debitam notandum est:

1. Si actu contineant ss. Sacramentum, extra casum necessitatis seu periculum profanationis, nulli licet, etiam sub gravi, illa tangere, etiam mediate, praeterquam sacerdoti aut diacono. Ita communiter.

2. Si sint vacua, tangi possunt non solum a sacerdotibus et clericis ordine sacro initiatis ac acolytis, sed juxta plures, ubi viget consuetudo, ab omnibus clericis aut fratribus religionis aut monialibus.

3. Laicis autem non licet ea tangere nisi in casu necessitatis vel ex licentia, aut nonnisi mediante velo; sed ex communi sententia sub veniali tantum hoc ipsis prohibetur. Idem est dicendum de sacris linteaminibus.

4. Ante usum tangi possunt a laicis ciborium, ostensorium eiusque lunula, etsi benedicta; imo ostensorium potest tangi post usum, quia sacras species immediate non attingit.

5. In casu reparationis vasa sacra tangi possunt ab operariis propter necessitatem.

6. Linteamina sacra i. e. corporale, palla et purificatorium tangi possunt a Laicis ante usum aut post lotionem, non vero post usum. — Quoad eorum *lotionem* in jure duo statuuntur:

a) ut sacrae pallae (intellige etiam corporalia et purificatoria) tantum a diaconis laventur. Cum vero hodie subdiaconatus sit ordo sacer, officium hoc ad subdiaconos pertinet; imo juxta S. Alph. (VI. 387.) *probabiliter* hodie haec lotio a meris clericis fieri potest. Decisum tamen est a S. C. R. 12. Sept. 1857 ipsas moniales non posse etiam cum licentia Ordinarii abluere corporalia, pallas et purificatoria.

Sed hoc quoad primam lotionem; quoad vero secundam vel tertiam, etsi decentius fiant a ss. ministris, nullum tamen est peccatum, si a laicis fiant.

b) Lotionis aqua in sacrarium seu piscinam est mittenda. (*Craisson*, Man. II. 3645 squ.)

44. *Pag. 73. lineae 6—7 sic corrigantur:* Est tamen sententia sat probabilis, quam multi et bonae notae Theologi tuentur, sic inter recentiores *Franc. Schmid, Card. Franzelin, Stentrup* etc.,

quod *una* quoque consecratione continetur indoles et essentia Sacrificii. (Cfr. *Gottfried Noggler,* Comp. Th. dogm. p. 617.) Ratio prioris et probabilioris et verioris sententiae est, quia etc. — —

45. *Pag. 73. 3. Materia Sacrificii Missae, lin. 22. adde:* Quoad vinum, quod pro celebratione Missae adhibere licet, extat decretum S. Off. 31. Jul. 1890, quo declaratur: licere vino alioqui debili, quo melius conservetur, admiscere quantitatem spiritus vini (Alcohol) dummodo: 1) spiritus (Alcohol) extractus fuerit ex genimine vitis, et 2) admixtio fiat, quando fermentatio tumultuosa defervescere inceperit, et 3) quantitas alcoolica addita una cum ea, quam vinum, de quo agitur, naturaliter continet, non excedat proportionem 12 %. Quodsi vero naturaliter jam excedat, augeri potest ad 17—18 %, prout S. Off. 5. Aug. 1896 declaravit. — De materia Sacrificii fuse agitur in *Tract. de Sacram.* p. 134—140.

46. *Pag. 78. III. Applicatio Missae, lin. 22. notetur:* Hac agendi ratione satisfieri obligationi applicandi Missas pro stipendio, declaravit S. Poenit. 7. Dec. 1892: »dummodo Missis integre satisfiat intra tempus ab ecclesiastica praxi praefinitum, nec Missae retardentur, quae ad certum diem vel pro urgenti causa offeruntur.« *(Anal. Cap.* IX. 258.*)*

47. *Pag. 80, lin. 2. adde:* conceduntur tamen Missae *solemnes* pro Principibus regnantibus, non quidem qua personis, sed qua regnantibus et pro reipublicae prosperitate. (*Zitelli,* App. p. 327.)

Nota: Ceteroquin Theologi in explicatione decisionum et legum S. Sedis circa applicationem Missae pro *non membris Ecclesiae* in pluribus haud conveniunt v. g. quoad excommunicatos vitandos etc. Ratio dissensionis esse videtur, quia in definienda notione, quid nempe sit Missam offerre *nomine Ecclesiae* et *nomine privato,* discrepant. — Quod sacerdos, non obstante prohibitione ecclesiastica, pro omnibus *valide* quidem, quamvis illicite offerat, *S. Alph.* (VI. 303) aliique affirmant. (Cfr. *Craisson,* Man. 3474.)

48. *Pag. 81. 2. Ratione officii: lin. 14. addatur:*

Vi Const. „*In suprema rei*“ Leonis XIII. Id. Jun. 1882 datae etiam omnes Episcopi, iis exceptis, qui *Titulares* dicuntur, item et Abbates jurisdictionem quasi episcopalem in Clerum et populum cum territorio separato habentes in Dominicis etc. pro populo sibi commisso applicare tenentur. *(Buccer.* Ench. 361.*)*

49. *Pag. 84. lin. 8. addatur:* Item ne quidem licet retinere valorem cambii; dum committuntur alteri stipendia Missarum, ut S. C. C. 21. Nov. 1898 declaravit. *(Anal. Cap.* XV. 131.)

50. *Pag. 85.* — *α)* Explicationem hujatis censurae vide in *Tract. de Cens.* p. 203—205. —

51. *Ibid.*—*β*) : Decret. „*Vigilanti*“ d. 25. Maji 1893 in illos qui mercimonium Missarum agunt, sequentes poenae statutae sunt: 1. contra sacerdotes suspensio a divinis (i. e. ab exercitio ordinum majorum) latae sententiae S. Sedi reservata; 2. contra reliquos Clericos inferiores par suspensio ab ordinibus susceptis et inhabilitas ad superiores ordines suscipiendos; 3. contra Laicos excommunicatio latae sententiae Eppis reservata. Explicationem vide in *Tract. de Cens.* pag. 222 et 259.

52. *Ibid.* — *γ) lin. 9.:* verbum „*studiosa*“ — utpote non authentice sed aliena manu additum — delendum est, ita ut dici debeat: »exclusa quacumque collectione Missarum.“ *(Lehmk.* App. p. 23).

53. *Pag. 91. lin. 3 post verba:* Ecclesia execratur, *sic legendum est:* Quoties parietes vel totaliter vel majori ex parte simul et non successive destructi denuo construantur. Juxta novissimas S. R. C. decisiones (v. g. in Trident. 26. Jun. 1894): nihil refert, utrum crusta sive opus tectorium (Verwurf) deciderit aut totaliter aut ex majore parte annon, dummodo lapides coementati firmi stent. Item Ecclesia execrata censetur, si parietes in longitudine, latitudine vel altitudine pro majori parte amplientur. Nam post hanc constructionem antiqua cessasse et nova Ecclesia quodammodo constructa censetur. (*Santi — Leitner* III. 425.)

54. *Pag. 92. lin. 7. notetur:* S. R. C. ad dubium: utrum lux electrica adhiberi possit in ecclesiis? — 4. Junii 1895 respondit: »Ad cultum negative; ad depellendas autem tenebras ecclesiasque splendidius illuminandas, affirmative.« *(Decr. auth.* 3859.)

55. *Pag. 94. β. et γ. sic reformetur:* Missa in aliena Ecclesia aut oratorio publico semper debet convenire in omnibus cum officio, resp. Missis quum Beatorum tum Sanctorum, etsi Regularium propriis, eiusdem Ecclesiae vel oratorii publici, *nisi de semiduplici aut simplici in iis fiat:* quo in casu sacerdos celebrare potest juxta officium *vel* ecclesiae *vel* proprium (S. R. C. 14. Mart. 1896) *vel* de feria *vel* de Requie, prouti ei libuerit. Missa autem vel ecclesiae vel proprio Officio conformis erit festiva, non votiva. — In *privatis* vero oratoriis Missa *semper* conveniat cum officio Celebrantis. Decr. S. R. C. d. 9. Jul. 1895. Ex dictis patet, ea, quae in Comp. pag. 95 sub. litt. c) dicta sunt, jam nullius esse valoris.

56. *Ibid.* — *δ) inserendum est: Circa Orationes et Sequentiam* in Missis pro Defunctis S. R. C. 30. Jun. 1896 declaravit: 1) Unam tantum esse dicendam orationem in Missis omnibus, quae celebrantur in Commemoratione omnium Fidelium defunctorum, die et pro die obitus seu depositionis, atque etiam in Missis cantatis vel lectis permittente ritu diebus III., VII., XXX., et die anniversaria nec non quandocunque pro defunctis Missa

solemniter celebratur, nempe sub ritu qui duplici respondeat, uti in Officio, quod recitatur post acceptum nuntium de alicuius obitu, et in anniversariis late sumptis.

2) In Missis quotidianis quibuscumque, sive lectis sive cum cantu, plures esse dicendas orationes, quarum *prima* sit pro defuncto vel defunctis certo designatis, pro quibus Sacrificium offertur, ex iis, quae inscribuntur in Missali, *secunda* ad libitum, *ultima* pro omnibus defunctis.

3) Si vero pro Defunctis in genere Missa celebretur, orationes esse dicendas, quae pro Missis quotidianis in Missali prostant; eodemque ordine, quo sunt inscriptae.

4) Quodsi in iisdem quotidianis Missis plures addere orationes Celebranti placuerit, uti Rubricae potestatem faciunt, id fieri posse tantum in Missis lectis, impari cum aliis praescriptis servato numero, et orationi pro omnibus Defunctis postremo loco assignato.

5) Quod denique ad Sequentiam attinet, semper illam esse dicendam in quibusvis cantatis Missis, uti etiam in lectis, quae diebus ut supra privilegiatis fiunt: in reliquis vel recitari posse vel omitti ad libitum Celebrantis iuxta Rubricas. (*Decr. auth.* n. 3920.)

57. *Pag. 99. a) jejunium naturale, lin. 20. addatur:* Prout S. O. 9. Aug. 1899 iterum declaravit: Attendi potest pro jejunio naturali aliisque obligationibus ecclesiasticis ad tempus medium zonarium, indicatum ab horologiis officiorum pro expediendis litteris, pro via ferrea etc. quamvis ab aliis horologiis publicis non adhibeatur. (*Anal. Cap.* XV. 359.)

58. *Pag. 104. β*: Quoad casus papales standum est in praesenti decretis S. O. 23. Jan. 1886 etc., ut supra n. 34. dictum est.

59. *Pag. 109. lin. 3. quoad oratoria notetur ex Decreto S. R. C. de die 23. Jan. 1899:*

1. *Oratoria publica* ea sunt, quae auctoritate Ordinarii ad publicum Dei cultum perpetuo dedicata, benedicta vel etiam solemniter consecrata, ianuam habent in via, vel liberum a publica via Fidelibus universim pandunt ingressum.

2. *Privata* econtra stricto sensu dicuntur Oratoria, quae in privatis aedibus in commodum alicuius personae vel familiae, ex Indulto Sanctae Sedis erecta sunt. Quae medium inter haec duo locum tenent, ut nomen ipsum indicat, Oratoria semipublica sunt et vocantur. Ut autem quaelibet ambiguitas circa haec Oratoria amoveatur, Sanctissimus Dominus noster Leo Papa XIII ex Sacrorum Rituum Congregationis consulto, statuit et declaravit:

3) *Oratoria semipublica* ea esse, quae etsi in loco quodammodo privato, vel non absolute publico, auctoritate Ordinarii erecta sunt; commodo tamen non Fidelium omnium nec privatae

tantum personae aut familiae, sed alicuius communitatis vel personarum coetus inserviunt. *In his omnes, qui sacrosancto Missae Sacrificio intersunt, praecepto audiendi Sacrum satisfacere valent.* Huius generis Oratoria sunt, quae pertinent ad Seminaria et Collegia ecclesiastica; ad pia Instituta et Societates votorum simplicium, aliasque Communitates sub regula sive statutis saltem ab Ordinario approbatis; ad Domus spiritualibus exercitiis addictas; ad Convictus et Hospitia iuventuti litteris, scientiis, aut artibus instituendae destinata; ad Nosocomia, Orphanotrophia, necnon ad Arces et Carceres; atque similia Oratoria in quibus ex instituto aliquis Christi fidelium coetus convenire solet ad audiendam Missam. Quibus adiungi debent Capellae, in Coemeterio rite erectae, dummodo in Missae celebratione non iis tantum ad quos pertinent, sed aliis etiam Fidelibus aditus pateat. (*Decret. auth.* n. 4007.)

60. Ut autem constet, quinam et quando satisfaciant praecepto, audientes in oratorio *privato*, bene consideranda sunt indulta, ut in Comp. l. cit. observatur. Ordinarie eiusmodi indulta haec continent:

1. Eodem die *unica* tantum Missa celebrari potest. Excipiuntur tamen sequentia festa: Nativitas Dni, Epiphania, Triduum ultimum majoris Hebdomadae, Resurrectio et Ascensio Dni ac Pentecostes. — Annuntiatio, Assumptio et Conceptio Immac. B. V. M. — Festa S. Joseph, SS. Apost. Petri et Pauli atque OO. Sanctorum. — Festum Patroni loci praecipui, si tamen de praecepto servatur. — Quando vero Indultum oratorii *ob infirmitatem* conceditur, nulla dies excipitur; die auten Nativitatis una tantum Missa celebrari potest.

2. Prout in Comp. p. 89 a. dicitur, necesse est, ut liceat in oratorio privato celebrare, ut aliquis ex iis, quibus principaliter indultum concessum est, intersit. Indultum vero principaliter concessum intelligitur iis tantum, quibus Breve dirigitur, nempe illis personis, quae a tergo eiusdem Brevis, proprio nomine nuncupantur.

3. Praecepto satisfaciunt: illi quibus Indultum principaliter concessum est; eorum consanguinei usque ad 4. gradum in eadem domo habitantes; eorum hospites; eorum familiares seu famuli, quorum servitium tempore Missae actu est necessarium, sive Missae ipsi inserviant, sive dominos comitari debeant. (Cfr. *Craisson* n. 3571.)

61. *Ibid. amplius notetur:*

Die 8. Junii 1896 Leo XIII. concessit, ut deinceps Episcopi omnes, sive dioecesani sive titulares, eodem privilegio condecorentur, quo fruuntur Cardinales, scil. ut non solum ipsi in propriae habitationis Oratorio, aut super ara portatili, ubicunque degant, Missam facere aliamque in sui commodum permittere valeant; sed etiam Fideles omnes alterutram ex

eisdem Missis audientes, quoties opus fuerit, praeceptum Ecclesiae adimpleant. (*Archiv für Kirchenr.* LXXVI. 299.)

62. *Pag. 114. — § 13. Usus sacramentorum. Praenotandum est:* quod, quum Auctor de Sacramentis in suo „*Tractatu past. de Sacram.*“ ex professo agat, heic de hac re una alterave tantum S. Sedis decisio, inde ab anno 1896 emanata, superaddatur. Et quidem:

63. *Pag. 120. quoad validam susceptionem Baptismi ex parte adultorum:* S. O. 30. Martii 1898 ad dub. III. circa baptismum *adultis* conferendum *in articulo mortis,* qui jam advertentiam amiserunt, ita decrevit: »De mahumedanis moribundis et sensibus jam destitutis respondendum ut in decret. S. Off. 18. Sept. 1850 ad. Ep. Parthensem: i. e. »Si antea dederint signa velle baptizari vel in praesenti statu aut nutu aut alio modo eamdem dispositionem ostenderint, baptizari posse *sub conditione,* quatenus tamen missionarius, cunctis rerum adjunctis inspectis, ita prudenter judicavit.« Ratio patet; nam *intentio* ita necessaria est ad baptismum *valide* consequendum, ut qui baptizatur adultus, absque voluntate sacramentum suscipiendi, nec licite nec valide baptizatur. Ita S. Offic. in Instr. 6. Jun. 1860. — Et quamdiu de hac intentione seu voluntate *non certo* constat, sed solummodo plus minusque dubium seu probabilitas adest, tantum *sub conditione* si capax es, baptismus conferri potest, uti ex relata decisione et alibi dictis merito eruitur.

63. *Pag. 121. β) Quoad confirmationem:* Leo XIII. in Epistola ad Episcopum Massiliens. 22. Jun. 1897 edixit: minime convenire, pueris sacramentum confirmationis differre usque ad primam eorum Communionem. (*Nunt. Rom.* XVI. 273.)

64. *Ibid. γ) Quoad Eucharistiam adde:* Nostro tempore chronice infirmi a S. Sede haud difficulter dispensantur a praecepto jejunii naturalis, ita ut semel in mense aut saepius ante s. Communionem aliquid *per modum potus* sumere possint. Die 7. Sept. 1897 S. O. declaravit: »Quum dicitur *per modum potus,* significari etiam, quod permittitur usus jusculi, caffei, aliorumque ciborum liquidorum, cum quibus misceri potest aliqua substantia v. g. condita farina, fricatus panis, dummodo dicta mixtio non amittat naturam cibi liquidi.« (*Anal. Cap.* XIV. 132.)

65. *Pag. 155. α) Idololatria, lin. 4. Distinguitur:* a) *Materialis,* quae inculpabilis est et locum habet, cum ex omnimoda ignorantia redditur alicui creaturae honor divinus v. g. si sacerdos ex errore invincibili exhiberet adorandam hostiam non consecratam.

b) *Formalis* et haec triplex est: 1. *perfecta,* cum quis reputans animo idolum esse verum Deum illudque adorat; 2. *imperfecta,* cum quis cognoscens certo idolum non mereri cultum, hunc tamen ei reddit ex odio erga Deum aut ex alio

aliquo pravo fine. 3. *Simulata,* cum ex metu alicuius damni externum tantum quis exhibet cultum.

Quamvis unaquaeque ex his tribus sit gravissimum peccatum, omnium tamen pessima est idololatria *imperfecta,* quae ita vocatur non ratione malitiae, quae sane maxima est, ita ut ab aliquibus vocetur simpliciter *malitiosa,* sed quia solum voluntate, non autem intellectu idolum colit. (*Sabetti n.* 204.)

66. *Pag. 157. lin. 9. Nota: post ultima verba:* virgae divinatoriae, *addendum est:* sequentia a D.D. traduntur principia.

a) *Quoad somnia:* haec ex,causis tum *naturalibus* tum *spiritualibus* excitantur. 1) *Naturalis* causa est affectio corporis vel animi. Ex his licitum est conjectare quae ad eorum causas pertinent i. e. indolem, valetudinem, studia et cetera huiusmodi. Esset tamen *superstitiosum* inde conjicere futura libere contingentia, cum haec nonnisi a libera ac volubili hominis voluntate proficiscantur. 2) *Spiritualis* causa est: vel Deus vel daemon; utra tibi in re praesenti, hoc aestimare difficile est et periculosum. Et in primis, putandum non est, somnium fuisse a Deo, *ex specie* tibi visa, utputa si angelus tibi apparuerit; vel *ex re,* quam tibi suasit, velut aliquid restituere, Missas celebrare etc.; vel demum *ex eventu,* puta si quid praedixerit et ita evenerit.

Contra, *certissime* tenendum est, non fuisse a Deo somnium, si te ancipitem vel turbatum vel ad bonum tardiorem dimiserit.

Tantum, si quietum reliquerit et ad bonum promptiorem nec ancipitem animi, *sperari* potest, somnium fuisse a Deo. *Sperari,* inquam; nam heic quoque caute admodum procedendum est, neque confessario inconsulto: *multos enim errare fecerunt somnia;* nisi forte tibi adeo persuasissimum, somnium fuisse a Deo, ut id paululum dubitare, instar infidelitatis putes. (*D'Annib.* II. 31.)

Ergo: *ordinarie* loquendo, futura ex somniis conjicere non licet, quia somnia fere semper ex causis naturalibus proveniunt, et somnia a Deo immissa conjunguntur signis, per quae a somniis naturalibus vel a diabolicis certo secerni possint. (*Sabetti,* 208. 4°).

b) *Quoad usum sortium:* sortilegium apud rei criminalis scriptores generale nomen est et omne genus superstitionis continet; heic vero definitur: divinatio per sortes. Sunt autem sortes vel *divisoriae,* quibus quis utitur ad quaestiones dirimendas; vel *divinatoriae,* ad occultum aliquod (seu praesens seu praeteritum seu futurum) detegendum; vel *consultoriae,* quasi ad Deum consulendum, cum ignoremus, quid agere debeamus. De his ita judicandum: 1. *divisoriae:* licitae sunt; 2. *divinatoriae:* superstitiosae; ideo semper illicitae; 3. *consultoriae:* Dei tentationem continent, ideo regulariter non licent. Deus nempe consulitur

orationibus, jejuniis, eleemosynis etc. Et disserte vetantur in officiis et beneficiis ecclesiasticis conferendis. Licent tantum in rebus gravioribus, quae aliter expediri nequeunt, et precibus antea ad Deum fusis. (*D'Annib.* II. 32.)

c) *Virga divinatoria:* cuius usus utrum licitus sit an illicitus in rebus physicis (velut aquis, metallis), et sine morali cuiusquam influxu, inquirendis, adhuc sub quaestione est. Quaestio autem in eo est, num rebus huiusmodi aliqua virtus insit, qua ad se attrahere valeant lignum aliquod v. g. corylum. Quocirca omnibus exploratissimum est, *illicitum* esse huiusmodi virgam adhibere: 1. *rebus moralibus*, vel qua morales sunt v. g. inquirendis furibus etc. — 2. Cum eius motus ex circumstantia aliqua morali pendet et in primis, si virga non semper movetur, sed cum vult is, qui ea utitur; nam in moralibus naturalis attractio ne intelligi potest. (*D'Annib.* II. 30. n. 20.)

Verum non videtur damnandus usus virgae ad detegendas aquas et metalla, si virga super haec *in omni casu aeque moveatur*, sive quaerantur sive non quaerantur, modo fiat protestatio contra diabolicam operationem, quae forte adesse possit excludaturque omnis animus superstitiosus. Ita communius recentiores Th. Th. (*Sabetti* 219. 5°.)

67. *Pag. 159, post lin. 12. inseratur:*

I. *Hypnotismus* (»somnus nervosus«) quoad substantiam non est aliud quam magnetismus redivivus et praecipuos magistros ac propagatores habet medicum *Jac. Braid* (1843) anglum et expost gallicum medicum *Charcot* (1878), quippe qui fassus est se Braidi inventis parum addidisse. Hi hypnotismum utique nihil aliud esse voluerunt, quam partem *therapeutices* et quandam speciem morbi artificialis, nervos perturbantis, brevis et praetereuntis; ideo hypnotismus ab ipsis est definitus: Magna neurosis, arte excitata (apud *D' Annib.* II. 39). *Braid* et ex eo *Charcot* hypnotismum susceperunt iis omnibus expurgatum, quae visibilis naturae vires excedere videbantur. Sed nihilominus hypnotismi phaenomena nostro tempore de facto sunt eadem prorsus quae magnetismi iisdemque plane modis excitata.

II. Si hypnotismus *active* sumitur, est ars producendi in alio somnum artificialem et peculiares quosdam effectus; si autem *passive*, significat ipsum somnum artificialem et peculiaria illa phaenomena, quae durante somno producuntur. Communiter tres gradus seu tria phaenomena distinguuntur, nempe a) *Lethargia* seu status somni profundi, a quo totus complexus phaenomenorum hypnotismi nomen accepit. Media huiusmodi somnum provocandi sunt plurima v. g. persona hypnotizanda tempore notabili objectum lucidum ab hypnotizatore praesentatum, aut eius oculos fixe inspicit etc. Ex quo somno hypnotizatus a nulla alia vi naturali nisi a solo hypnotizatore revocatur etc. — b) *Suggestio*, vi cuius hypnotizatus, insensibilis ad omnia alia, subjacet tantummodo influxui (seu ut ajunt *suggestionibus)* sui

hypnotizantis, et libero arbitrio destitutus remanet totaliter (quasi machina) in eiusdem potestate; unde quidquid ille vult, facere, imaginari et dicere cogatur, eius nutui in omnibus caece obtemperat etc. c) *Luciditas seu clara intuitio* dicitur ille status, in quo v. g. hypnotizatus libros legit ignotae linguae, etsi numquam litteras didicerit aut de rebus loquitur, quae alias penitus ignorat etc. Huc pertinet etiam visio seu cognitio rerum, quae vel intus post corpora opaca vel in locis longinquis peraguntur; item et transpositio sensuum, ita ut hypnotizatus v. g. videat occipite, audiat genibus, olfaciat naribus, gustet cubitu etc.

Nota: 1. Non omnes hypnotizari possunt: 2. quidquid minimum sufficit ad hypnotizandos eos, qui paulo antea hypnotizati fuerunt; 3. hypnotizans durante somno jubere potest efficaciter, ut eo cessato hypnotizatus necessario procedat ad actus post tractum temporis exequendos etc. (*Berardi*, Exam. 2649.)

III. Hypnotismi usus sequelas sat tristes in comitatu habet; nam quae eo imminent sive singulis, sive familiis sive rei publicae pericula, sunt gravissima et pene infinita, ait *D'Annib.* (II. 51.) Et quidem a) *nocet sanitati* ex testimonio medicorum, tum mentis tum corporis, quum totum systema nervorum vehementer afficiatur. Hysterismum quam maxime auget, convulsionum quoque, amissionis memoriae, epilepsiae, catalexis, paralisis, apoplexiae, dementiae etc. periculum quam saepe inducit. — b) *Affert pericula pro rebus temporalibus*: contingere potest, ut hypnotizatus sua aut suae familiae secreta momentosa pandat vel in favorem talis vel talis personae testamentum condere vel quamlibet aliam obligationem contrahere inducatur. — c) *Affert pericula pro moribus et pro honestate;* quum enim hypnotizati in potestate hypnotizantis remaneant et quidquid exigit, facere cogantur, jam exinde turpitudinibus janua latissima aperitur, uti per se patet. — d) *Affert pericula pro Religione;* nam hypnotismi portenta mirabilissima veris nostrae Religionis miraculis et prophetiis quam facile fidem adimere possunt; qui enim, ait *D'Annib.* (II. 52.) semel viderint magnetismi portenta, praesertim rudes, adolescentes, infirmi in fide, facile despicient prophetias et miracula, quibus Religio nostra velut superstructa est. — e) *Conjungitur cum periculo superstitionis;* nam ab his phaenomenis pronus est transitus ad alia, quae certo sunt superstitiosa et diabolica, maxime quia daemon istiusmodi rebus facile se immisceat et homines ad superstitiones propellat.

IV. Si jam quaeritur, num hypnotismi phaenomena esse possent naturalia, an vero potius sint superstitiosa, quae omnia diabolico interventui attribui debeant: varii varie respondent; sunt pene tot sententiae, notat *D'Annib.* (II. 44.), quot capita. Etiam in hac re praeprimis ab extremis cavendum est.

a) Quod attinet *lethargiam* seu statum somni magnetici sat multi et graves D. D. opinantur, quod iste somnus censendus sit naturalis, quia media, quibus ordinarie inducitur et solvitur, sunt indiffe-

rentia et ad effectum procurandum, ut videtur, proportionata. Quodsi somnus aliquando mediis improportionatis procuretur, tunc de interventu diabolico dubitari nequibit.

b) Quoad *suggestionem* et phaenomena cum hac conjuncta aliqui asserunt, nonnulla saltem eorum naturaliter explicari posse; alii vero absolute negant, provocantes ad improportionem effectus cum sua causa.

c) Quoad phaenomena *luciditatis* omnes concedunt, quod sint, supposita semper eorum realitate, praeternaturalia, quae naturae viribus produci haud possunt, ergo diaboli interventui adscribenda.

Decisiones S. Sedis suo tempore circa magnetismum emanatae, scil. responsa S. Poenit. 1. Jul. 1841 et S. Off. 23. Jan. 1840, 21. April. 1841, 28. Jul. 1847 et 4. Aug. 1856 etiam de hypnotismo omnino valent. Istae decisiones respiciunt: partim usum magnetismi mere physicum seu qua talem, partim effectus seu phaenomena praeternaturalia cum dicto usu conjunctos, partim denique alia adjuncta periculosa, quae usum magnetismi comitantur.

V. Quibus praemissis quoad hypnotismi liceitatem pro praxi haec dicenda esse videntur: Usus hypnotismi mere *physicus* seu *therapeuticus* i. e. saltem productio somni magnetici ad hunc finem non est moraliter vetitus, dummodo serventur sequentes cautelae:

1) Excludi debet omnis superstitio, adeo ut productio status illius neque exspectetur a vi sive magica hypnotizantis sive spiritus alterius cooperantis; neque intendatur tanquam medium sive vires magicas animae in actum suum reducendi, sive commercium cum spiritibus obtinendi, neque tandem productio status illius phaenomenorumque in illo prodeuntium attribuatur viribus magicis.

2) Praesto esse debet cautio quam plenior, ne persona hypnotizata, dum usu voluntatis libero plane destituatur, ab hypnotizante inducatur ad crimina, sive ea sub statu hypnotico cum illa perpetranda, sive illi suggerendo vel persuasionem firmam de crimine aliquo commisso aut de debito aliquo contracto, vel propositum pariter firmum, crimen aliquod de futuro perpetrandi.

3) Ut detrimentum sanitatis, quantum fieri potest, praecaveatur, ideo solum a medico in hac arte perito exerceri debet; et insuper spes fundata affulgere debet de sanitate tali modo restituenda. Imo juxta alios tunc solum ad hoc remedium recurrere licet, si aliud medium aptius recuperandae sanitatis non supersit.

4) Tandem hypnosis nunquam est efficienda contra hypnotizandi voluntatem.

VI. Quum dumtaxat finis sanandi morbos contineat causam sufficientem, propter quam periculum damni spiritualis vel corporalis licite induci possit, hinc patet, quod nec *artificibus* ad comparandum sibi exemplar (Modell) nec *judicibus* in causis criminalibus ad expiscandas confessiones nec *parentibus* vel *magistris* ad juvandam aeducationem usus hypnotismi licitus sit; imo quod eo magis hypnotismus *publicus* sit prorsus illicitus; nam sine causa non licet nec se nec alios periculo damni sive corporis sive animae exponere; publicum autem spectaculum non est ad id causa sufficiens.

Nec hi innoxii sunt, qui experimentis hypnoticis, saltum secundi et tertii gradus, intersunt (nisi forsan intersint ex gravissima ac justissima causa v. g. jussu Antistitum Ecclesiae rei explorandae causa); tametsi nihil faciant, nihil interrogent, sed solum spectent. Ratio est, quia jam sola sua praesentia hisce impiis negotiis cooperantur, variis periculis sese exponunt, et aliis quam facile scandalum dant. (Cfr. *D'Annibale* II. 52; *Berardi*, Exam. 2668 squ.)

Si ergo confessarius interrogatur a poenitente, num sibi liceat hypnotico experimento sese sanitatis causa subjicere, quantum potest *dissuadeat*. Quod si id non valeat, illud *tolerare* potest, si poenitens sit in bona fide, si omne absit tum periculum pro honestate tum scandalum, et si cuilibet daemonis interventioni ex animo renuntiet (Cfr. *Ninzatti* I. 259).

Ultimo notetur novissima S. Sedis decisio:

S. O. nempe 26. Julii 1899 ad dubium: *an liceat adesse disputationibus medicorum et experimentis quoad disputationes hypnoticas*, respondit: »Quoad experimenta jam facta permitti posse, modo absit periculum superstitionis et scandali; et insuper orator paratus sit stare mandatis S. Sedis, et partes Theologi non agat. Quoad nova experimenta si agatur de factis, quae certo naturae vires praetergrediantur, non licere; sin vero de hoc dubitatur, praemissa protestatione, nullam partem haberi velle in factis praeternaturalibus, tolerandum, modo absit periculum scandali.« (*Acta S. S.* XXXII. 320.)

68. *Pag. 159. g) Spiritismus, notetur:*

Utrum simplex motus tabulae seu mensae rotantis sit illicitus, controvertitur; sed certo permittendus non est ratione scandali, periculi etc., quae adesse facile possunt. (*Sabetti* 209. 6⁰.) At eos *lethali* vacare dixerim, ait *D'Annib.* (II. pag. 41. Nota), qui quadam animi levitate aut curiositate jocandique causa mensis manus apponunt, ut in gyrum moveant aut eiusmodi experimentis assistunt. — Quod cetera phaenomena spiritistica graviter sint peccaminosa, extra controversiam est.

Circa usum Spiritismi S. Officio sequens casus pro decisione propositus est: »Titius, omni cum maligno spiritu exclusa conventione animas defunctorum evocare solet. Sic porro agit: Solus, quin aliud quidpiam praemittat, precem dirigit ad Ducem

militiae coelestis, ut ipsi concedat facultatem loquendi cum spiritu determinatae alicuius personae. Post pauca momenta ipse manum paratam ad scribendum moveri persentit, quo certior fit de spiritus praesentia. Exponit tunc, quae scire desiderat manusque eius responsum ad interrogationes scribit. Responsa omnia conformia sunt cum fide et doctrina Ecclesiae quoad vitam futuram. Ad plurimum statum respiciunt, quo invenitur anima alicuius defuncti, necessitatem recipiendi suffragia, querimonias eiusdem de ingratitudine propinquorum etc. His positis: Estne licita operandi ratio Titii?

S. Congr. die 30. Martii 1898 respondit:

Ut exponitur, non licere. (*Nunt. Rom.* XVII. 127.)

69. *Pag. 163. a) Sacrilegium personale, addatur:*

Sacrilegii proprie dicti reatus incurritur etiam ab iis, qui vere Religiosi sunt, sed votis tantum *simplicibus* adstricti. (*Bucceroni* I. 500.) — Quoad violationem personae voto simplici castitatis ligatae extra Religionem omnes tenent, violationem istius voti continere *duplicem* malitiam, unam contra castitatem et aliam contra Religionem. Sed controversia est, utrum peccatum vocandum sit verum et stricte dictum sacrilegium, an potius peccatum irreligiositatis aut perfidiae in Deum aut etiam sacrilegium in sensu lato. (*Sabetti* 215. 2⁰.)

70. *Pag. 165. c) Sacrilegium reale, notetur:* Sacrilegium reale tribus modis, generaliter loquendo, potest committi: 1. res sacras indigne tractando; 2. eas injuste usurpando; 3. res sacras profane vendendo et emendo. — Tenenda est communis contra paucos doctrina, *simoniam* (vide Comp. pag. 166) *esse speciem sacrilegii realis,* quo irreverenter res sacra pertractatur. — — Seorsim vero de simonia agitur, ait *Suarez* (De Sacril. tr. 3. l. 3. c. 1. n. 4.), propter specialem rationem simoniae et amplissimam eius materiam. (*Ball.-Palm.* II. tr. VI. 219.) —

71. *Pag. 168. post lin. 14. notentur aliqua responsa S. C. Indulg. circa res devotas indulgentiis ditatas:*

»An 1⁰. qui emit cruces, numismata etc. ut ea distribuat, postquam benedicta fuerint cum applicatione indulgentiarum, possit horum petere pretium ab accipientibus sine culpa vel sine periculo indulgentias amittendi? An 2⁰. amittantur tantum quando quis sibi eas res proprias fecerit et iis usus fuerit cum intentione lucrandi indulgentias? — R. Negative ad primam partem; ad secundam non indigere responsione.« S. C. Ind. 12. Jul. 1847. 2. Oct. 1840. 15. Mai. 1886.

»An 1⁰. res indulgentiis ditatae, tradi debeant fidelibus omnino gratis; ita ut 2⁰. si aliquid quocumque titulo sive pretii, sive permutationis, sive muneris, sive eleemosynae requiratur, vel accipiatur indulgentiae ex hoc amittantur? — Affirmative ad utramque partem.« S. Indulg. C. 16. Jul. 1887. (*Bucceroni,* Enchir. p. 34.)

Attamen coronae, cruces etc. indulgentias non amittunt, si earum emptor ipsi venditori benedictionem nomine suo curandam committit, etsi pretium et expensas transmissionis demum solvat, quando res jam benedictae sibi traduntur. S. C. Indulg. 10 Jul. 1896.

72. *Pag. 187. a) lin. 18.– 25. sic corrigatur:*

Malitia ebrietatis perfectae juxta *S. Thomam* (1. 2. qu. 88. a. 5. ad 1.) in eo consistit, ut quis *absque necessitate, ex sola voluptate*, sciens et volens, privet se usu rationis et quidem violenter et modo innaturali, ita ut imaginem Dei in se deturpet, seque ad conditionem brutorum dejiciat. Haec ebrietas a. D. D. dicitur *formalis;* dum illa, quae *cum justa causa* seu ex necessitate, *materialis* audit. Fuerunt Theologi quam plures, qui asserebant, etiam ebrietatem *materialem* ita esse malam, ut illicitum sit, se inebriare ex consilio medici ad morbum expellendum v. g. choleram etc. Licet *S. Alph.* (V. 76.) huic sententiae contrarius sit, affirmat tamen, quod numquam licitum sit, se inebriare ad sensus sopiendos, ne cruciatus vel dolores sentiantur. — Attamen plures veteres et recentiores Th. Th., inter quos *Baller., Lehmk., Buccer. etc.*, affirmant, etiam ad leniendos graves dolores licitum esse, sese inebriare, quia excessivae potationis immediatus effectus est relaxatio nervorum et sopor sensuum, ex quibus turbatio rationis consequitur; jam si potatio immoderata admittitur absque causa ob solam voluptatem, mala est, quia turbat rationem; si ex justa causa et sat gravi admittatur, non est mala, etsi indirecte sequatur turbatio rationis. In casu vero gravis causa adest, ergo. — Eadem ratio valet circa liceitatem *opii, aetheris, chloroformae* etc.; eorum scilicet effectus immediatus est sopor sensuum, ex quo privatio usus rationis sequitur. Sed de hac re in mox sequenti nota. (Cfr. *Olfers* pag. 100—102.)

73. *Ibid. lin. 45. notetur:*

Ex alio vero titulo inebriationes aegrotantium etc. minus laudandae esse videntur, quia haud raro valde timendum est, ne sic in infirmos prava consuetudo inducatur, si convalescant. Ex hac pariter ratione damnandae prorsus sunt matres vel nutrices illae, quae v. g. ad lacrymas puerorum compescendas alcoolicis potionibus utuntur, atque ita a prima aetate consuetudinem pravam in illos inducunt. (*Sabetti* 149. 4^{0}.)

74. *Ibidem fiat haec duplex Nota:*

1. *Privatio usus rationis sumptione opii, aspiratione aetheris aut chloroformae* ad paecludendum sensum doloris sub operatione chirurgica licet, *si abest periculum proximum mortis;* quia, ut docet *S. Thomas*, defectus rationis secundum se non est peccatum; sed secundum actum, quo quis in hunc defectum incidit; qui actus, si sit inordinata concupiscentia et usus vini, erit peccatum intemperantiae ad gulam pertinens; si vero sit in se licitus, et ex justa causa positus, defectus rationis ad modicum tempus non erit peccatum. Idcirco nullus umquam improbavit usum

opii ad somnum concitandum in infirmo insomnia laborante. Requiritur tamen *gravis causa*; quia periculo omni non caret. (*Aertnys* I. 254.)

2. Usus *morphii* per haustum ad leniendos dolores in parva quantitate, nempe 0,12 gram. pro die ad breve tempus innoxius erit atque adeo licitus. Usus vero immodicus, sive in quantitate sive in tempore valde noxius est et ideo illicitus, vel graviter vel leviter pro gradu damni. — Idem valet quoad *injectiones morphii*. Quod si istae in majori quantitate per notabile tempus iterantur, sanitati graviter nocent, vitam notabiliter abbreviant et insuper vehementer quandam morphii cupidinem provocant, quae difficilius quam ipsa ebriositas superari potest. (Cfr. *Olfers* p. 103; *Capellmann* p. 41.)

75. *Pag. 189. 1. Essentia abstinentiae, post lin. 25. addatur:* a) S. O. die 6. Sept. 1899 ad dubium: »An liceat uti »margarina« per modum cibi aut condimenti illis diebus, quibus usus carnium aut adipis ex carne illicitus est, licito manente usu butyri? respondit: affirmative, facto verbo cum SSmo.« — b) S. Poenit. 17. Nov. 1897 ad dub. (I.): An in diebus, in quibus permittitur condimentum ex adipe et larido, ille qui adhibet laridum pro condimento offae, pulmenti ex farina sesami etc. potest licite edere illa fragmenta, quae supersunt ex larido, postquam fricta fuerint ad extrahendum adipem? — respondit: *affirmative*, dummodo pergant esse pars condimenti.

76. *Ibid. lin. 45. notetur circa aves,* quarum esus testante S. Alphonso sit illicitus, quod inde a tempore, quo S. Doctor haec scripsit, legitima consuetudo desuper jam multum immutavit, sic e. g. multis in locis, *fulicae, gallinulae aquaticae* etc. absque formidine peccandi eduntur. (*Craisson*, n. 4996.)

77. *Pag. 190. lin. 13. notetur,* quod memorata *Salmanticensium* etc. sententia, quam S. Alph. approbare videtur, enuntiata sit de diebus, in quibus praeterea *jejunium* servandum est. Recentiores sunt Theologi, qui ajunt, materiam gravem in carnibus, ovis et lacticiniis esse tantum duas uncias. (*Buccer.* I. 1575.)

Nota: Libra Romana, quam Theologi sequi solent, habet 12 uncias; libra Romana aequivalet $3^1/_4$ unciis seu hectogrammis hodierni ponderis denarii (Kilogrammae). Unde $^1/_8$ unciae aequvalet 3 grammis. (*Aertnys* IV. 7. Nota.)

78. *Pag. 190. α) Dispensatio legitima: β) Episcopus* ex concessione Leonis XIII. die 5. Dec. 1895 omnibus Ordinariis *in perpetuum* facta, habet facultatem *anticipandi* die sibi benevisa et ob causas valde graves etiam *dispensandi* super lege jejunii et abstinentiae, quando festum sub utroque praecepto servandum Patroni Princip. vel Titularis vel solemne aliquod festum item magno populorum concursu celebrandum, inciderit in ferias sextas aut sabbata per annum — excepta *quadragesima, diebus quatuor temporum et vigiliis,* etiamsi hae quoad jejunium in

ferias VI. vel sabbata (aut ferias quartas) *Adventus* transferuntur (S. O. 15. Decemb. 1897); — item potestatem habet, anticipandi et ex gravissimis causis etiam dispensandi pro diebus, quibus *nundinae* extraordinariae, *magno* item *propulorum concursu* habeantur.

Die 18. Martii 1897 ad dubia super hoc decretum proposita S. O. declaravit, quod occurrere debet dies jejunii et abstinentiae, scil. fer. VI. vel sabbatum, cum die festo *duplicis praecepti*: his diebus accensendi sunt etiam *dies solemnizati* per *accidens* v. g. ob centenarium, peregrinationem etc. — Item, quod ratio *concursus populi* verificari possit in concursu populi etiam *eiusdem* civitatis et loci, et quod pro *causa gravissima* ad dispensandum habendum sit periculum grave et quidem *generale*, ne abstinentia non servetur. (Cfr. *Santi-Leitn.* III. 453.)

79. *Pag. 191. Nota de lege abstinentiae pro militibus Austriae, utpote jam dudum immutata, deleatur.*

80. *Pag. 192. a) Abstinentia diebus jejunii, post lin. 25. adjungatur:* 1. Ex decr. S. O. 13. Maji 1896 patet, quod diebus jejunii, in quibus Apostolica veniâ usus condimentorum ex adipe indulgetur, butyrum quoque per modum condimenti adhiberi potest. 2. S. Poenit. 17. Nov. 1897 edixit, quod diebus *strictioris* abstinentiae condimentum ex ovis, quando haec prohibentur, non liceat; et quod fideles, qui hisce diebus oleo utuntur, in quo caro perfricta fuit, non sint inquietandi. (*Anal. Cap.* XIV. 105.)

81. *Pag. 193. lin. 14. addatur:* Et eadem S. Congreg. 14. Jun. 1880 declaravit, quod liceat edere carnes cum condimento (vulgo »sauce«) piscium. (Cfr. *Linzer Quartalschrift*, 1895, pag. 250.)

82. *Pag. 193. post lin. 18. addatur:* S. Poenit. 9. Jan. 1899 confirmavit sententiam illorum Theologorum, qui affirmabant: aegrotos, qui carnes edunt non *vi Indulti* seu dispensationis, sed ob morbum, licite edere posse in diebus jejunii carnes simul et pisces. (*Anal. Cap.* XVI. 2.)

83. *Pag. 205. II. Peccata opposita, a lin. 16. — 23. sic reformetur:* Differt delectatio venerea a delectatione *sensibili* seu *organica*, quae duplex esse potest. Alia nempe est *pure talis*, alia est *sensibilis-venerea*. Delectatio *pure talis* ea est, quae oritur ex objecto, quod de se praecise non est aptum movere ad delectationem veneream, ut v. g. delectatio, quae oritur ex tactu holoserici, odoratu floris etc. — Delectatio *sensibilis-venerea* ea est, quae exoritur ex objecto, quod de se aliquo modo aptum est movere ad delectationem veneream v. g. delectatio, quae exoritur ex tactu, osculo feminae etc.

Delectatio *sensibilis pure talis* ad luxuriam proprie non pertinet, sed ad *sensualitatem* eaque *de se* mala non est, sed indifferens. Delectatio antem *sensibilis-venerea* aut ex natura sua *proxime* disponit ad delectationem veneream, aut tantum *remote*. Si *proxime* peccatum grave per se est propter proximum

periculum delectationis venereae; si *remota*, peccatum veniale per se non excedit, si directe intendatur, propter inordinationem, quae in ea directe intenta est, neque tamen gravem, cum absit proximum periculum delectionis venereae. (*Buccer.* I. 769.)

84. *Pag. 307. II. Simulatio, ita legatur:* generatim est fictio, qua quis per exteriora signa factorum vel rerum significat contrarium eius, quod in ipso est. Simulatio esse potest vel *formalis* vel *materialis.* 1. *Formalis* ea dicitur, qua quis aut rem malam v. g. falsam Religionem, aut rem de se indifferentem sed *ex pravo et illicito fine* fingat v. g. si quis ut laborem necessarium declinet ex pigritia, somnum vel infirmitatem fingat, vel si quis, ut eleemosynam extorqueat, paupertatem simulet. — 2. *Materialis* ea est, qua quis per rem non malam alterius deceptionem non quidem intendit, sed ex motivo honesto et licito permittit, uti v. g. si quis, ne pravis colloquiis participare cogatur, somnum fingat, vel ne a latronibus expiletur, more pauperum misero vestitu utatur. —

85. *Pag. 331. lin. 30. post verbum:* craniotomiam, *addatur:* quam decisionem idem S. O. 19. Aug. 1889 non tantum confirmavit, sed ad „quamcumque chirurgicam operationem directe occisivam foetus vel matris gestantis" ampliavit. Ita quidem, ut nec illae operationes chirurgicae licitae sint, quae per se atque immediate non ad id tendunt, ut in materno sinu foetum occiderent, sed solummodo ut vivus, si fieri posset, ad lucem ederetur; quamvis proxime moriturus, utpote qui immaturus adhuc esset. Constat ex declar. S. Off. 24. Julii 1895, per quam ergo definitive rejecta est sententia de liceitate abortus *medicinalis.* (*Acta S. Sedis,* XXVIII. p. 383.)

Sed quid practice respondendum illis, qui hac de re confessarios interrogant? Veritas tota forti animo manifestanda est, si interrogatio *bona fide* fiat et persona, quae interrogat, praevideatur acquiescere velle, secus praestat tacere et malum materiale tantum permittere. (*Sabetti* 273.) —

86. *Pag. 332. lin. 15. adde:* Pro praxi notetur decisio S. Off. d. 13. Dec. 1899, qua ad dubium: an sacerdos, qui, deficiente medico, operationem caesaream ab alia persona capaci fieri curat, recte agat, et an ad id teneatur etiam tum, quum in poenam talis agendi modi a gubernio annuo stipendio privaretur? — respondit: *detur decr. S. O. 13. Dec. 1780 ad Vic. ap. Sutchuen.,* in quo haec dicuntur: „Foetus extractio de praegnantis defunctaeque alvo matris, quamvis patefacienda ac persuadenda sit, expresse tamen cavet prohibetque Sanctitas Sua, ne missionarii in casibus particularibus se ingerant in demandanda sectione, multoque minus in ea peragenda. Sat eis fuerit, illius notitiam edidisse curasseque, ut eius perficiendae rationem perdiscant, qui chirurgicis intendunt laici homines, tum

vero, cum casus tulerit, eiusdem praxim ipsorum oneri ac muneri reliquisse.“ (*Acta S. S. XXXII.* 502.)

87. *Pag. 332. post lin. 22. addatur:* Quoad enuntiatam doctrinam S. Off. iterum varia dubia pro solutione oblata sunt, et quidem

I. Eritne licita partus acceleratio, quoties ex mulieris arctitudine impossibilis evaderet foetus egressio suo naturali tempore?

II. Et si mulieris arctitudo talis sit, ut neque partus praematurus possibilis censeatur, licebitne abortum provocare aut caesaream suo tempore perficere operationem?

III. Est ne licita laparotomia, quando agitur de praegnatione extrauterina seu de ectopicis conceptibus?

Die 4. Maji 1898 responsum est:

ad I. »Partus accelerationem per se illicitam non esse, dummodo perficiatur justis de causis et eo tempore ac modis, quibus ex ordinariis contingentibus matris et foetus vitae consulatur;

ad II. Quoad primam partem *negative*, juxta decr. 24. Jul. 1895 de abortus illiceitate. — Ad secundam vero quod spectat: nihil obstare, quominus mulier, de qua agitur, caesareae operationi suo tempore subjiciatur;

ad III. Necessitate cogente, licitam esse laparotomiam ad extrahendos e sinu matris ectopicos conceptus, dummodo et foetus et matris vitae, quantum fieri potest, serio et opportune provideatur.« (*Nunt. Rom.* XVII. 185.) —

Explicationem excommunic. in procurantes abortum latae vide in *Tract. de Censur.* p 217—221. —

88. *Pag. 335. Nota, prope finem:* Quaestio, an *mensurae academicae* ut vera duella habendae sint, inde ab anno 1890, quo S. C. C. die 9. Aug. ad dubium propositum: »An, a quibus et ex quonam titulo irregularitas contrahatur, quando duellum ea ratione committitur, qua his temporibus inter Germaniae Universitatis alumnos fieri solet in casu,« respondit: „*Affirmative, a duellantibus eorumque patrinis, ex infamia juris,*“ — ut soluta habenda est; posito semper, quod eiusmodi mensurae ad instar veri duelli cum proximo seu morali periculo mortis, vel mutilationis seu gravis vulnerationis instituantur. Si quando autem omne morale periculum gravis laesionis certo abesset; etsi peccatum, non tamen grave, nec duellum (resp. mensura) excommunicationi obnoxium habetur. (Cfr. *Tract. de Cens.* p. 163—170.)

89. *Pag. 354. 2. Calumnia, lin. 5. addatur post verbum:* distincta, scil. ratione mendacii in sensu supra pag. 347. relato.

90. *Pag. 362. b) De dominio uxorum, γ) lin. 7. addatur:* *δ)* A bonis communibus, quae *pacto* inducuntur, distinguenda

sunt *bona familiae* seu viri, interdum etiam communia, sed in sensu lato, dicta. Sub his intelligenda sunt ea, quae ex communi utriusque conjugis labore acquiruntur. Jus exclusivum ad ea competit viro. — Verum uxori, licet paraphernalia habeat, *jus strictum* competit ad decentem sustentationem juxta mariti conditionem ex ipsius mariti bonis; ipsa vero vicissim in curanda augendaque re domestica pro viribus adesse debet et quatenus rectus familiae ordo id exigit, dispositiones ab eo datas vel ipsa exequi, vel ut ab aliis adimpleantur, curare tenetur. (*Delama*, Tract. de Just. n. 38 squ.)

91. *Pag. 366. b) Bona vacantia:* »Satis probabile est, quod participans de bonis vacantibus, aut eorum possessor non tenentur *ante* sententiam judicis eadem bona fisco tradere. — Hoc ego a fortiori probabile judico, si quis tali defuncto diligenter inservisset, aut ita eius amicus fuisset, ut prudentem spem haereditatis aut legati habuisset, si ille testamentum condidisset.« (*Struggl* II. Tr. 8. d. 2. q. 2. a. 2.)

92. *Pag. 370. IV. Praescriptio.* post: 3. Titulus justus, *addatur:* scil. *apparenter*, non vere; seu, ut alii D. D. dicunt: requiritur titulus *coloratus* aut *existimatus*, quia nemo contra seipsum praescribit, quod tamen haberetur, si titulus esset *vere* justus.

93. *Pag. 377. lin. 18:* Nomine *causae piae* veniunt non solum ecclesiae, sed etiam monasteria, hospitalia, confraternitates et pauperum sustentatio. Quae enim pro hisce causis relinquit testator, pro salute spirituali animae suae relinquit.

Ex *lege naturali* ultima dispositio valida est, quoties testator 1. habeat *facultatem testandi* i. e. plenam potestatem disponendi de rebus suis; 2. *expeditum usum rationis;* 3. de voluntate testatoris ultima *certitudine naturali* constiterit sive per testes, sive per scriptum, sive alio modo. (*Santi-Leitn.* III. 222.)

94. *Pag. 393. post lin. 25. notetur:* Recentiores tamen Theologi *probabiliter* negant, *injustum* esse, cum aliis de non licitando pactum inire, quia quorundam conventio non impedit, quominus alii concurrant; ut autem determinati homines ad licitationem concurrant, venditor exigere nequit. (Cfr. *Ball.-Palm.* III. pag. 683.)

95. *Pag. 394. lin. 20. notetur:*

Voluntariae opificum conspirationes, laborem intermittere et se otio dare (vulgo »Strikes«), ut ad augendam mercedem vel ad minuendum laborem domini cogantur, in tribus casibus *certe injustae* sunt: 1. si fiant ad extorquendam mercedem justo majorem; 2. si fiant quidem ad obtinendum augmentum mercedis intra limites justitiae, sed ita ut sive contra dominos, sive contra alios operarios (qui laborem intermittere nollent) media

violenta vel dolosa adhibeantur; 3. si conventio praecessisset de praestandis ad tempus statutum operibus pro certa et justa mercede, atque idem tempus nondum transactum fuisset.

Et quamvis justitia non laederetur, eiusmodi operarum intermissiones vix unquam non erunt graviter illicitae ex alio capite. Practice enim nedum dominos, sed etiam *operarios ipsos* damno afficiunt; mercaturis et reipublicae utilitatibus obsunt; turbas excitant et tranquillitatem in discrimen adducunt atque a sectariis ad fines perversissimos procurantur, ut quotidiana experientia sat abunde demonstrat. (Cfr. *Berardi*, Exam. conf. III. 3473.)

96. *Pag. 394. VI. Locatio seu conductio fusius tractanda est.* Ratione *objecti* non fungibilis, quod locari seu conduci potest, distinguitur: locatio 1. *rerum*, 2. *operarum* et 3. *operis*.

1. *Locatio rerum:* proxima est emptioni et venditioni iisdemque ferme regulis v. g. quoad pretium, vitia indicanda etc. consistit, scil. recidit in emptionem et venditionem *juris* percipiendi fructus vel utilitatem rei locatae. Locari possunt res mobiles et immobiles, earumque usus et ususfructus. Cum hac posteriori distinctione fere coincidit illa C^is^ A^i^, juxta quem locatio rei, qua quis sine ulteriori cultu uti potest v. g. domo »Miethvertrag« audit, et si agitur de re, quae laborem et industriam requirit, dicitur »Pachtvertrag«.

Officia praecipua *locatoris* sunt haec: a) tenetur tradere et conservare rem locatam in eo statu, in quo conductor re uti potest, nec illum in usu vel commodo, de quo conventum est, turbare. b) Tenetur ad omnes reparationes exequendas, quae ad rem servandam in statu, quo ex ea usus haberi possit, inserviunt, et quae damnum ex usu oriri solitum reficiunt. — Si *conductor* expensas necessarias ad locationem spectantes vel utiles fecit, locator ipsi expensas ut administratori sine mandato refundere tenetur. (C. A. § 1096 et 1097.) — c) Quae quoad *onera publica* et tributa solvenda tum in locatione aedium tum praediorum valent, habetur § 1099. —

Jura et Officia *conductoris* sunt: a) habet jus, re locata utendi et fruendi juxta conventionem, et pro tempore statuto, aut etiam eam sublocandi, modo hoc sine locatoris detrimento fieri possit, et aliter expresse non fuerit conventum. b) Locatione finita, rem restituere debet in eo statu, in quo eam recepit. — Pretium solvere tenetur tempore, de quo convenerunt vel juxta legis civ. (§. 1100) dispositionem. c) Quoad remissionem totalem vel partialem pretii solvendi pro casu sterilitatis ob grandinem vel aliud infortunium extraordinarium lex positiva rigorem justitiae de lege naturali haud leviter mitigavit. (Cfr. §. 1104—1107).

Contractus locationis *solvitur*: elapso termino sive expresse statuto vel tacite; revocatione, si res ad tempus incertum locata

fuit; interitu vel venditione seu alienatione rei locatae, pro quibus vero casibus lex specialiter providit. (§. 1112 et 1120.)

97. 2. *Locatio seu conductio operarum:* est contractus, quo quis ad tempus se obligat ad praestandum alteri pro pretio operas suas i. e. suum laborem vel officium vel ministerium, uti contingit in famulis, operariis, officialibus, medicis, procuratoribus etc. Qui operas praestat, hic *locator,* is, cui praestantur, *conductor* dici solet; imo hic contractus saepius simpliciter *contractus conductionis* dicitur.

Cum de *obligationibus* eorum, qui frequentius operas suas locant, variis in locis Comp., maxime in tractatu de statibus particularibus, sermo recurrat, heic breviter tantum disserendum est de *mercede justa,* quam conductor seu *herus operariis* solvere debet, quae res nostro tempore scitu necessaria et valde utilis est.

I. Praenotanda:

1. *Liceitas* seu moralis honestas contractus conductionis ab iis omnibus impugnatur, qui jus proprietatis privatae (cfr. p. 272.) rejiciunt. Contra hos dicendum est, istiusmodi contractum non tantum honestum et licitum esse, quia quilibet homo in actiones et operationes suas (cfr. p. 290.) *plenum et perfectum dominium* habet, sed id insuper sub certis circumstantiis esse officium morale, quoties nempe hoc unica via est, quâ quis se suosque sustentare vel quâ ad certum finem, quem ex obligatione obtinere debet, pervenire potest. (*Biederlack,* Soc. Frage p. 116.)

2. Equidem *opus operarii* plurimum differt *a mercimonio,* sicut *merces* differt *a pretio;* nihilominus perspicuitatis gratia opus operarii consideratur ut quaedam *merx,* et premium seu merces ut quoddam *pretium.* Nam licet opus operarii nobilius quid sit merce, totam tamen retinet rationem mercis, ex qua parte haec dicit ordinem ad pretium. *S. Thomas* (1. 2. qu. 114. a. 1.) ita ratiocinatur: Id enim *merces* dicitur, quod alicui *recompensatur* pro *retributione* operis vel laboris, quasi quoddam *pretium* eius. Unde sicut reddere justum pretium pro re accepta ab aliquo est actus justitiae, ita etiam recompensare mercedem operis vel laboris est actus justitiae et quidem *commutativae.*

Dicitur *commutativae,* quia sicut emptio et venditio, ita opus et merces pro communi utilitate contrahentium sunt, dum scil. unus indiget re vel opera alterius et e converso. Quod autem est pro communi utilitate, non debet esse magis in gravamen unius quam alterius, et ideo debet secundum *aequalitatem* rei, quae est proprietas justitiae commutativae, inter dominum et operarium contractus institui. (Cfr. *S. Thom.* 2. 2. qu. 57. a. 1.; *Buccer.* Casus I. n. 219.)

3. Merces duplex distingui debet: *individualis* et *familiaris.* *α*) Merces individualis est, quae ad operarium frugem et bene

moratum eo die alendum scil. pro victu, vestitu et habitatione etc., sufficit. β) Merces *familiaris*, quae insuper ad mediocrem familiam — sex vel septem personis constantem — alendam sufficit.

Merces familiaris non ita concipi debet, ut ea *sola* ad sustentandam integram familiam sufficere debeat, sed ita, *ut operarius per eam alendae familiae par sit*, si accedat huic etiam id, quod uxor et liberi honeste sibi comparare possunt.

Prudentia porro in expendendis bonis opus est. Haec in eo potissimum consistit, ut operarius matrimonio nondum junctus seponat, quae propriae sustentationi non sunt necessaria, et si uxoratus est, ut eo tempore parcius vivat, quo membra familiae laboribus haud pares sunt. Ita ad mentem Leonis XIII. in Enc. »Rerum nov«.

4. Merces *individualis* alia est *minima*, si nempe valori operae praestitae, quatenus *in se* consideratur, stricte ad aequalitatem respondet; alia est *summa*, quae labori considerato simul cum *adjunctis externis*, nempe iis, quae valorem operae augent v. g. expensae pro acquirenda peritia vel scientia etc., futurum tempus senectutis, infirmitatis vel tempus interruptionis laboris, specialia pericula pro vita et sanitate, quae cum labore conjuncta sunt, nisi pro hoc casu aliunde provisum sit etc. —

II. Principia:

1. *Iustitia commutativa praeprimis exigit, ut operario merces individualis, eaque saltem minima, pro opera solvatur.*

Sic servatur *aequalitas rei.* Operarius pro hero expendit vires suas corporales, et herus retribuere seu rependere debet operario mercedem, quae ipsi necessaria est ad restaurandas vires detritas per victum, vestitum etc. Quoties igitur merces ad consequendum hunc finem, victum nempe et vestitum convenientem, impar sit, *per se* loquendo, et considerata rerum natura, habetur objectiva inaequalitas inter opus et mercedem et ideo laesio justitiae commutativae. Possunt tamen esse casus, etiam relate ad salarium personale, ad quos non se extendit *per accidens* haec obligatio justitiae. (Cfr. Res. cas. pro Dioec. Trid. 1897, pag. 27.)

Ceteroquin merces *vulgaris* ordinarie ut merces *justa* haberi potest. Et prout *pretium* rerum venalium non est punctualiter determinatum a lege naturae, sed magis in quadam communi aestimatione consistit, ita et de *mercede* generatim est dicendum. Ad id quoque attendi debet, quod in assignanda aequalitate justitiae inter *mercedem* et *opus manuale* non solum respicitur a communi aestimatione tum *qualitas* tum *quantitas* operis, sed etiam *tempus* durationis eius, item *pretia rerum*, quae emi ab operario debent ad convenientem victum et vestitum: quae pretia non sunt ubique eadem.

2. Operarius, salvâ justitiâ commutativâ, in ineundo contractu mercedem respective summam a hero postulare potest.

Etenim justitiae naturali plane consentaneum est, ut et externa laboris adjuncta, quae in commodum heri impendantur, ab ipso compensentur. Servatur sic aequalitas rei ad rem, quae justitiae propria est.

3. Caritas quandoque seu per accidens vel etiam naturalis honestas exigunt, ut operario merces familiaris solvatur. Ita juxta plures D.D.

Non est justitia, quae ita exigit; nam opus est opus *personale* operarii et non familiae ipsius, nec ad familiam ipsam refertur primo et per se, sed secundario et per accidens, quatenus mercedem acceptam operarius cum suis distribuit. Sicut ergo familia opus in casu non auget, ita ex justitia non requirit, ut merces debita operi ipsi augeatur. (*Buccer.* Casus I. 219. IIo.)

Sed *caritas* id peculiari modo exigit *quandoque,* quoties nempe caritatis officia ex praecepto exercenda sunt. Caritas secundum *ordinem* servari debet; jam ordo proximiores facit hero operarios, diurnum opus exercentes in eius utilitatem, quam pauperes alios, nihil pro ipso agentes; ergo herus, potens caritatis officia exercere, operarios suos praeferre debet, eis ex caritate elargiendo, ut merces, sic aucta ex caritate, sustentandae familiae operarii minus insufficiens evadat.

Honestati proprium est, retribuere sponte, et non ex justitia. Quodsi ergo herus ex opere operarii magnum beneficium et emolumentum percipit, aequitati seu honestati consentaneum est, ut et operarii merces augeatur. (*Buccer.* l. c.) Sunt tamen alii D.D., qui aliter sentiunt, absolute asserentes: mercedem familiarem operariis non quandoque solum, sed ordinarie ex caritate, imo juxta alios *ex justitia* debere. —

Quod vero stipendium legale seu *auctoritate politica* statutum, operario ex justitia debetur, extra dubium est. —

4. Justitia nullatenus exigit, ut operarius tamquam mercedem laboris partem lucri ex negotio percepti accipiat.

Ut supra dictum est, justitia non exigit, nisi ut operario tantum rependatur, quantum herus ab eo percepit; soluto ergo stipendio rependitur operario quod ipse hero tradiderat. Nulla datur ratio, cur stricto jure exigere potest, ut herus operarium tamquam socium operis vel commercii assumat et sic, inito contractu societatis, etiam lucri participem faciat. Hoc a sola heri libera electione dependet. (Cfr. *Biederlack,* op. c. n. 97.)

98. *3. Locatio operis: Opus* hic dicitur, quidquid aliquis faciendum suscipit v. g. domum aedificare, vestem reficere etc.

Duo heic consideranda sunt: *materia et artificium.* Si locator illam, conductor hoc praestat, locatio-conductio habetur; si is praestat utrumque, tunc ex jure communi — et paucis casibus exceptis, etiam ex jure austriaco (§. 1158) — adest *venditio.*

Itaque conductor opus conficere debet, nempe: integrum, intra constitutum tempus, pretio statuto, nec id augere potest, licet postea rerum et operarum pretia creverint, — nec e diverso, aequa lance, si haec decreverint, minuere. *(D'Annib.* II. 496.)

In hoc tantum casu conductor pacta summa majorem exigere potest, quo damnum patitur *ob casum plane improvisum,* quia eiusmodi contractus ita iniri solent, ut susceptor pericula ordinaria, non autem *extraordinaria* in se suscipiat.

99. *Pag. 401. 2. Materia absolute gravis:* pro tali juxta recentiores DD. requiritur saltem summa 12—15 flor. vel 20—30 M. vel 20—30 Lib. (*Lehmk.* 931, *Delama* 301, *Buccer.* I. 1298.)

100. *Pag. 408. post lin. 42. notetur:* Solutio huius quaestionis jam ulterius progressa est, ita ut dici possit, legem civilem qua talem non esse titulum propter quem, sed potius esse *argumentum alicuius tituli externi,* vi cuius foenus licite percipi potest. Juxta graves nempe Theologos: *Lehmk., H. Pesch, Costa-Rossetti, Delama* etc. *conditiones oeconomicae* nostri temporis adeo immutatae sunt, ut pecunia, quod praecipuum mutui objectum est, nunc improprie dici debeat *res actu frugifera,* ita ut stantibus hisce conditionibus oeconomicis unicuique jam ex hac ratione licitum sit *pro mutuo pecuniario mercedem accipere,* nisi ex lege caritatis quis teneatur, gratis mutuare. (Cfr. *Lehmk.* Laacher Stim. 1879, II. 225 squ.; *Delama* ed. 3. n. 219.)

101. *Pag. 409. lin. 21.:* Si alicubi leges civiles quantitatem foenoris determinant et eam simul transgredi prohibent, istae leges obligant in conscientia. — Pro reliquis tamen casibus impossibile est, normam generalem statuere pro *mensura foenoris liciti et justi,* quia circumstantiae locorum, temporum, personarum, a quibus quantitas justi foenoris dependet, valde diversae sunt. Nisi per leges, ut dixi, aliquid determinatum sit, generatim dicendum est, illud foenus esse licitum, quod communi hominum *judicio* et *usu,* attentis industriae et commercii determinatae regionis conditionibus, constituitur. Hinc fieri potest, ut etiam magnum foenus licitum et justum sit. Confirmatur haec doctrina decisionibus S. Sedis. Quum Episcopus *Marsic.* et *Potentinus* quaesiverat, num liceret mutuanti 8 vel 10 % accipere idque ea lege, ut mutuatarius insuper solveret tributum circiter $^1/_2$ % a gubernio possessionibus mobilibus impositum, S. Poenit. 18. April. 1889 respondit: »quum fructus pecuniae taxare per modum regulae periculosum sit, Eppus Orator in singulis casibus rem decernat juxta praxim communem, servatam ab hominibus timoratae conscientiae respectivis in locis et temporibus.« (*Lehmk.* 1108.) Et quum novissime quidam Episcopus Italiae S. Off. dubium proponeret: An permitti possit Mons pietatis cum usura mensili duarum libellarum pro quolibet centum, die 26. Julii 1899, attentis particularibus loci etc. circumstantiis, respon-

sum est: »Acquiescat, modo paratus sit, stare mandatis S. Ecclesiae.« (*Acta S.S. XXXII.* 190.) —

102. *Pag. 416. post lin. 17. addatur: Nota: In Austria* recentiori lege, 10. Junii 1887. § 2., nonnulla executioni subtrahuntur, quae proinde debitori, qui bonis cessit, relinqui debent. Haec autem sunt:

1. Pro omnibus: a. Vestes, lecti, lintea, utensilia domus et culinae, speciatim hypocausta ad calefaciendum et coquendum, quatenus haec omnia necessaria sunt debitori, suae familiae membris, et famulis in communi oeconomia domestica cum ipso viventibus.

b. Cibaria, et combustibilia iisdem personis ad duas hebdomadas necessaria.

c. Vacca praebens lac, aut pro arbitrio debitoris duae caprae, vel tres oves, additis nutrimento et stramine pro duabus hebdomadibus iisdem necessariis, quatenus haec animalia ad alendas supra memoratas personas requiruntur necessario.

d. Libri precum, scholastici ad usum debitoris et suae familiae membrorum cum ipso degentium destinati; item annulus nuptialis debitoris, necnon epistolae, scripta, et familiae tabulae pictae, demptis earundem coronis (Rahmen); praeterea particulae S.S. Crucis et Reliquiae, excepta earundem capsula, at sine laesione testimonii authenticitatis ipsis adnexi. —

2. Pro certa personarum classe relinquuntur:

a. Quoad personas, quae munus publicum, artem liberalem, professionem scientificam exercent, ea, quae ad munus adimplendum, ad professionem exercendam occurrunt; insuper decens vestiarium.

b. Quoad artifices, operarios in officinis, et obstetrices, quae occurrunt ad operam exercendam.

e. Quoad personas, quarum emolumenta juxta leges vigentes ex tota vel in parte executioni subtracta sunt, aliquando certa pecuniae summa.

d. Pharmacopolis quandoque utensilia, vasa, et merces necessaria ad exercendum pharmacopolium. (*Delama,* ed. III. p. 286.)

103. *Pag. 432, ad doctrinam, quae a lin. 16—20. continetur, haec notentur:*

1) Inter Theologos antiquiores fuerunt haud pauci et graves v. g. *Lugo, Lessius, Sporer* etc., qui docuerunt, leges tributorum obligare *ex justitia commutativa,* quia, uti dixerunt, subsistit principem inter et subditos quasicontractus tacite initus, quo ille quidem se obligat ad bonam et rectam gubernationem, subditi tamen se obligant ad subministrandum stipendium, quo princeps publica onera sustinere possit.

2) Juxta plerosque recentiores Theologos subditi ad tributa justa solvenda obligantur *ex justitia legali*, sed quidem ita, ut ea solvant, *quando et quatenus ab exactoribus exiguntur*; non vero sic, ut ea etiam tunc solvere teneantur, quamdiu ab exactoribus *non* petantur. Et hoc valere, dicunt, quoad *omnia* tributa *directa*, ergo non solum quoad *realia*, ut *Scavini* etc. volunt.

3) Sunt porro et alii D.D. recentes, inter quos v. g. *Sabetti, Constantini, Bucceroni* etc., qui sine distinctione inter tributa realia et personalia, quoad *omnia* asserunt, eiusmodi leges esse leges *mere poenales*, quae tantum post sententiam judicis in conscientia obligant. Id quoad recentes leges plurium regnorum verum esse videtur, sed an id generatim seu pro omnibus regnis valeat, merito dubitari potest.

Sed quidquid sit de sententiis Theologorum, ait *Berardi*, hodie praxis esse videtur, quod subditi indistinctim (parati solvere mulctas) credant, se posse licite: 1) differre tributorum solutionem, donec exigantur; 2) nihil solvere pro rebus vel capitalibus, quae oculos fisci vel exactorum praeterfugerunt; 3) imo abscondere quidquid possunt, ut tributa effugiant (nisi vis adhibeatur); 4) denique ad interrogationem, an aliquid habeatur, respondere simpliciter negative i. e. cum restrictione late tali. (*Praxis* ed. II. 3157.)

Unde admonendi quidem sunt fideles, ut tributa fideliter solvant, sed post factum vix umquam ad restitutionem cogendi, quia non constat de justitia laesa. Id eo magis, quia nostro tempore de pluribus tributis dubitari possit, *an sint justa.* »Hodiedum, ait *Aertnys* (III. 377.), gubernia pecuniam publicam non raro prodigunt in causas inutiles, quin et nocuas v. g. in theatra, aedificia luxuriosa; praeterea solent justitiam violare in distributione subsidiorum, praesertim respectu Catholicorum, qui suas institutiones propriis expensis sustinere et adversariorum institutiones, scholas etc. tributis adjuvare coguntur.«

Porro quoad tributa imponenda quam saepe hodiedum non servatur *aequalitas in personis* seu non fiunt juxta earum facultates, ita ut pauperes relative plus solvant, quam divites etc. (Cfr. *Biederlack*, Soc. Frage pag. 156.)

104. *Pag. 445. post lin. 43. notetur:*

e) Quod *incendiarius* sive suam sive alienam rem assecuratam destruxit, restituere debet, extra controversiam est. Sed, si quaeritur, *cui* restitutio fieri debeat, practica quaedam difficultas esse potest, eo quod difficulter ad veros dominos res perveniat. Quare dico, ait Lehmkuhl: 1. Si institutum assecurationis *publicum* est, i. e. ad ipsam rem publicam vel provinciam pertinens, restitutio fieri potest pauperibus vel *causis publicis*. 2. Si institutum assecurationis *privatum* est, *per se* huic instituto *proxime* restitutio debetur. Quodsi hoc ipsum institutum se suaque damna ex parte reassecuravit (Rückversicherung): sane *iis*, apud quos id factum est, *pars* restitutionis

debetur. 3. Nihilominus complures rationes sunt, cur plerumque etiam loco instituti privati pauperes vel causae piae eligi possint, quibus fiat restitutio. Scil.: a) Saepe in societatibus assecurationis *tot* possident »actiones«, ut summa restitutionis, quamvis tota gravis, in singulos distributa pro nullo domino singulari sit gravis materia. b) Reassecuratio fieri *solet*, idque pro maxima parte rei assecuratae, at apud plura et diversa instituta, neque scitur, apud quod vel quae reassecurata fuerit ipsa res damnificata, ob quam restitutio debetur, nisi haec ipsa res assecuratoribus indicetur, quod sane periculis plenum esse potest. c) Demum non tam sunt assecuratores, quam potius assecurati seu totus horum numerus, qui re ipsa ex voluntariis incendiis damnum patiantur. Nam assecuratores in determinando pretio quotannis solvendo certe rationem habent omnium incendiorum, quae accidere solent, etiam voluntariorum; alioquin deberet annuum pretium diminui, ne sit justo majus; ergo coguntur assecurati ad solvendum pretium majus propter ipsa incendia voluntaria, ita ut ab incendiariis patiantur damnum.

Verum horum, qui sic damnificantur, tantus est numerus, ut propter eorum multitudinem restitutio censeri possit devolvi ad pauperes causasve pias. (*Append.* p. 10 et *Linzer Quartalschrift*, 1899, p. 94.)

105. *Pag. 451. lin. 18. addatur*: Sententia tamen negans est probabilis. Nam si adest *voluntas* restituendi, sed impeditur ob gravem causam, dilatio est justa; justa autem dilatio purgat moram etque adeo non es injusta causa horum damnorum nec censeri potest rationabiliter invitus creditor. Res pro confessariis scitu utilis. (*Baller.-Palm.* III. pag. 410.)

106. *Pag. 457. 3. Actus conjugalis, lin. 15. notetur:* Idem tamen clariss. Auctor in editione posteriori hanc suam doctrinam sic limitatam habere voluit: »Actum conjugalem ita ex consulto exercere, ut non propter tempus aliasve accidentales circumstantias, sed ex natura actus conceptio, utut absolute possibilis maneat, evadat tamen plane improbabilis, grave peccatum haberi; atque ita agi debere, ut saltem a mulieris vagina semen virile recipiatur, seu in eam infundatur.« (*App.* p. 39.)

107. *Ibid. in fine huius paginae addatur:* Inde a tempore, quo foecundatio mulieris *modo artificiali* inventa est, Theologi de eius liceitate disputare coeperunt. Sed quum S. Officio dubium proponeretur: *an adhiberi possit artificialis mulieris foecundatio?* — die 24. Martii 1897 responsum est: „*Non licere*". (*Nunt. Rom.* XVII. 128.)

108. *Pag. 468. quoad onanismum inter conjuges amplius notetur:*

1. Onanismus, qui etiam *malthusianismus* quandoque vocatur a *Malthus* anglo, qui media quaesivit impediendi nimiam

hominum multitudinem, si voluntarius est, semper est peccatum mortale, utpote quid grave contra naturam; ideoque numquam conjugibus licitus esse potest. Ratio est, quia repugnat primario fini matrimonii et ad societatis extinctionem *per se* tendit; dein, quia supremo Legislatore et Auctore naturae stricte fuit prohibitus, ut eruitur ex Gen. *XXXVIII.* 9, 10. Praeterea, cum quaesitum fuerit de nota theologica huius propositionis: »Ob rationes honestas conjugibus uti licet matrimonio eo modo, quo usus est Onan«, — responsum fuit a S. Poenit. 21. Maji 1851, dictam »propositionem esse scandalosam, erroneam et juri naturali matrimonii contrariam.«

Dicitur: *onanismus voluntarius,* quia *uxor* interdum a peccato excusari potest, si adsit etc., *ut in Comp. β) lin. 7. habetur. Vir* autem *onanista* numquam a gravi peccato excusari potest.

Uti per se patet, graviter quoque peccat illa mulier, quae virum ad matrimonio abutendum inducit etiam indirecte vel tacite v. g. conquerendo de numero prolis, de laboribus partus vel educationis liberorum, aut lamentando, se in proximo partu morituram esse.

109. *2. Officia confessarii* erga conjuges onanismo deditos patent ex responso S. Poenit. 10. Martii 1886:

»Dub. I. Quando adest fundata suspicio, poenitentem, qui de onanismo omnino silet, huic crimini esse addictum, num confessario *liceat* a prudenti et discreta *interrogatione* abstinere, eo quod praevideat, plures a bona fide exturbandos, multosque sacramenta deserturos esse? Annon potius *teneatur* confessarius prudenter ac discrete interrogare?

II. An confessarius, qui sive ex spontanea confessione sive ex prudenti interrogatione, cognoscit poenitentem esse onanistam, *teneatur* illum de huius peccati gravitate aeque ac de aliorum peccatorum mortalium *monere,* eumque, ut ait Rituale Rom., paterna caritate reprehendere, eique absolutionem tunc solum impertiri, quum sufficientibus signis constet, eumdem dolere de praeterito et habere propositum non amplius onanistice agendi?

Resp. ad I. Regulariter negative ad primam partem; affirmative ad secundam.

Ad II. Affirmative, juxta doctrinas probatorum auctorum«. — Illud *regulariter* innuit, interdum per exceptionem fieri posse, ut potius res silentio premenda sit, ne sine ulla spe fructus bona fides in fidem malam convertatur, adnotat cl. *Lehmkuhl* (n. 859.).

110. *Pag. 479. 3. Quoad obedientiam, cum sit materia magis practica, haec notentur:*

a) Ratione *temporis,* quo filii ad obedientiam tenentur, haec obligatio perdurat, quamdiu sub paterna potestate sunt: haec autem regulatur a respectiva lege civili. Excipiuntur illi casus gravioris momenti, in quibus forte ratione reverentiae etiam postea consilium parentum audiendum sit.

b) Ratione *objecti*, circa quod obedientia versatur, haec respondet educationi, quae refertur et restringitur ad duo: 1. ad ea, quae ordinem domesticum spectant, 2. quae ad bonos mores pertinent.

c) Ratione *obligationis* dicendum est, quod obedientia sub gravi obliget, si adest 1. verum praeceptum et 2. gravis materia. Quare saepe inobedientia filiorum a gravi peccato excusatur tum propter inconsiderationem, tum praecepti veri defectum, tum propter parvitatem materiae.

Gravitas materiae determinanda est cum respectu ad finem potestatis, quam parentes habent, qui est tum bonum ipsius filii tum bonum familiae. Unde gravis materia ea est, 1) cuius neglectus notabiliter perturbat ordinem domesticum, aut 2) quae notabile incommodum infert parentibus vel commodo notabili eos privat. Hoc enim, ut sibi praestetur, parentes jure postulant a filiis sub potestate sua manentibus. Filiorum enim est ad commodum parentum et familiae pro statu suo secundum praecepta parentum conferre et laborare. Gravis materia etiam est 3) res, quae ad bonos filii mores necessarios pertinet aut multum confert v. g. implere praecepta religionem spectantia, vitare consortia periculosa, etsi forte nondum existat certo occasio proxima peccati pro filiis. Item gravis materia est 4) notabiliter praeceptum parentum negligere in addiscendis litteris, arte etc, secundum diversam conditionem filiorum. (*Lehmk.* I. 791 squ.)

111. *Pag. 485. post lin. 13. notetur:* Cum nostro tempore causae *criminales* per sic dictos *Juratos* (ob juramentum quod praestant de munere sibi credito recte obeundo) eatenus exerceantur, ut ipsis incumbat judicium pronuntiare circa *existentiam* facti et *culpabilitatem* accusati — quibus finitis judex (vel judicum collegium) poenam juxta leges decernit, — quoad eorum officium primarium dicendum est, eos judicare debere ex intima sua persuasione de culpa vel innocentia accusati. Culpabilitas autem intelligitur formalis i. e. crimen cum culpa morali commissum.

Numquam ergo jurato licet votum dare contra accusatum, juridice quidem convictum, cuius tamen innocentiam *privata* scientia *certo* cognoscit. Ratio est, quia ipsi tantum incumbit pronuntiare circa culpam secundum suam persuasionem et intimam convictionem, quam de eius existentia habet; intima autem persuasio oriri nequit, quamdiu certa scientia privata adversatur. Insuper nullo modo tenetur dare rationem legalem propriae sententiae.

Item juxta graves D. D. juratus non potest reum affirmare, quem talem novit *privata* tantum scientia, juridice vero minime probatum. Reus enim, quamdiu juridice talis non probetur, jus

habet, ut absolvatur; juratus vero personam gerit judicis, non testis. (Cfr. *Buccer.* II. 30.)

112. *Pag. 494. Nota a) lin. 5. adde:* Sed nuper S. R. C. ad dubium (XIII.): Quodnam Calendarium sequi debeant illi, qui praedicationis vel ex alia rationabili causa per aliquot dies a suo conventu absunt? — 27. Junii 1896 respondit: »Si in Choro, standum Calendario coenobii, apud quod Religiosi hospitantur; si privatim, servandum Calendarium coenobii, a quo discesserunt«. *(Decret. auth.* n. 3919.)

113. *Pag. 495. lin. 6. addatur:* Porro S. R. C. dubium propositum est: »An satisfacit obligationi suae Clericus in ordinibus sacris constitutus, qui sponte vel invitatus se adjungit Clero officium ab officio ipsius Clerici diversum canenti vel recitanti? — ad quod 27. Jan. 1899 respondit: »Generaliter negative.« *(Decr. auth.* n. 4011.)

114. *Pag. 496. lin. 19. notetur:* Solutio quaestionis, an valide et licite possit hora *secunda* pomeridiana Matutinum cum Laudibus anticipari, jam iterato a S. Sede petita, sed nondum plane definita est. Et quidem a) Ad dubium: quanam hora liceat incipere privatam recitationem Matutini cum Laudibus vespere diei praecedentis? S. R. C. 16. Martii 1876 respondit: »Privatam recitationem Matutini cum Laudibus diei subsequentis incipi posse, quando sol medium cursum tenet inter meridiem et occasum.« (*Decr. auth.* 3391.) b) Ad aliud dubium: An praedicta responsio ita intelligenda sit ut ille non satisfaciat obligationi suae, qui Matutinum cum Laudibus vespere diei praecedentis recitasset, prius quam sol medium cursum teneret inter meridiem et occasum? S. R. C. 13. Jul. 1883 edixit: »Consulantur probati auctores.« (*Buccer.* Enchir. 84.)

Exinde DD. inferunt, quod, si sententia affirmans nulla gauderet probabilitate, a S. Sede procul dubio jam dudum omnino rejecta fuisset. Porro, quia S. Congr. remittat ad probatos auctores quoad quaestionem de impleta vel non impleta officii gravi obligatione, — et quum haud pauci nostri temporis auctores sat probati: *Ball.-Palm., Sabetti, Bucceroni, Génicot, Noldin, Delama* etc. anticipationem hora secunda factam, ut validam et concurrente causa legitima etiam ut licitam declarent, is, qui talem sequitur doctrinam de obligatione sua non adimpleta vix inculpari poterit, prout *Berardi* cum *Lehmk.* observat. (n. 3265. II.°)

115. *Pag. 498. post lin. 20. notetur:* Ex variis S. R. C. decisionibus, v. g. 18. Maji 1883; 1. Febr. 1886 *(Decr. auth.* 3653.) patet, Matutinum, si separatim a Laudibus dicatur, finiendum esse cum oratione officii diei et post orationem addendum esse Vers. Dominus etc. Benedicamus etc. Fidelium etc.;

Laudes vero incipiendas esse ut in Psalterio prostant, ergo sine Pater et Ave. (*Decret. auth.* 3574.)

116. *Pag. 502. Officia Episcoporum, adde:* 8. Diebus dominicis et festis Missam pro grege sibi commisso applicare ex praecepto Leonis XIII. 10. Jun. 1882.

117. *Pag. 509. litt. i) ultima lin. post verbum: socius, omnia deleantur;* nam decreto S. C. Ep. et Reg. 5. April. 1897 pro Capucinis memorata obligatio se pro obtinenda absolutione a casibus reservatis iterum sistendi sublata est. (*Anal. Cap.* XIII. *129.*)

NB. Decisiones S. Sedis, quae durante praelo innotuerunt:

118. *Pag. 35. litt. β) lin. 14.:* Quoad receptionem haereticorum S. Off. 28. Mart. 1900 declaravit, quod eorum abjuratio coram quopiam ab Eppo delegato ut notario et aliquibus personis ut testibus fieri potest, et quidem privatim, sive agatur de iis, qui a catholica fide defecerunt et ad eam reverti cupiunt, sive de iis, qui in haeresi ab initio educati fuerunt, dummodo reliqua de jure servanda fideliter serventur, uti in Instr. ad Eppum Limer. 8. April. 1786 habetur. (*Anal. Cap. XVI.* 193.)

119. *Pag. 64. ad litt. β):* Decreto Urbis et Orbis 27. Jun. 1899 S. R. C. declaravit, quod uti *Reliquiae insignes* haberi debeant a) pars anterior brachii, quae antibrachium dicitur, etsi ab alia parte superiori eiusdem brachii separata sit; b) ipsa pars superior brachii; c) cor, lingua, manus, si ex miraculo intactae conserventur. (*Decret. auth.* n. 4041.)

120. *Pag. 156. litt. β): Astrologia judiciaria:* S. Poen. 20. Febr. 1900 declaravit, quod censura in eos lata, qui astrologia judiciaria vel per se vel per alios de statu reipublicae christianae i. e. de vita aut morte Rom. Pontificis inquisierint, per Constit. »Apostol. Sedis« non sit sublata. (*Anal. Cap.* XVI. 170.)

Index rerum.

Numerus indicat numerum marginalem.

A.

B.

C.

D.

E.

F.

H.

I.

L.

M.

Druck von Paul Christian, Horb.

Princeton Theological Seminary-Speer Library
1 1012 01000 2907